RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS DECIMUSOCTAVUS.



RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS, ALIARUMQUE INSIGNIUM BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS DECIMUSOCTAVUS.



Antonius Brembilla inv. et del. — *Hieronymus Rossi sculp.*

MEDIOLANI, MDCCXXXI.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ IN REGIA CURIA.

SUPERIORUM FACULTATE.



Franciscus Zucchi Venetus Fecit.

EM.^MO AC. REV.^MO PRINCIPI.

PROSPERO.

S. R. E. CARDINALI.


LAMBERTINO.

ARCHIEPISCOPO. BONONIENSI.

GENERIS. NOBILITATE. CLARISSIMO.
QUEM.
SACRAE. PUBLICAEQUE. REI. ADMINISTRANDAE.
GRATIAE. MUSAEQUE. OMNES.
ITA. EFFINXERUNT.
UT. IN. UNO. LITERARUM. ELEGANTIAM.
PRUDENTIAE. MATURITATEM.
ET. RELIGIONIS. CULTUM.
AD. SAECULI. DELICIAS.
COLLOCASSE. VIDEANTUR.
NOVUM. HOC. DE. PATRIA. GENTEQUE. SUA.
ET. IN. EUM. OBSEQUI.
PUBLICUM. MONUMENTUM.

MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCI.

D. D. D.



EMIN.MO AC REV.MO PRINCIPI
PROSPERO
S. R. E. CARDINALI
LAMBERTINO
ARCHIEPISCOPO BONONIENSI

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.

SI omnes omnium charitates patria complexa est, ut inquit Cicero in libro de Officiis, nullum amoris, & studii, pietatisque in Rempublicam eximium adeò inveniri poterit officium, quod à civibus præstandum non sit in eam, quæ communis omnium parens est, ceterisque charioribus

omnibus est præponenda. Quod ego mecum ipse perpendens, gratulabar oblatam aliquando fuisse occasionem, ut bene de patria mererer, & quantum in me sit famam nomenque ipsius apud exteras Nationes novo decoris ornamento illustrarem. Id sane futurum non dubitavi statim ac singulas historias pervolvi, quas in amplissimam Rerum Italicarum Collectionem à Clarissimo Muratorio *congestas in publicum evulgandas suscepi, atque inter eas vetusta Bononiensium rerum Monumenta paucis hactenus cognita animadverti. Ex ea quippe lectione non parum delectationis, & utilitatis Cives nostros accepturos facilè mihi persuadebam, cùm exploratissimum sit plurimum administrandæ Reipublicæ prodesse præteritorum gestorum memoriam, quæ splendidissimæ facis instar, non semel impenetrabiles negotiorum tenebras lumine suo dissipat, atque propellit. Exteros verò in tanta rerum gestarum ac fortunæ varietate de nostrorum ingenio ac viribus non vulgaria esse judicaturos. Lætus itaque, si umquam aliàs, operæ manum admovi, editionemq; Tomi XVIII. Collectionis illius hoc tempore paravi, cùm Divina factum providentia puto, ut Tu* PRINCEPS EMIN.^ME^ *in hanc Archiepiscopalem Sedem, communibus omnium votis, at tuis ita exigentibus meritis, bono publico sis elatus, & qui pridem hoc unum præstabas, ut parem Te Majoribus tuis Nobilitatis splendore, & assiduo Studiorum cultu institutum præberes civica fortuna contentus, nunc re in melius versa Pater Patriæ jure optimo appel-*

latus

latus omnium in Te spem acceperis, & in sinu foveas laborum tuorum mercede recreandam. Et sanè qui umquam fructus non erunt expectandi à felicissimo ingenio tuo, quod omni Scientiarum genere cultum, veterum omnium prudentiam & artes comparavit? Quid commodi Bononiensi Ecclesiæ non accedet ex institutione tua, quam longo usu & exercitatione perpetua ad Patrum regulas, & severiorem disciplinam composuisti? Quid deniq; bonæ literæ sibi non polliceantur ab homine literatissimo, quemque Musas lactasse fateatur necesse est, quicumque vel tua legerit, vel Te disceptantem audiverit? Quod si auream illam elegantiam in mentem revocem, qua privatorum causas in urbe Roma, & in ipso tuo tyrocinio jamdiu agebas, gaudio futura fuerit impletorum recordatio præsagiorum, quæ Te dicentem excipiebant, & amplissimam hanc fortunam ex ipsis rostris auspicabantur. Neque me PRINCEPS EMINENTISSIME *hæc feliciter in ipso Pontificatus initio Patriæ Civibusque præsagientem assentandi aliquod studium occupavit; ambitu namque vacantem tenet alienum solum literariis unicè laboribus occupatum, & ob gaudium publicæ felicitatis ex longa Virtutum tuarum notitia exultantem. Ob eam rem, ut meum etiam ad aliorum Civium officium accederet* PRINCEPS EMINENTISSIME *gratulationisque privatæ signum aliquod publicum exhiberem, ita rem composui, ut Tomus iste, de quo præfabar, Tibi dicaretur, eumque humiliter sisto meo ac Palatino-*

rum

rum Sociorum nomine, quibus mea non minor Sapientiæ Tuæ æstimatio, & in Sacram hanc purpuram tuam reverentia: Noverunt enim Te plures, dulcisque apud eos eruditionis ac facundiæ tuæ frequentissima recordatio. Accipe igitur benignitate qua soles librum, ob id præcipuè plurimi faciendum, quod absconditas adhuc Bononienses nostras historias contineat. Easque inter Majorum tuorum egregia facta cognosces, quibus non semel, vel salutem Reipublicæ restituerunt, vel alienam vim fortitudine constantiaque sua propulsarant. Erit ex privata publicaque historia Tibi Civi, ac Patri Patriæ duplex gaudium; mihi verò Sociisque ceteris, si munus nostrum libenter acceperis, ab assiduo longoque labore solatium.

Interim EMINENTIÆ TUÆ *purpuram humiliter exosculor, & Vitam ac felicitatem in Patriæ commodum precor.*

Dabam Mediolani IV. Nonas Septembris MDCCXXXI.

ELENCHUS
TOMI DECIMIOCTAVI.

CHRONICON REGIENSE ab Anno MCCLXXII. usque ad MCCC-LXXXVIII. Auctoribus *Sagacio* & *Petro de Gazata* Regiensibus, nunc primùm editum ex MSto Codice *Bibliothecæ Estensis*. Pag. 1

MEMORIALE HISTORICUM *Rerum Bononiensium* ab Anno MCIX. usque ad MCCCCXXVIII. Auctore *Matthæo de Griffonibus*, nunc primùm profertur ex MSto Codice *Bononiensi*. 101

HISTORIA MISCELLA *Bononiensis* ab Anno MCIV. usque ad Annum MCCC-XCIV. Auctore præsertim *Fratre Bartholomæo della Pugliola* Ordinis Minorum; Accedit *ejusdem Continuatio* usque ad Annum MCCCCLXXI. ab aliis *Auctoribus Synchronis* facta. Omnia nunc primùm in lucem prodeunt è Codicibus MStis *Bibliothecæ Estensis*. 237

JOHANNIS SER CAMBII Auctoris Synchroni *Chronicon de Rebus gestis Lucensium* ab Anno MCCCC. usque ad Annum MCCCCIX. nunc primùm in lucem producitur è MSto Codice *Bibliothecæ Ambrosianæ*. 793

ANNALES ESTENSES *Jacobi de Delayto* Cancellarii D. Nicolai Estensis Marchionis Ferrariæ, Auctoris Synchroni, de gestis ipsius Marchionis ab Anno MCCC-XCIII. usque ad MCCCCIX. nunc primùm editi è MSto Codice *Bibliothecæ Estensis*. 901

MONUMENTA HISTORICA *de rebus Florentinorum*, Auctore *Gino Capponio* ab Anno MCCCLXXVIII. usque ad Annum MCCCCXIX. cum Continuatione *Nerii* illius *filii* usque ad Annum MCCCCLVI. nunc primùm prodeunt ex MStis Codicibus *Florentinis*. 1097

INDEX Rerum, & Nominum. 1221

CHRONICON
REGIENSE

Ab Anno MCCLXXII. usque ad MCCCLXXXVIII.

AUCTORIBUS

SAGACIO ET PETRO
DE GAZATA

REGIENSIBUS,

NUNC PRIMUM EDITUM EX MSto CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN CHRONICON REGIENSE

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

POstquam Tomo VIII. Collectionis hujus *Memoriale Potestatum Regiensium*, sive *Chronicon Civitatis Regiensis*, evulgavi, nunc alterum profero, & pretii quidem non inferioris. Codex chartaceus MStus, unde illud hausi, servatur apud Monachos Benedictinos Regienses Monasterii Sancti Petri, quod olim Sancti Prosperi appellabatur; illumque mihi olim commodavit Cl. Vir Dominus Benedictus Bacchinius Casinensis Congregationis, & Mutinensis Coenobii Abbas. Sed quod me angit, nimium mutilus est ille Codex, diu nempe cum blattis, & muribus, & hominum incuria conflictatus. Plurimae paginae in exordio desiderantur; eamdemque devastationem in medio Libro atque in calce deprehendas. Dignus erat Liber, qui meliori sorte frueretur; nam simplici quidem stilo haec scripta, sed non modico amore veritatis, & judiciose non minus quam accurate, ita ut quae supersunt, deperditorum desiderium cuicumque Lectori ingerere possint. Attamen praestat laceram, quam nullam, habere Historiam hanc, quippe quae se multis nominibus commendat, & cum voluptate vel sic manca legatur. Non unus Chronici hujus est Auctor, sed duo, nempe *Sagacius* seu *Sagacinus*, & *Petrus* ambo ex Familia Regiensi *de Gazata*, seu *de la Gazata*, Nobili quidem ac florente iis temporibus in Patria sua, sed nunc extincta. Hujus rei testem do ipsum Petrum, qui in eadem Historia ad Annum 1353. haec habet: *Ipso Mense Aprilis defecit visus Domino Sachacino Proavo meo* (an potius Avo?) *qui hactenus scripsit gesta, & nihil ultra scripsit. Erat enim tunc annorum LXXXXI. Eodem Anno ego Frater Petrus filius Domini Franceschini de Gazata coepi amodo scribere quae sequuntur.* Patet ergo, *Sachacinum de la Gazata* scripsisse ad Annum usque 1353. reliqua vero Scriptorem habuisse *Fratrem Petrum de la Gazata* ejus pronepotem. De Sachacino, seu Sachacio, infra sermo recurret. Quod est ad Petrum, ille vix pueritiam egressus inter Monachos Benedictinos Sancti Prosperi Regiensis cooptatus fuit sub Albertino Levalossio Abbate. Audiatur ipse ad Annum 1348. *Die primo Novembris Dominus Albertinus Abbas Sancti Prosperi recepit in Monachos suos Fratrem Petrum filium Domini Franceschini de Gazata, qui in processu temporis fuit Abbas dicti loci* &c. Tum subdit: *Haec scripsi, quia ex eis fui unus minimus.* Sequenti vero Anno 1349. narrat, se, *quum esset quatuordecim annorum*, paene captum fuisse ab inimicis familiae suae in Castro Gazatae, cui Majores sui dominabantur, in agro Regiensi, & cura Franciscini patris sui, Deoque adjuvante, eorum manus evasisse. Monuit ipse Petrus, se tempore procedente *Abbatem Sancti Prosperi* renuntiatum. Hac de re consului eruditionis antiquae, ac praecipue rerum sui Coenobii peritissimum virum Domnum Camillum Affarosium, ejusdem Monasterii Monachum ac Cellerarium, a quo ejusdem Monasterii Historiam sperare jubemur. Rescripsit ille, Petrum de Gazata illic Abbatem constitutum fuisse per Breve Urbani V. Papae, Anno I. Pontificatus, hoc est Anno 1363. Tum Anno 1384. electum fuisse ab Urbano VI. Subcollectorem Apostolicum; ac deinde Anno 1391. Vicarium Generalem assumtum ab Ugolino Episcopo Regiense, & Anno tamdem 1414. postremum diem obiisse, natum annos circiter LXXX. Sepulturae traditus ille fuit in Ecclesia Sancti Matthaei, nunc Sancti Rocchi, quo Monachi ob dirutum a Feltrino Gonzaga Sancti Prosperi Coenobium, uti ad Ecclesiam sui juris, habitatum se contulerant. Ibi adhuc cernitur in pavimento lapis cum effigie sculpta ejusdem Abbatis, & hac Inscriptione, literis in marmoris circuitu scalpro exaratis: *Hic jacet Reverendus Pater Dominus*

noster

noster Petrus de la Gazata, Abbas Monasterii Sancti Prosperi inferioris de Regio. Qui promotus fuit MCCCLXIII. Mense Aprilis die XVII. Obiit autem die XVI. Februarii MCCCCXIV. En ectypon ejusdem Sepulcri.

Chronicon autem Patriae suae *Sachacinus* ab ipsis fortasse Romanorum temporibus ad sua usque tempora deduxisse videtur. Ejus quippe pronepos, sive nepos Petrus ad Annum 1353. de ipso suo Proavo ita scribit: *Hanc Chronicam perdidi tempore spoliationis bujus Civitatis* (hoc est Anno 1371. sub Feltrino Gonzaga) *& ipsam recuperavi* 1382. *excepto quod desunt gesta Atilae, & Eccelini de Romano, & Regis Conradini, & alia plura, quae ordinate scripserat*. Iis vero, quae Sachacinus literis mandavit ad Annum usque 1353. Petrus ipse nonnullas addidit adnotationes, quales videre est ad Annum 1349. & 1351. Ex eodem quoque Petro habemus, Sachacinum ipsum per aliquot annos exulem e Patria fuisse: quae caussa fuit, ut quaecumque eo tempore acciderunt, ipse postea ut potuit, ac brevius quam reliqua, papyro commiserit. Sed neque praetereundum, Guidonem Pancirolium, celeberrimum eruditione sua virum, ac Civitatis Regiensis grande ornamentum, Historiam Patriae suae ab Urbis exordio ad sua usque tempora eleganti stilo, & copioso rerum apparatu concinnasse, quae calamo exarata in Estensi Bibliotheca, & apud Regienses nonnullos, nondum evulgata, habetur. Pancirolio ipsi praesto fuit hocce Chronicon, cujus in Praefatione meminit his verbis: *Primus quidem Sagacius Mutus, cognomento Gazadius, non pauca suorum temporum usque ad Annum humanae salutis MCCCLIII. quo jam nonagenarius oculos amisit, non penitus inutili Historia composuit. Quam postea Petrus ejus Nepos, insigni religione ac doctrina Monachus, continua aliquot annorum serie est prosecutus*. Audiendus est praeterea idem Pancirolius ad Annum 1318. ubi compendiose refert nonnulla ex hisce Gazatarum Historiis depromta. Loquitur de Cane Grandi Scaligero, Veronae Regulo, qui bellica virtute, munificentia, & animi magnitudine, omnes ferme sui temporis in Italia Principes superavit. Inter cujus virtutes non illa postrema est, quod omnibus felicioris ingenii viris, & cunctis Nobilibus domo profugis, liberaliter hospitium praebebat: *Et inter alios*, inquit Pancirolius, *Sagacium Mutum Gazadium Regiensem, literarum elegantia (ut illa ferebant tempora) satis eruditum, humaniter excepit. Qui postea ejus hospitalis disciplinae rationes, diversarumque coenationum & cubiculorum sumtus & ornamenta diligenter descripsit. Suas enim variis hominum generibus habitationes assignatas, & affluentes victus impensas, pro hominum conditione factas, ac suos quibusque diverso cultu ministros datos fuisse meminit. Proprios etiam titulos singulis diversoriorum januis praescriptos, veluti triumphos victoribus, bonam spem exulibus, Musarum umbracula Poëtis, Artificibus Mercurium, religiosis Concionatoribus Paradisum, aliaque cuique hominum generi congrua pro hospitiis depicta fuisse memorat. Musici concentus, festivique sanniones, & jocula li mariones alterna varietate coenationes circumibant; cubicula quoque splendidissima instructa aulaeis, quae instabilis fortunae argumenta continebant, & picturis mirifice exornabantur. Canis ipse mensam suam aliquibus interdum communicans, Guidonem a Castello Regiensem, qui ob sinceritatem Simplex Longobardus vulgo vocabatur, & Dantem Aligerium (hominis ea aetate clarissimi, ingenio delectatus) saepius vocare consueverat*.

Haec memorare placuit tamquam jocunda auditu, ut hinc pateat, barbara illa tempora magnis quidem vitiis abundasse, sed ne magnis quidem virtutibus destituta fuisse; simulque ut ex Pancirolio Lectores habeant, quae ejus aetate in Gazatarum Historia legerentur, nunc vero frustra ibi quaeruntur: deperdita nempe vix post unum ab ipso Seculum, & injuria temporum excisa. Sed iterum dignus est Pancirolius qui audiatur, quando jam ex hac Historia interciderunt, quae ipse olim sub oculis habuit. Narrat ille ad Annum 1371. horrendam Regiensis Civitatis direptionem sub Feltrino Gonzaga a Comite Lucio Lando Societatis Germanicae ductore patratam, atque inter cetera haec memoriae prodit: *Petrus Mutus, ex Francisco Sagacii Nepos, qui hanc Historiam accurate explicuit, novem diebus se in arce magno cum incommodo & animi anxietate fuisse scribit; inde omnibus bonis denudatus, clam effugit Parmam. Profectus ibi tamdiu se continuit, donec Barnabos Regium accepit. Postea reversus, omnibus Divi Prosperi Coenobitis Fratribus dispersis, solus ad Divi Matthaei hospitium se contulit, ubi ablatis lectis, super tegetibus & foeno cubare coactus est; & quum cibo careret, a Virginibus Minoritis per aliquot dies educatus, tandem aliis paulatim redeuntibus, quum mensae deessent, super Templi ara comedit. In ea direptione duo Chronicorum volumina amisit ad eorum exemplum conscripta, quae Guido a Bagnolo ipsius Consobrinus composuerat. Is est Guido Medicus, qui Collegium studiosorum Regiensium Bononiae instituit*. Ceterum quamquam nunc adeo attritae prodeant Gazatarum Historiae,


US·FUIT·MCCCLXIII·MENSE·APRILIO·DIE·
Tom. X VIII. pag. 2.

ſtoriae, quae tamen fragmenta ſuperſunt, libentiſſime ſunt accipienda. Iis quoque uſus eſt Fulvius Azarrius Civis Regienſis ad contexendum ſuae Patriae Chronicon civile & Eccleſiaſticum, quod in Eſtenſi Bibliotheca exſtat MStum, dignum ſane quod publica luce donetur. Quid? quod & haſce Hiſtorias ante duo Secula ſibi conquiſivit, & in honore habuit Bernardinus Corius, inſignis Mediolanenſium Hiſtoricus. Sunt ejus verba ad Annum 1353. *Scrive Pietro Gazata genito di Franceſco, che nel medeſimo meſe Sagacio ſuo Avo paterno, Scrittore di veduta di molte coſe narrate per noi, di età di novantun' anno per la gran vecchiezza, rimaſe della viſta privato. Il perchè eſſo Frate Pietro di preſente incomincerà a notare, e con più diligenza potrà, quello che nel ſuo tempo intervenne*. Tum ejus Annalibus, qui ſibi ad manus erant, uti pergit. Antea quoque ad Annum 1329. ſcripſerat: *E dice Sagacio Gazata, Cittadino di Reggio, Scrittore delle coſe, che occorrevano in quei tempi, aver più volte veduto lo Scaligero far coſe grandiſſime della ſua perſona*. Itaque Mediolani fuit hujus Chronici exemplum aetate Corii; ſed ejus veſtigium in ampliſſima Civitate nunc nullum, quod ſciam. Utinam, ſi alicubi latet, illud efferat dies in Eruditorum commodum.



CHRONICON
REGIENSE
IN PRINCIPIO MUTILUM.

. . . . Eo anno . . . . . . propter discordiam Cardinalium . . . . . . MCCLXXII. D. Tiverarius . . . . . . IV. Martii obiit Rex Henricus filius quondam Federici . . . . . . honore maximo in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, & imbalsamatum . . . . . . Eodem mense obiit D. Octavianus Cardinalis . . . . Eodem anno Fratres Minores Rhegium . . . . . . magna quantitate pecuniæ; & expulsis multis familiis violenter ex eis amplificav . . . . . . runt novam viam, & rectam, eundo ante Ecclesiam Sancti Jacobi. Eo anno de mense . . . . . . Bononienses cum suis amicis fecerunt concorditer statutum veniendi contra Mutinenses, & sculpserunt . . . . . . in Palatio Communis; Ita quòd Capitaneus, & Potestas semper hunc lapidem videbant . . . . . . statuta Communis, scilicet, venire contra Mutinenses; & Populus etiam hoc sibi annuntiabat. Et hoc . . . . . . momento, quia volebant omnia, quæ tenebant Mutinenses ultra Scoltennam. Quod sentientes . . . . . runt amicos suos, unde Cremonenses miserunt centum milites cum tribus equis pro quolibet. Parmenses . . . . . . & multos milites equites. Rhegienses etiam milites, non pro Communi, sed Nobiles, & Potentes volentes honorem acquirere, cum eis duxerunt octingentos pedites, quando Bononienses volebant venire contra Mutinenses, de Montibus Rhegii. Habuerunt etiam auxilium à Ferrariensibus. Bononienses duxerunt Carrocium in Platea, quando debebant venire contra Mutinenses, & tunc fuit magna contentio inter Bononienses, quam alibi . . . . . . pro suis habet, quia pars de Cerniis nolebat venire contra Mutinenses. Eo anno ultimo Maji obiit Do- A minus Gerardus de Robertis, & sepultus est in Monasterio Sancti Prosperi die primo Junii in Vigilia Ascensionis, ubi est sepultura ipsorum post . . . . . . juxta Turrim; Nam sepultura illorum de Sesso est ab alia parte . . . . . .

Eo anno D. Otoleus de Rubeis de Florentia fuit vocatus per partes Civitatis Rhegii. Eo anno D. Gulielmus de Luisinis Monachus Canossæ factus est Abbas S. Prosperi per D. Legatum, qui erat Placentiæ, & positus fuit in Cathedra die III. mensis Julii, in cujus maximo convivio fuerunt omnes B Clerici, & Regulares, & omnes boni homines dictæ Civitatis Rhegii. Et tunc domus de Luisinis erat in magno statu, nam erant ex illa quinque equites, & hic Abbas, qui fuit bonus, & Catholicus, & pulcherrimus homo, atque honestus.

Et die II. exeunte Julio obiit D. Bonifacius de Canossa, & die X. mensis Novembris fundatum fuit Palatium novum Communis Rhegii.

MCCLXXIII. die IV. Martii obiit Dominus Guidocarus de Robertis, & sepultus est in domo Fratrum Minorum. Hic fuit primus, per quem remota est sepultura Robertorum de S. Prospero, & D. Robertus de C Robertis erat tunc Potestas Florentiæ per Regem Carolum. De mense Februarii, & Martii Commune Rhegii dedit auxilium illis de Flisco de XXV. equitibus cum tribus equis pro quolibet contra Januenses per unum mensem. Eo anno II. Maji idem dedit auxilium Bononiensibus contra Furlivenses de XV. equitibus cum tribus equis pro quolibet, & L. balistariis, qui equites & balistarii fuerunt de potentioribus, & melioribus Communis Rhegii solutis pro Communi. Et die XX. Maji D. Odoardus Rex Angliæ trans-

transivit per Rhegium eundo in Angliam, & die VI. Junii Imperator de Herberia fuit mortuus gladio juxta dictum Castrum. Et eo anno de mense Julii D. Papa, & Rex Carolus tenuerunt Florentiam, & fecerunt pacem inter Guelfos, & Gibellinos. Et eo anno IV. die exeunte Sept. Papa venit Rhegium, & hospitatus est in Monasterio Sancti Prosperi, & non intravit Civitatem, & donavit Sacristiæ unum Pallium laboratum de Nativitate Christi. Sequenti die recessit vadens ad Concilium, quod ordinaverat Lugduni supra Rhodanum in mense Decembri proximè sequenti. Et pars Ecclesiæ Novariæ fecit pacem cum alia parte, quæ erat extra, & ipsam in Civitatem reduxit, & deposuerunt à dominio illos de Turre de Mediolano, qui dominabantur Novariæ. Et statim Mediolanenses moverunt bellum contra Novariam; & Rhegini miserunt in servitio Mediolanensium XXV. equites cum tribus equis pro quolibet, & soluti sunt per Commune Rhegii pro uno mense.

MCCLXXIV. de mense Maji Commune Rhegii cœpit facere Navilium novum per Clausuras Rhegii à secundo stratæ Regalis extra Portam S. Crucis. Et die II. Junii pars Lambertinorum expulsa est ex Bononia, & multæ domus in Bononia combustæ sunt, & maximæ deplorationes factæ sunt intus, & extra. Sed alibi plenius dicam.

Eodem anno completum est Palatium novum Rhegii, & in eo factum est Concilium generale, & ibi deliberatum est de facienda Fera in Campo Communis extra Portam S. Petri, & ita factum est. De mense Novembris venerunt Hispani in maxima quantitate Januam, & Papiam contra statum Ecclesiæ, & totius Lombardiæ. Et D. Guielmus de Pusterla, & multi alii equites expulsi sunt extra Mediolanum. Et in die S. Silvestri Guido de Luisinis in platea Rhegii verberavit pugno vultum Guidonis de Canossa, ex eo quòd F. Lupus de Luisinis frater ipsius Guidonis, qui Monachus erat Canossæ, collegerat fictus Monasterii prædicti in Festo S. Stephani, & iste de Canossa voluerat fictus dictos accipere, quos dare Monachus denegavit . . . . conquestus fuit suis fratribus quod . . . . . . & non ausus stare in dicto Monasterio . . . . ubi finivit vitam. Fuit autem homo magnæ staturæ . . . . fuit masculus de Gazata; nam quodam die . . . . . . volentes ulcisci se de Luisinis miserunt Rhegium duos homicidas per portam . . . . super duobus equis, dumque transirent apud Porticum de Luisinis, erant ibi . . . . transeuntibus nova dicebant, & cùm Dominus Sinibaldus vellet hos infog . . . . traxit ensem, & voluit ipsum percutere, sed quia porticus catenis ferreis cingebatur . . . . . . per portam S. Stephani exierunt illæsi.

MCCLXXV. de mense Januarii Hispani, & Novarienses . . . . qui est inter Medullum, & Novariam, & in ipso Ponte capti sunt multi homines, & de mense . . . . Bononienses in districtum Faventiæ, & ibi per Faventinos, & Malatestas de Arimino . . . . vituperosè. Et D. Nicolaus Bacilerii, D. Henriguccius de Galuccis, D. Sarasinus de . . . . & plures Bononienses ibi mortui sunt captique sunt de Rhegio D. Joannes Rossellus de Robertis, D. Princivalis de Menocio, D. Guido Ugonis, D. Nicolaus Filippi Avventi, qui erat Judex Potestatis Bononiæ, prædicti mortui sunt in dicto prœlio, & multi Balistarii de Rhegio mortui sunt, & Struphus de Struphis captus est, & ductus Faventiam. Eodem anno de mense Septembris Pisani profligati sunt à Lucensibus, & XVII. dicti mensis Episcopus Ferrariæ Legatus Papæ in Lombardia, & D. Cancelerius Comitis Rodulfi electi Imperatoris venerunt Rhegium, quibus tota Civitas obviavit cum lætitia, & triumpho cum vexillis usque ad Episcopatum Parmæ. Et in platea Rhegii erant omnes Rhegienses, qui juraverunt servire Ecclesiæ, & juraverunt Fidelitatem Imperatori. Postea iverunt Mutinam; & hoc juramentum fecerunt Mediolanenses, Cremonenses, Placentini, Cremaschi, Laudenses, Parmenses, & aliæ Civitates, quæ erant de parte Ecclesiæ. Et de mense Novembris empta fuit domus filiorum D. Petri Indusiati per Commune Rhegii, & Casamentum Prosperi Abbatis, & amplificata fuit ibi via Communis eundo per directum ad tripudium Robertorum.

MCCLXXVI. de mense Martii mercatores coacti fuerunt ire ad standum in Palatio novo Communis Rhegii. Et de mense Julii D. Otobonus factus fuit Papa, & fortè vixit duos menses. Et de mense Decembris D. Archiepiscopus Mediolanensis cum exulibus Mediolani intravit Comum, & expulit partem Turrianam, & magna mortalitas hominum, & bestiarum facta est eo anno.

MCCLXXVII. de mense Januarii Archiepiscopus Mediolanensis cum exulibus, & Relegatis exilio intraverunt Mediolanum, & expulerunt illos de Turre, & plures ipsorum occiderunt, multosque ceperunt, quidam fugerunt Cremonam. Eo anno omnes domus de Portiolo fuerunt combustæ suo igne de mense Maji. Eo mense cœpit morbus Rhegii, & tunc statutum est, ut non pulsentur campanæ, nec mortui præconizentur, nec plorentur, & quod mulieres non sequantur ad Ecclesiam corpora. Et tunc frumentum valebat solidos VIII. Imperial. & faba solid. XX. Resanorum. Eo anno fuit occisus ab homicidis D. Mastinus de la Scala Dominus Veronæ, cui successit Dominus Albertus de la Scala. Eo anno maximus morbus fuit Rhegii. De mense Julii mortuus est Dominus Ugolinus de Foliano die VI. & sepultus fuit ad S. Spiritum. De mense Augusti Rhegienses iverunt ad obsidendum Bismantuam propter mala opera Nobilium de Bismantua, & habuerunt de concordia; & venerunt sub obedientia Rhegii, & Rhegienses posuerunt custodes, & die XX. Augusti multi exules & latrones Mutinenses, Parmenses, Cremonenses, & Rhegienses numero CXLIII. intraverunt Guastallam, & habuerunt, percusseruntque Potestatem; sed illi, qui erant extra Castrum intraverunt Castrum per vim, & ceperunt omnes; quorum XVIII. statim occisi sunt, deinde suspensi, alii ducti sunt Cremonam, & ibi sunt suspensi, & multi de Civitate exulaverunt propter hanc causam. Eo anno Commune Cremonæ fuerunt concordes, ut Rhegienses clauderent Talentam super

super Episcopatum Cremonæ, & fuit de mense Decembris. Tunc D. Azo de Manfredis erat Potestas Cremonæ. Et post duos menses revocarunt Cremonenses, ut Rhegienses non possent claudere, & si quid fieret, destrueretur ab ipsis; & sic factum est, & constitit Communi Rhegii ad claudendum decem millia libr. Resanorum & plus brachia.

MCCLXXVIII. de mense Januarii Populus Rhegii decrevit claudere Talentam super suo Episcopatu juxta Brugnetum, & expendit ultra libr. decem millia Resanorum, & tamdem opere imperfecto crevit aqua, & totum diruit. In mense Maji venerunt Mantuani ad Castrum Gonzagæ, & ceperunt contra voluntatem Comitum de Casalolde, & aliorum, qui erant extra Mantuam, & destructa tunc fuit. De mense Junii venerunt Mediolanenses cum suis amicis circum Laudem, & destruxerunt blada omnia virentia. Tunc Commune Rhegii misit in subsidium Laudensium L. milites; Parmenses etiam, & illi de Turre, qui tunc erant extra Mediolanum, dederunt auxilium. Eo anno Consules Artium Civitatis Rhegii fecerunt Capitaneum D. Ugolinum de Rubeis de Parma, & hic fuit primus Capitaneus Populi dictæ Civitatis. Eo anno illi de Bismantua ceperunt furtivè lapidem Bismantuæ Communi Rhegii, & banniti sunt tamquam exules, & proditores Communi Rhegii.

MCCLXXIX. de mense Martii illi de Banzola, & de Gorzano, acceperunt lapidem Bismantuæ illis de Bismantua, & dederunt Communi Rhegii pro libris mille Resanorum, & per Commune prædictum destructus, & dirutus fuit dictus locus in quantum potuit. Et statim de mense Maji illi de Bismantua ascenderunt, & ipsum reædificaverunt in opprobrium Communis Rhegii; & sine mora Populus Rhegii misit suas copias illuc, & ipsum locum de concordia habuerunt. Eo anno de mense Octobri Fratres Prædicatores de Parma occasione cujusdam Fœminæ hæreticæ, & per eos condemnatæ ad ignem, expulsi sunt a Populo Parmæ extra Urbem, & plures ex ipsis Fratribus occisi sunt, & aliqui vulnerati. Eo mense Girardinus de Bismantua, & Pinellus ejus Frater, & banniti Communis Rhegii capti sunt ab hominibus de Busana, qui ducti Rhegium decapitati fuerunt. Eodem mense Lambertacii redierunt Bononiam pace facta per Papam, & suum Legatum. Et die X. exeunte Decembri pars Lambertaciorum cepit Sturmum cum Cerniis in platea Bononiæ. Finaliter Lambertacii fuerunt expulsi ex Bononia.

MCCLXXX. de mense Martii & Aprilis facta fuerunt fundamenta Palatii Populi Communis Rhegii, & Parmenses cœperunt facere unum Castrum inter Rhegium, & Parmam; & de mense Julii fuit primò facta Campana Communis Rhegii. Eo anno die XII. Novembris Bononienses cum suis amicis ceperunt Faventiam proditione Thebaldi de Faventia; qua de causa equitaverunt Mutinenses, Rhegienses, Parmenses, Faventiam. Eo anno de mense Octobris fuit quæstio, & discordia decimarum inter Clericos Rhegii, & Populum; quamobrem Episcopus excommunicavit Populum Rhegii, Capitaneum, & Potestatem; sed plus se impedivit in hoc Capitaneus, quàm Potestas & Milites; & Rhegii non pulsabantur Campanæ nisi Communis. Tamen Populus Rhegii ordinavit, quòd nemo subditus Jurisdictionis Communis Rhegii non auderet stare in domibus, apothecis, Molendinis, Mezadriis Clericorum, nec cum illis loqui, nec stare, nec conversari quocumque modo, nec vendere, vel emere cum eis. Et sic conati Clerici fecerunt pactum Populo Rhegino, quòd unusquisque solveret id quod vellet, & quod nollet non solveret; & hoc tam in Episcopatu, quàm in Civitate Rhegii.

MCCLXXXI. D. Bacelerius de Baceleriis de Bononia fuit Capitaneus Comunis Rhegii, & fuit primus Capitaneus, qui venit ad standum in Palatio Populi. Et suo tempore factus est Pons, sive volta, qui est inter Palatium Communis, & Palatium Populi. Et de mense Maji incœptus est murus inter pontem Levonem, & Sanctum Petrum. Et eo mense die XII. exeunte Majo in Festo S. Salvatoris Mediolanenses profligaverunt Laudenses, & illos de Turre, & occisi fuerunt D. Casellus de Turre, Scurta de Porta Parmensis Potestas Laudi, & plures alii. Eo anno D. Anselmus de Rodurengo de Brixia fuit Capitaneus Populi Rhegii, qui fuit malus pro bonis hominibus; nam suo tempore una cum Potestate ordinaverunt, ut omnes homicidæ, latrones, proditores pro quacumque causa absolverentur ab exilio, & condemnationibus; quod factum fuit per statutum Populi; quod malum fuit pro hoc Populo statutum. Eo anno de mense Decembris Dominus Boxius de Doaria intravit Cremam cum septingentis militibus. Eo anno in Festo S. Catharinæ Episcopus Johannes de Sulconibus consecravit Altaria Apostolorum Petri, & Pauli, S. Catharinæ, S. Ægidii, & S. Martini in Ecclesia S. Petri. Eo anno de mense Decembris consecravit in Ecclesia Fratrum Minorum Altaria S. Mariæ, S. Donini, & D. N. J. Christi.

MCCLXXXII. de mense Januarii D. Bosius de Doaria intravit Soncinum, & Martinengum, & eo anno primo Maji fuit prœlium magnum inter Comitem Romandiolæ, & Bononienses, Imolenses, & Faventinos ex una parte, & Comitem Guidonem de Monte-feltro, & Furlivenses ex altera; in quo prœlio mortui sunt ex utraque parte ultra duo millia hominum; & fuit dictum prœlium in Burgis Forlivii, ut alibi videre poteris. Sed victor fuit Guido de Monte-feltro. Et eo anno de mense Junio Marchio Montis-ferrati cum Alexandrinis, Terdonensibus, Cremonensibus, Mediolanensibus cum Carrocio suo, Papienses cum Carrocio, & cum exulibus de Cremona, venit circa Cremonam. In servitio Cremonensium iverunt Placentini cum Carrocio, & omni suo posse; & Rhegienses milites cum quingentis peditibus; quingenti pedites, CCC. equites de Mutina; milites Bononiæ; & centum milites de Ferraria; de Brixia totus equitum, & peditum exercitus; & steterunt ibi sex septimanas & ultra. D. Gerardus Boliardus fuit factus Potestas Cremonæ, & D. Marchio cum toto exercitu se removit ab obsidione propter hunc inimicorum exercitum, nec ausus est cum eis prœliari. Et tunc erat Potestas Rhegii D. Na-

D. Nazarius de Nazariis de Bononia homo spoliator bonorum Communis Rhegii, & malus in omni . . . . .

Eo anno de mense Augusti facta fuit pax inter Cremonenses, & Mediolanenses, hoc pacto, ut à neutra parte debeant suscipi exules, nec proditores alterius partis. In mense Novembris Cremonenses recuperaverunt Sulcinum per proditionem, & D. Bosius quasi captus; sed plures ex suis capti sunt. Et eo anno mense Octobri Dominus . . . . . Bartholinus de Foliano, Rondanella de Tocculis facti sunt equites per D. Lanzonum.

MCCLXXXIII. die quinto exeunte Aprili obiit D. Ludovicus Comes Veronæ in Civitate Rhegii, & sepultus est in domo Minorum impensâ Communis honorificè, & constitit impensa libras C. quinquaginta Resanorum, & fuit homo probus pro facto Decimarum pro Populo. Et eo anno die V. exeunte Augusto obiit D. Guilielmus de Foliano Episcopus Rheginus, & sepultus est in Ecclesia Majori. Hic fuit homo bonus, & honestus, quales sui non sunt similes. Die XIII. exeunte Octobri D. Gerardus de Bojardis Archipresbyter de S. Faustino, & frater ejus fuerunt . . . . . . gladio desuper Herberiam in campanea per Mancinum, Zifredinum, Simonem fratres, & filios Domini Thomasini de Grassis de Herberia in vindictam.

MCCLXXXIV. Dominus Barnabas de Palestellis de Placentia fuit Potestas Rhegii, & malus homo fuit, seminator discordiæ in Populo Rhegiensi, & Mutinensi. Eo anno die II. exeunte Julio expulsi sunt de Mutina illi de Savignano, & de Sassolo à Boschertis, & Rangonibus, qui cum suis, & Mutinensibus militibus iverunt Sassolum, & ab illis de Sassolo profligati sunt, & Savignano; & mortui, & capti sunt ultra CCCC. & hoc fuit die VII. Augusti.

Eo anno D. Tobia de Rangonibus fuit Potestas Rhegii, & quia non erat sufficiens, post duos menses est privatus officio, & satisfactum est ei pro sex mensibus. Eo anno die XIX. Septembris Mutinenses Intrinseci profligati sunt prope Columbarium, & multi mortui, multique capti Populi Mutinæ ab illis de Sassolo, qui erant extra Mutinam.

MCCLXXXV. de mense Januarii mortuus est Rex Carolus.

MCCLXXXVI. die V. Aprilis D. Guido de Bianello, & Frater ejus Bonifacius mortui sunt gladio per Scarabellum de Canossa, & Azolinum filium D. Guidonis de Albareto.

Eo anno de mense Julii in Pentecoste Bonifacius Bojardus cum illis de Bismantua, & aliis banditis de Rhegio, & Mutina, proditione duorum Monachorum intraverunt Monasterium S. Prosperi, ut occiderent D. Guielmum de Luisinis Abbatem, qui se dejecit ex quodam cancello in Brolum, & venit cum uno famulo ad murum Civitatis, & sic evasit; & omnia bona Monasterii, & maximè Sacristiæ, asportaverunt Herberiam; & hoc quia inimici erant Luisinis. Dictis verò duobus Monachis per Abbatem gratiâ restitutâ, collata est Ecclesia Pratis fontanæ; & cùm post tamen semel à Monasterio exissent, occisi fuere in Mancassali per Luisinos; unde in ipsorum vindictam Bojardi occiderunt Johanninum de Mutis Abbatis consanguineum in Situla prope Macretam, dum mitteretur Pistorium per dictum Abbatem; & sic uno inconvenienti dato, plura sequuntur. Eo anno illi de Savignano, & de Sassolo redierunt Mutinam facta pace per Parmenses. Et die V. exeunte Novembri facta est pax inter Luisinos, & Mutos ex una parte, & Boliardos, Roglerios, & Flordebellos ex altera parte.

MCCLXXXVII. die VIII. Aprilis illi de Foliano, & D. Præpositus Carpineti cum D. Francisco de Foliano fratre suo, & filiis scilicet Domino Simone, Bucelino, & Pancerio ex una parte, omnes cum suis amicis expulerunt illos de Canossa, qui se reduxerunt in Gipsum Crustuli, & Castrum Canossæ, & Bismantuæ. Et Bernardus de Gipso de Malapressis dedit eis arcem . . . . barcham, quæ obsessa fuit per Populum Rhegiensem diebus XIII. Et tunc Ambasiatores de Bononia venerunt ad dictam arcem sic obsessam, & pacem fecerunt inter Intrinsecos, & Extrinsecos, quæ pax non duravit propter sententiam malè datam à Bononiensibus.

MCCLXXXVIII. de mense Julii omnes milites Rhegii, & centum milites Mutinæ cum duobus quarteriis Rhegii iverunt ad Castrum Montis-Cauli; sed Rhegini Extrinseci, qui erant in Mozadella, & in Gipso Crustuli, & ipso Monte-Cauli, profligaverunt Rhegienses, & ex his multos occiderunt, & quosdam ceperunt. Eo anno Rhegini Intrinseci non potuerunt habere Potestatem, & fecerunt Potestatem Guielmum Catellanum ductorem XL. militum. Et in Festo S. Michaëlis Septembris venit Judex Potestatis Parmæ, & miles Capitanei Parmæ Rhegium, & acceperunt dominium Rhegii vice Communis Parmæ, Cremonæ, & Bononiæ, in quibus Communibus dictarum Civitatum, & Syndicis eorum arbitris, pars Ecclesiæ Rhegiensis intus & extra compromiserunt secundùm sententiam, qui dederunt nobis pro Potestate D. Matthæum de Corrigia, & pro Capitaneo D. Puncinum de Punzonibus de Crema; & omnes de parte Ecclesiæ, qui erant extra Rhegium, intraverunt die IX. Octobris.

MCCLXXXIX. D. Marchio de Este, qui dicebatur Opizo, habuit Dominium Mutinæ pro se, & suis heredibus à Mutinensibus. Eo anno Commune Bononiæ misit Rhegium in Potestatem D. Torellum de Torellis; & Commune Parmæ pro Capitaneo D. Andream de Mariano. Et de mense Julii D. Matthæus, & D. Puncinus fecerunt fieri pacem inter Commune Rhegii partis Ecclesiæ ex una parte, & illos de Bona, de Mantua, de Sesso, ex altera parte cum suis amicis, & illos de Canossa, qui . . . . . erant unum cum illis de Sesso. Eo anno die XVII. Augusti fuit quidam rumor in Civitate Rhegii, ob quod Populus armis sumtis cepit omnes Nobiles; & per Potestatem, & Capitaneum ducti sunt in carcerem Parmæ, & ibi multos . . . . steterunt, sed postmodum tractatu Bononiensium, Parmensium, & Cremonensium facta pace redierunt Rhegium, quæ pax duravit usque ad diem XVII. Decembris, quo die incœptus est furor inter illos de Canossa, & Præpositum Carpineti ex una parte cum suis ami-

amicis, & illos de Foliano, de Robertis, de Manfredis, & amicis suis ex altera; & hora vesperarum . . . . . ante horam matutinam omnes de Foliano fuerunt expulsi cum suis & iverunt Herberiam, ad Sanctum Martinum, & . . . . . olum. Et tunc illi de Sesso, qui erant exules, redierunt Rhegium de concordia illorum de Canossa, qui tenebant Civitatem.

MCCLXXXX. in mense Januario per illos de Sesso, & de Canossa data est Civitas Rhegii D. Opizoni Marchioni Estensi, qui D. Marchio statim introduxit expulsos per illos de Canossa, & hoc fuit MCCLXXXX. de mense Januarii, quo Millesimo & mense . . . . Junii, & Julii multæ personæ se signo Crucis signarunt, ut irent ad Civitatem Acriæ contra Infideles . . . . Eo anno die X. Septembris Frater Guielmus de Bobio Ordinis Minorum factus est Episcopus Rhegii, & . . . . Rhegium eo die.

MCCLXXXXI. de mense Maji facta est pax Veronensium, Mantuanorum, Ferrariensium, Mutinensium, & Rhegiensium per Marchionem Estensem, Albertum de la Scala, & Pinamontum de Bonacursiis. Eo anno, & mense Christiani, qui fuerant ultra mare, profligati sunt, & quasi omnes mortui ab Infidelibus Turcis, & Civitas Acriæ destructa est per Saracenos propter peccata, quæ ibi vigebant. Eo anno obiit D. Johannes de Leulosis pater D. Sachazini de mense Augusti. Et eo anno de mense Octobris D. Bardellonus filius D. Pinamonti accepit Civitatem Mantuæ Patri suo, & D. Tayno fratri suo, quem in compedibus custodire faciebat in carcere.

MCCLXXXXII. die XX. Februarii obiit Opizo Marchio Estensis, cui successit Azo ejus filius. Huic data fuit Civitas Rhegii in Consilio generali in perpetuum. Et in mense Augusti D. Thobia, & D. Lanfrancus de Rangonibus fuerunt banniti per D. Marchionem, & destructæ sunt eorum domus in Mutina, & eorum amici confinati sunt. Et valuit starium frumenti solidos XX. Imperiales.

MCCLXXXXIV. de mense Aprilis equites, & pedites Rhegii iverunt in subsidium Marchionis ad obsidendum Berbugium, & Veneti contra Patavium, & ibi steterunt duos menses; & facta est pax inter ipsos per Patriarcham Aquilejensem. Et in Festo omnium Sanctorum D. Marchio factus est eques per D. Gerardum de Camino in Civitate Ferrariæ, ubi fuit grandis Curia. Et eo die D. Marchio fecit equites D. Palmerium de Sesso, & Gulielmum de Canossa. De mense Octobris & Novembris fuit maxima pluvia, ita quòd Padus, & alia Flumina maximum fecerunt damnum Cremonensibus, Mantuanis, Ferrariensibus, & multæ Villæ de his Civitatibus sunt submersæ. Eo anno in Festo Sancti Martini D. Albertus de la Scala fecit Curiam magnam in Verona, & factus est eques. Et eo anno currus vini fuit venditus pro quinque solidis Imperialibus, & libra grossa carnium pro decem denariis Resanis. Eo anno emptæ sunt pro Communi domus de Foliano, & Beccariæ, & domus, quæ erant circa plateam.

MCCLXXXXV. de mense Augusti Episcopus Parmæ fuit expulsus extra Urbem Parmæ cum parte sua, & ivit Ravennam, & ibi factus est Archiepiscopus. Eo anno Brisienses expulerunt unam partem, quæ volebat tradere Brisiam in manus illorum de Turre, & aliqui relegati sunt in exilium in Alamannia, aliqui in Apulia, aliqui per Marcham. Eo anno die XIII. Decembris Populus Parmæ currit in plateam cum armis, & expulit partem Episcopi, quæ pars cum Abbate Sancti Johannis, qui erat de illis de Mariano unà cum domo sua. Illi de Sancto Vitale, & Henzola insimul acceperunt Coyriacum, & Guardasonum, & cœperunt bellum inferre Parmensibus cum auxilio Marchionis Estensis; aliqui eorum venerunt statim Rhegium.

MCCLXXXXVI. de mense Martii expulsi sunt Colioni ex Bergomo cum suis amicis, & die primo Aprilis Marchio Estensis cum suo exercitu ivit Bazanum, & ipsum reædificavit. Et eo die Menginardus accepit Imolam Bononiensibus. Multi Bononienses capti, & mortui sunt ibi. Eo anno D. Matthæus de Foliano, Bartholinus, & Nicolaus frater ejus unà cum D. Guidone de Tripolis fugerunt de Mantua, ubi steterant sub custodia per Marchionem Estensem; & accepit D. Matthæus Querzolam, Plagnam, Rondanariam, Livizanum, Sanctum Valentinum. Et illi de Rodelia acceperunt etiam multa Castra. Et D. Guido de Tripolis ivit Parmam, & cœperunt omnes isti facere bellum Marchioni. Et tunc in Rhegio capti sunt D. Thomas de Robertis, Gransendonius de Robertis, D. Albertus de Flordebellis, D. Franciscus de Ascheriis, Philippus de Baisio, Johannes de Mandria, Todescus de Taculis, & multi alii amici illorum de Foliano, & de Robertis; & onerati sunt plures currus, ut ducerentur Mutinam; postea ducti sunt in carcerem Ferrariæ. Eo anno XIX. Maji Filii D. Bartholomæi de Montebabulo ceperunt ipsum Oppidum, & sequenti die captus est Pater ipsorum per D. Manfredum de Sassolo Capitaneum Rhegii, & ductus per dictum Oppidum, & ibi filiis cernentibus decapitatus est, quia noluerunt dictum Oppidum tradere in potestatem dicti Marchionis. Eo anno die tertia Augusti in nocte accensus est ignis magnus in contracta Sancti Zenonis, quæ quasi tota combusta est, & duravit tota nocte. Eo anno XXIX. Septembris Bononienses ceperunt Savignanum Mutinensibus. Sex & plures Mutinenses ibi mortui sunt, & capti. Et de mense Octobris Marchio fecit exercitum circa Vignolam; tamen non fuit ausus transire Scoltennam timore Bononiensium. Et de mense Novembris Bononienses venerunt Bazanum cum omnibus suis copiis, & amicorum, & ibi steterunt unum mensem, & obtinuerunt illud contra voluntatem Marchionis. Eo anno V. Decembris Marchio fecit explanari Guardanum, & steterunt ibi Rhegienses quatuor dies ad istud opus; postmodum cum rumore Populi redierunt Rhegium; & tunc mortui sunt XI. plures decapitati, aliqui facti sunt exules.

MCCLXXXXVII. die V. Julii præconizata est pax Rhegii inter de Foliano, & Robertos ex una parte, & Marchionem, & Rhegienses Intrinsecos ex alia parte,

MCC-

MCCLXXXXVIII. de mense Februarii Marchio fecit incipi Castellum suum apud Portam Sancti Petri cum magnis fossis, & pluribus turribus. Et eo anno de mense Julii Cremonenses ceperunt suum Capitaneum, qui erat de Sancto Miniato, & unum suum Judicem, unum de Avegagnis, & unum de Natalis de Cremona, & omnes decapitari fecerunt, quia volebant dare Cremonam D. Alberto de la Scala, & D. Bardellono de Mantua.

MCCLXXXXIX. die XV. Januarii mortuus est D. Guido de Corrigia. Eo anno facta est pax inter Bononienses, & Marchionem Estensem. Eo anno die V. Junii Marchio ivit Cremonam cum magno exercitu in auxilium Papiensium contra Mediolanenses. Eo anno die primo Julii D. Botesella de Bonacursiis auxilio Veronensium accepit dominium Mantuæ pro se, & expulit D. Taynum, & filios D. Bardellonis. Eo anno obiit D. Azo de Manfredis, & recuperata est Hierusalem, & aliæ plures terræ cum maxima occisione Infidelium per Christianos.

MCCC. fuit annus Jubilæi sub Papa Bonifacio VIII. Gentes ex omni parte Mundi Romam iverunt, ut plenariam consequerentur remissionem suorum delictorum, & Romæ stabant quindecim dies. Eo anno obiit D. Rolandinus de Canossa die XIV. Januarii. Eo anno de mense Junii D. Marchio dedit Dominam Beatricem sororem suam D. Galeatio filio D. Maffæi de Vicecomitibus Capitaneo Mediolani, & eo mense plures Nobiles Mediolanenses iverunt Mutinam ad accipiendum dictam Dominam Beatricem cum maximo honore, & ibi facta est magna Curia, & facti sunt equites Scarabellus de Canossa, & D. Guielmus de Foliano. Et eo anno fuit morbus maximus ubique bestiarum, & maximè boum, unde arabant cum equis & asinis.

MCCCI. die primo Maji venerunt D. Gibertus de Corrigia. D. Ugolinus de Rubeis Rhegium cum multa gente, & fecerunt parentelam cum Marchione Estensi. Nam D. Ugolinus dedit filiam in uxorem filio D. Gerardi de Camino, & D. Gibertus de Corrigia habuit pro se unam de illis de Camino. Eo anno de mense Junii venerunt Mediolanenses circa Bergomum, & obtinuerunt procuratu Collionorum. Eo anno de mense Julii D. Carolus sine terra frater Regis Franciæ venit Rhegium vadens in Siciliam auxilio Regis Caroli. Et eo anno tertia die Septembris obiit D. Guielmus Episcopus Rhegii.

MCCCII. die XIII. Junii D. Albertus Scotus cum Papiensibus, Cremonensibus, Laudensibus, Bergomensibus, Cremanis, & Comensibus, pars scilicet extrinseca de Bergomo, iverunt Mediolanum, & per vim obtinuerunt, & ceperunt D. Maffeum, qui erat ad campum in campanila Montiæ. D. Galeatius filius ejus fugit extra Mediolanum cum militibus, quos habebat.

MCCCIII. obiit Papa Bonifacius VIII., & electus est Benedictus de Vasconia, & Curia Romana translata est ultra montes. Hic fuerunt plures novitates notandæ, quas modò non habeo. Eo anno XVII. Augusti Henricus Episcopus venit Rhegium, qui erat Cremonæ, & factus est Episcopus à Patre motu proprio. Eo anno die XXIV. Julii Parmenses extrinseci intraverunt Parmam de concordia, quia D. Gibertus de Corrigia fecit eos redire contra voluntatem Rubeorum. Et die suprascripta factus est D. Gibertus prædictus Capitaneus Populi Parmæ. Hic incœpit D. Sachazinus de Levalosiis scribere gesta Lombardiæ, qui fuit pater Albertini Abbatis secundi, & fratris Nicolai Prioris Claustri Johannini, Juliani, Johannis, & Nicolai. Hos viventes vidi. Filias verò habuit Dominam Flandinam uxorem Domini Johannini de Albin . . . . ex qua nata est mater mea, & Dominam Agnesinam uxorem Gabrielis de Tenzis, & Dominam Franciscam uxorem Johannis de Cambiatoribus, & alios plures filios, & filias habuit. Vixit annos LXXXV., & filios filiarum suarum vidit; & frater meus, & ego ex illis fuimus, qui jam tempore suæ mortis eramus XX. annorum, & ultra, & homo fuit magnæ virtutis, & constantiæ in tribulationibus suis. Sed sequar incœpta.

MCCCIV. Dominus Albertus Scotus expulsus fuit de Placentia die quarta Decembris.

MCCCV. die XXIV. Aprilis Dominus Franciscus frater Marchionis Estensis exivit Ferrariam cum filiis suis, & dicto mense Marchio Estensis duxit uxorem filiam Regis Apuliæ. Et Dominus Thadæus de Manfredis factus est hic eques; & Dominus Bonifacius de Canossa, & Dominus Thomas de Panzeriis. Et eo anno VII. die Augusti Dominus Gibertus de Corrigia currit ad domos Rubeorum, & eas destruxit in Civitate, & Diœcesi, & confinavit eorum amicos. Et die XIII. Octobris Parmenses fuerunt cum illis de Foliano, & aliis exulibus Rhegii, qui erant Parmæ per Marchionem Estensem super muros Rhegii, & vexilla extensa sunt per eos à porta Castello usque ad pontem Levonem, & Dominus Gibertus erat cum exercitu in campo feræ. Tandem per Intrinsecos sunt expulsi, & recesserunt. Et die VIII. dicti fuerunt in Burgo Sancti Stephani, & combusserunt Turrim, quæ erat super strata propè Sanctum Geminianum, nec aliquem prædabantur.

Eo mense Bononienses habuerunt pontem de Sancto Ambrosio, & venerunt in Burgos Mutinæ. Mutinenses dum exirent ad manus secum, continuò Rainerius de Savignano comitatus suorum multitudine clamavit currendo ad palatium *pax*, *pax*. Cui obviavit Manfredinus de Sassolo cum suis, & eos converterunt in fugam, & dictum Rainerium occiderunt, & capti sunt per Dominum Marchionem Estensem omnes de Savignano, exceptis quatuor, qui evaserunt Bononiam, & se junxerunt cum Guidinello de Montecuculo; & rebellarunt quasi omnia Castella Fregnani; & Plebs de Trebio, & Brandula, & Nonantula, & quasi omnia Castella Mutinensis Diœcesis sunt rebellata Marchioni. Et Dominus Gibertus de Corrigia dux Populi Parmæ erat in liga cum Populo Bononiensi, & Domino Mantuæ, & D. Veronæ.

MCCCVI. die IX. Januarii Parmenses cum Rhegiensibus extrinsecis venerunt cum omnibus suis copiis ad Burgum Sancti Stephani, & ad Burgum Sanctæ Crucis juxta foveas

veas versùs Sanctum Marcum, & volebant per vim ingredi Civitatem fortè CCCC. pedites. Quod videntes milites Marchionis, & Populus Rhegii, exeuntes Civitatem, impetu maximo facto, quasi omnes ceperunt, & verterunt in fugam. Et licentiatus fuit Ugolinus de Sesso, & Archipresbyter Sancti Faustini, & fratres ejus cum tota familia sua per dictum Marchionem. Et die XXVI. Januarii illi de Sesso unà cum Gibellinis Mutinæ, & quasi totus Populus moti sunt ad arma contra dictum Marchionem. Et tunc D. Frescus filius Marchionis cum militibus hoc sentiens currit in plateam, quem Mutinenses ceperunt in Castello Mutinæ cum omnibus suis. Tamdem relicti sunt perdito dominio Civitatis Mutinæ. Et die sequenti summo mane Rhegienses pergunt ad arma, audito quòd Marchio amiserat Mutinam. Milites verò ejus unà cum illis de Canossa, qui soli ex Nobilibus erant intus, cucurrerunt ad plateam. Incœpto prœlio. Populus clamabat: *Moriantur Milites, & habeamus pacem.* Qui Milites ad ultimum versi sunt in fugam, & pluribus occisis intraverunt Castellum Marchionis unà cum D. Jacobo de Persico Cremonensi Potestate Rhegii pro Marchione, qui graviter vulneratus evasit præsidio Castelli. Evasitque secum Dominus Cortesius de Casalolde Vicecomes pro ipso Marchione. Ea die post nonam intraverunt Rhegium illi de Sesso, de Foliano, de Manfredis, de Robertis unà cum Giberto de Corrigia, quos omnes Marchio expulerat. Et prima die Februarii incœperunt Rhegienses diruere Castellum Marchionis cum clamore Populi. Et tunc factus est D. Matthæus de Corrigia frater Domini Giberti Potestas Rhegii; & non habuimus guerram, dum fuit in hoc regimine, nec permisit destrui domos illorum, qui recesserunt, quando Marchio fuit expulsus.

Eo Anno Dominus Neapolio Cardinalis venit Rhegium, & hospitatus est in Monasterio Sancti Prosperi, & omnis populus unà cum nobilibus obviaverunt sibi cum honore maximo. Et tunc maximus fuit rumor in Populo contra illos de Panceriis, qui tunc potentes erant; nam dicebat Populus, illos habere vexillum Populi in domo eorum, quod ipsi negabant: sed non est ulterius processum ad contentionem. Eo anno de mense Octobris Mantuani, Veronenses, Brixiani iverunt, cum magno exercitu in Episcopatum Ferrariæ ad Brigantinum, quod finaliter habuerunt. Et eo anno factus est Abbas Sancti Prosperi frater Albertinus de Levalosiis, qui Monachus erat dicti Monasterii, & fuit bonus homo, & multa fecit in Monasterio illo; nam fecit dormitorium novum cum Capitulo, & duabus partibus claustri, fecit Capellam Sancti Apollinaris, & Crucem magnam, & exegit possessiones de Roncho pro libris 1800. Bononiens. grossorum ab Albertino de Canossa, qui eas tenuerat annos LX. Fecit etiam fieri Palatium novum Abbatum, & plura memoriæ digna. Et servavit in sua familia vitam notabilem, nam decem domicellos partitis indutos vestibus tenebat. Quatuor famulos armatos prope se habebat, quando exibat Monasterium propter inimicitias illorum de Foliano. Duodecim semper equos grossos tenebat in stabulo præter roncinos. Quatuordecim Monachos in Monasterio, & plures aliquando habebat. Possessiones Castri Gualteroli sex extraxit de manibus Domini Scarabelli de Canossa. Et tunc effectus est compater Domini Simonis de Corrigia, cujus filium Cagnolum de fonte levavit in Castronovo Parmensis Diœcesis, & donavit ei unum equum pretio ducentorum ducatorum, ex quibus centum habuit, & centum donavit ei. Abundavit tunc Monasterium bladis; nam collegit anno quodam IX. centum modios frumenti, & alia genera bladorum. In fine colligebat vina etiam ultra modum; nam ex Braida colligebantur quasi singulis annis quinquaginta Currus vini. Omnes possessiones pacificè possidebat, bestias innumerabiles habebat, & præcipuè equas in Vigozoario; & toto mense caseus cum asino colligebatur de possessionibus Monasterii. Et tribus vicibus in Hebdomada dabatur eleemosyna in Monasterio omnibus volentibus, & pro majori parte tres modii frumenti dabantur in Hebdomada in pane cocto absque ferculis. Et erant continuè comedentes panem in Monasterio octuaginta, & ultra. Tamdem inimicantibus ei illis de Foliano, coactus est abire, & ivit in noctis silentio Bononiam, & per D. Hostiensem Legatum de latere factus est Episcopus Coronensis, quo ivit, & post sex menses ibi mortuus est, ut alibi tangetur. Hic decreverat facere murare Braidam Monasterii, non credens, quòd Monasterium deberet ita dirui. Hæc inserui, ut sciatur status antiquus Monasterii, quia omnia audivi ab illis, qui viderunt, & maximè à Pezolo de Gozano, qui ejus Camerarius fuit usque ad mortem ejus Episcopi, & adhuc vivit.

MCCCVII. Venit quædam multitudo gentium Parmensium circa Mozadellam dicentes: *Restituite Castellum Domino Giberto de Corrigia.* Hoc audito Rhegii pulsatis campanis ordinatum fuit, ut miles Potestatis equitaret illud, quod factum est; & invenit, quòd Guielmus de Mozadellis acceperat pro se, & occiderat Guidonem filium Domini Azolini, & filium Zufredini fratris dicti Guidonis de Mozadella, nec ipsam terram voluit dare Communi Rhegii. Eo Anno die XXVI. Martii fuerunt contentiones in Mutina, quia illi de Guidotis ceperant Finale, & fuerunt requisiti omnes Nobiles Mutinæ per Dominum Manfredinum de Sassolo, & detenti. Hoc videns quidam Archipresbyter de domo illorum de Savignano cepit arma, & fecit caput juxta Crucem de la Preta, tamdem fuit profligatus . . . . . . fugerunt Savignani, Rangoni, & Boschetti, & sui, Guidoti verò carcerati remanserunt; tamen . . . . . Rangonus fuit admissus, & Grassoni. Et tunc erat Potestas, & Capitaneus Mutinæ Dominus Bartholomæus de Foliano. Eo anno die XX. Aprilis venit D. Ugolinus de Rubeis de Parma, & D. Lupus de Soragna, & alii extrinseci Parmæ, & quinquaginta milites venerunt in Castrum Gipsi de Crustulo ad standum cum illis de Canossa, die verò XXII. dicti mensis equitaverunt Borzanum, & ibi combusserunt multa, & ceperunt aliquos homines. Et die sequenti facta est liga inter Rheginos, & Dominum Mantuæ, & Dominum Veronæ, & Dominum Gibertum de Corrigia Dominum Parmæ, & extra-

extractum est vexillum Communis Rhegii, & clamatum est Scotum per unum mensem. Eo anno D. Ottobonus de Civitate Castelli fuit firmatus in Potestatem à S. Petro usque ad Circumcisionem. Et D. Guido de Polenta de Ravenna fuit Capitaneus Populi à Kalendis Augusti usque ad Kalendas Februarii. Eo anno D. Albertus Scotus redivit Placentiam cum auxilio Cremonensium. Et die X. Augusti venerunt Brixienses pro Communi ad pontem Vigoni, Veronenses ad Marchariam. Cremonenses hoc audientes iverunt ad Rebechum, Mantuani versùs Cremonam cum navilio suo, & Ganzariis suis, & ceperunt Viadanam, Montemrossum, Portiolum, Casalmajorem, Luzariam, & combusserunt, & multa alia Castella, & Villas, & omnia combusserunt super Padum, & Ganzariæ suæ iverunt usque ad Summum, & Stangazolam cum cursariis omnia comburendo. Et tunc D. Gibertus de Corrigia habuit Guastallam cum populo Parmæ, quod Oppidum non permiserunt comburi, sed pro se tenuit. Cremonenses non tamen remoti sunt ab Rebecho, & ante has crudelissimas combustiones acies igneæ visæ sunt in aëre.

MCCCVIII. Dominus Nalus de Eugubio fuit Potestas Rhegii à Circumcisione usque ad Sanctum Petrum, & Dominus Federicus de Lavelongo de Brixia fuit Capitaneus Populi à Februario usque ad Kalendas Augusti. Et eo anno de mense Januarii obiit Dominus Azo Marchio Ferrariæ, & die XXVI. Martii Domino Giberto de Corrigia Rectore Parmæ, & Populi, venerunt Rubei cum exulibus Parmæ, & cum Domino Guielmo Cavalcabove Marchione, & intraverunt Parmam, & in platea impetum fecerunt contra Dominum Gibertum, & expulerunt eum, cum amicis suis, qui se reduxit in Castrum Novum Parmensis Diœcesis. Eo anno die XVIII. Junii stante Jacobo de la Senaza, & aliis, qui erant cum ipso in Castro Banzolæ ad præceptum Domini Giberti de Corrigia, Communis Parmæ, vênit ad obsidendum dictum Castellum, & stantibus utraque pars ordinata est ad bellum. Et cum Domino Giberto fuerunt milites Mantuani, Mutinenses, Rhegienses, Dominus Franciscus Malaspina Marchio; illi de Foliano, de Manfredis, & alii amici undique conquisiti. Cum Parmensibus verò erant pedites Lucenses in maxima quantitate. De Rhegio erat Simon de Canossa, & filii bastardi de Canossa cum suis amicis de Gipso, de Canossa; & bello incœpto Parmenses profligati, & mortui sunt ex suis CCCC. & plures, quasi omnes Parmenses; & mortuus est Simon de Canossa. Eo mense dictus Dominus Gibertus rediit Parmam de concordia, & pace facta inter ipsum, & partem Imperii, scilicet cum Marchione Pelavisino, & hoc fuit in die Apostolorum Petri, & Pauli. Eo anno VIII. mensis Augusti Dominus Ugolinus de Rubeis cum parte sua recessit ex Parma, & intravit Burgum Sancti Donini, & fecit bellum Parmæ. Et die penultimo Novembris Rhegienses obsederunt Castrum de Canulis contra illos de Lupis. Et die secunda Decembris captum est, multis occisis, & captis, inter quos captus est Regora filius quondam Domini Antonii de Lupis, & omnes capti suspensi sunt in prato Fontanæ propter dictum Regoram.

A

B

C

D

E

MCCCIX. Dominus Frescus se, & Civitatem dedit Ferrariæ Venetis, & tenebant Castrum Thealdum. Legatus Papæ petebat Ferrariam pro Ecclesia, quod Veneti denegarunt, contra quos prædicare fecit Crucem. Et die XXV. Augusti gens Ecclesiæ intravit nocte clam navilia Venetorum, & eos miserabiliter profligaverunt; & mortui sunt ex Venetis tria millia hominum, & ultra, & potita est Ecclesia dominio Ferrariæ.

MCCCX. Populus Rhegii de mense Februarii ivit Salvaterram, & destruxerunt turrim, fregerunt & portas fortissimas, quam tenebat Dominus Ariverius de Magreto. Et ipso anno fuit Scova in Lombardia, & expulsa est pars Imperii ex Ferraria, & multi Gibellini ibi mortui sunt, multi capti, & decapitati per Marchiones, & Rectores Ecclesiæ. Et eo anno XXV. Maji Azolinus de Sesso, Penazolus de Sesso, & Ugolinus del Ferro de Sesso aggressi sunt Burginum, & Dominum Saxum de Canossa, & Guielminum de Albrigonibus, quem occiderunt, & Dominum Saxum graviter vulneraverunt, Et subitò illi de Canossa, de Foliano, de Manfredis, & de Robertis cucurrerunt ad domos illorum de Sesso, qui vi coacti reduxerunt se cum Archipresbytero in Plebe Sancti Faustini, & se ibi munierunt. Et ipso anno XXX. Julii illi de Sesso inceperunt facere bellum Rhegiensibus. Eo mense Gibellini de Mutina expulerunt illos de Saxolo, de Ganaceto, de Grassonibus. Et die XIV. Augusti facto compromisso in Dominum Passarinum Dominum Mantuæ, Dominum Albuinum de Verona, Dominum Gibertum de Corrigia facta est pax inter Commune Rhegii, & illos de Sesso; tamen Rhegium non venerunt, sed steterunt in Plebe Sancti Faustini fortissima. Et eo anno de mense Octobris tractatu illorum Capitaneus Veronæ, & Dominus Mantuæ cum Mutinensibus, & militibus Brixiensibus venerunt ad Castrum de Novis, quod ceperunt, & deprædatis omnibus, dederunt illis de Sesso. Et tunc Rhegienses miserunt Bononiam, ut auxilium præbeant contra illos de Sesso: quod sentientes dimiserunt Plebem, & iverunt Novum; & ipso anno die penultimo mensis Octobris Dominus Henricus Rex Romanorum intravit primò Lombardiam, & vênit Taurinum cum mille equitibus armatis, & mille Nobilibus, & Uxore sua. Die sequenti vênit ad ipsum Marchio Montisferrati cum trecentis equitibus armatis. In Festo omnium Sanctorum Romanorum Legati venerunt ad eum in eodem loco cum trecentis equitibus, & octuaginta someriis, & centum sexaginta domicellis. Die sequenti Potestas Vercellarum vênit cum trecentis equitibus armatis. Papienses miserunt totidem, & breviter in paucis diebus congregati sunt in Taurino duodecim millia hominum armatorum equestrium. Ipse verò præstolabatur Comitem Sabaudiæ, & Dalphinum Viennæ, & alios plures Nobiles. Eodem anno XII. Novembris idem Rex intravit Astem Urbem, & secum duxit omnes exules dictæ Civitatis sub voce pacis fiendæ inter omnes, de quorum reditu Intrinseci doluerunt, quia nimis subitò. Die XV. dicti mensis fecit jurare Populum sibi fidelitatem publico & generali Consilio. Ex quo Intrinseci valde sunt tur-

turbati. Hoc facto, fecit proclamari, quòd omnes exules & rebelles possent securè venire, & gaudere pacificè suis bonis. Consultores sui erant Comes Sabaudiæ, Archiepiscopus Treverensis, Dominus Galeranus ejus frater, Dominus Guido de Narmulbo, Dominus Guido Dalphinus Viennæ, Episcopus Trenti, Dominus Philippus Princeps Achajæ, Comes Philipponus Papiensis, Dominus Nicolaus Monsignores Senensis, & alii, qui aliquando vocabantur ad Consilium, aliquando non. Die XXIII. Decembris intravit Mediolanum, & reduxit in Mediolanum Dominum Maffeum Vicecomitem de Mediolano, qui tenebatur extra per illos de Turre, & reduxit omnes exules. Et statim citavit Dominum Gibertum de Corrigia, & Legatos omnium Civitatum Lombardiæ, ut suæ coronationi interfint. Qui omnes accesserunt. Et Marchiones Malaspinæ cum maxima & honorabili comitiva illuc accesserunt.

MCCCXI. die VI. Januarii fuit coronatus Ferreâ Coronâ in Ecclesia Sancti Ambrosii per Archiepiscopum Mediolani in Epiphania Domini, & equites fecit centum quinquaginta Nobiles. Et X. die dicti mensis fecit Concilium generale, in quo fuerunt omnes Legati prædicti, & statutum est, ut quælibet Civitas Lombardiæ habeat unum Vicarium pro Imperio, & quòd in Lombardia sit unus Præses, qui habeat ad usum stipendii duo millia hominum armatorum, quibus solvatur per Civitates Lombardiæ. Et die XVII. dicti mensis portatæ sunt literæ Legatorum nostrorum de Rhegio, quòd facta erat pax inter Commune Rhegii, & illos de Sesso præcepto Domini Imperatoris, unde statim proclamatum est, quòd nullus eos offendat, & quòd vadant securè extra Rhegium. Et die XXII. dicti mensis venerunt Rhegium Fratres quidam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani cum multis privilegiis Papalibus, & prædicaverunt Passagium in platea Communis, & multam pecuniam deportant pro hoc solvendo, solummodo intendentes, & non aliud. Et die V. Februarii vênit Rhegium Marchio Spineta [illegible] Vicario Domini Imperatoris, cui obviaverunt Rhegienses cum maximo honore. [illegible] die IX. Februarii fecit redire illos de Sesso Rhegium, sed parum tenuerunt hunc Vicarium, ut patebit infra. Eo anno XXI. Februarii expulsi sunt illi de Turre extra Mediolanum per Imperatorem prædictum hoc modo. Nam Vicecomites pace facta cum eis, suaserunt fraudulenter, ut gentes colligerent se clam ad Imperatoris interitum, se facturos asserentes similiter. Quod cùm fecissent, intimaverunt Imperatori, illos de Turre ipsum velle occidere, & ad hoc gentes congregatas in domibus suis eos habere; unde statim irâ commotus contra illos de Turre, dedit licentiam Vicecomitibus, ut eos caperent, & occiderent, quod & fecerunt, & discessu suo dedit dominium Vicecomitibus, qui dominati sunt usque in tempus præsens 1368. Et die XXIV. dicti mensis Cremonenses sumptis armis expulerunt Gibellinos, quos Imperator reduxerat, eo quia in Cremona exigebatur pecunia, ut solveretur militibus Præsidis Lombardiæ. Die sequenti expulerunt Vicarium Imperatoris prædicti.

Quo etiam die Parmenses expulerunt suum, & Rubeos, & Lupos, quos ipse reduxerat. Die XXVII. Februarii Rhegienses expulerunt Marchionem Malaspinam, & illos de Sesso hoc modo. Nam ordinaverunt Nobiles Rhegienses, ut primi factionis eorum reperti occidantur, unde casu repertus est in platea quidam Zanarus nomine, qui pira emebat, homo bonus, & mercator bestiarum, qui ibi statim occisus est; similiter & quidam alter, qui neminem umquam læserant; & sic est tumultus, & concursus factus contra illos de Sesso, & suos per omnes partes Nobilium Rhegiensium. Et post longum prœlium capti sunt, & in carcerem conjecti, & spoliati sunt omnes amici eorum suis bonis in hac misera Civitate, & ducti sunt illi de la Gazata Borzanum per Manfredos, & finaliter dederunt Manfredi unam suam Consanguineam in uxorem Joannino de Gazata, facta sibi dote septingentarum librarum, & dimissi sunt tunc per Manfredos. Et sic evênit multis amicis illorum de Sesso. Non miretur ergo hæc miserabilis Civitas de statu suo. Die XVII. Martii expulsa est pars Ecclesiæ de Mantua, quæ redierat per adventum Imperatoris, & expulsus est Vicarius Imperatoris, & multi mortui sunt.

Eo anno XVI. Aprilis Rhegienses receperunt Vicarium Imperatoris, qui relaxavit omnes illos de Sesso de carceribus, & misit eos ad Imperatorem. Qui Imperator eodem mense fecit proclamari exercitum contra Cremonenses, & primò citavit Commune Laudi, & Cremæ, de quibus iverunt ad ipsum Dominus Antonius de Fussiraga, & frater ejus; qui Dominus Antonius detentus est per Imperatorem, & frater remissus, ut daret dominium Imperatori, quod factum est, quò statim Imperator accessit. Quod sentientes Cremonenses, statuunt in Consilio generali dare Cremonam Imperatori; unde die XXV. dicti mensis Imperatrix intravit Cremonam, & prohibuit, ne secundùm mandatum Imperatoris dirueretur turris Cremonæ. Cui Imperatrici obviaverunt centum sexaginta Nobiliores de Populo corrigiis ad collum ligatis, petentes veniam de commissis, qui mandato Marascalchi capti sunt, & ducti ad Castrum Arminagi. Et Cremonæ carcerati sunt centum de melioribus popularibus. Die XXVI. dicti mensis Imperator intravit Cremonam, & primo die Maji fecit dirui portas, & muros dictæ Civitatis in contemptum Cremonensium, & Bononiensium.

Et ipso die fecit citari Thebaldum Brusatum de Brixia, qui fuit contumax. Et die sequenti fecit proclamari bellum contra Brixiam, quò idem Imperator ivit die XVIII. Maji. Die XX. Junii decapitari fecit dictum Dominum Thebaldum, & sectum in quatuor partes fecit trahi per totum suum exercitum. Hic captus fuit, quia exiverat Brixiâ, ut esset auxilio quibusdam ex suis, qui non tutè stabant. Die ultimo dicti mensis Dominus Gibertus de Corrigia vênit Rhegium pro Vicario Imperatoris; & de mense Julii Dominus Galeranus frater Imperatoris percussus à Brixiensibus intrinsecis mortuus est. De mense Augusti quatuor Cardinales venerunt ad ipsum Imperatorem pacem tractan-

tes, quam post longum tractatum fecerunt. Et Imperator intravit Brixiam, fractis muris, & portis, & condemnavit Brixienses quinquaginta millia florenorum, & potitus est dominio Civitatis. Die XXVIII. Februarii convocatis Lombardis fecit Papiæ Consilium generale die VI. Octobris, quo facto ivit Januam. Si vis plenè videre finem gestorum istius Henrici, lege Librum compositum per quemdam Patavinum, cui nomen Franciscus Musatus, quem ego Venetiis vidi apud Magistrum Guldonem de Bagnolo consanguineum meum.

MCCCXII. die IV. Decembris Archipresbyter Sancti Faustini frater Domini Ugolini de Sesso, habito primo colloquio, & tractatu cum Domino Albertino de la Scala, Domino Passarino, & Domino Francisco de la Mirandula Domino Mutinæ, qui sibi dederunt spem auxilii unà cum Nasello, & Penazollo de Sesso, Nicolào, Antonio, Manfredino, & aliis pluribus de Lupis de Canulis, & cum CL. stipendiariis Mutinæ, de voluntate Cataniorum de Gipso, intrarunt Gipsum de Malapressis, & combusserunt Terram Ventosii. Die V. dicti mensis Guido Savina de Foliano cum suis amicis, & Populus Rhegiensis iverunt in obsidionem dicti Castri, & ibi steterunt viginti septem dies cum trabuchis & manganis. Et ipso die proclamatum est ex parte Domini Giberti de Corrigia tunc Vicarii in Rhegio pro Imperatore, quòd omnes forenses tutè possent discedere, quò vellent, aliàs sint in banno sub pœna furcarum deinceps, qui unà cum Cataniis de Gipso exiverunt. Quo facto Rhegienses impetum fecerunt in Castrum; unde Archipresbyter se cum suis reduxit in Turrim, in qua, nec in Castro aliquid habebant ad comedendum, & bibendum, coquebant fabas in urina, & comedebant, quia Rhegienses non nisi pro mortuis volebant eos, & maximè Archipresbyterum cum illis de domo sua. Tamdem habuerunt Extrinseci colloquium cum Lupis de Canulis, & promiserunt occidere Archipresbyterum, & alios de Sesso, & ipsi salvi essent, hoc pacto, quòd perpetuo carcere damnarentur, & si umquam tentarent exire, suspenderentur. Unde cùm Lupi hortarentur, ut se redderet, cùm turris incideretur sub ipsis, & fame perirent; ipse respondit: paratus sum, ut Penazolus consanguineus meus edatur, qui est càro mea, & percussus est, nec evadere potest: quo comesto sortiamur inter nos, quis primus debeat comedi potius, quàm venire in manus hostium nostrorum, qui nobis promissa non servarent. Quibus verbis omnes stupebant, & Lupi ipsum aggredi non audebant, sed ipsum ita hortati sunt, quòd se fecit ad cancellum turris, ut audiret quid dicere vellent, & ipsum post tergum percutiunt projiciendo extra turrim, & receptus est in lanceis hostium. Similiter fecerunt de Penazolo, & Nasello de Sesso, & duo de Campsoribus. Ipsi verò Lupi ducti sunt secundùm promissum in carcerem, duodecim exules capti sunt, & suspensi in Campo Feræ. Causa autem tanti odii illorum de Foliano fuit, quia genuerat quamdam filiam ex una Domina de Foliano Monacha Sancti Thomæ, quam vocaverat Mezafoglia. Ex qua Moniali duravit bellum inter hos quinquaginta quatuor annos, & mortui sunt ob hanc causam forsitan duo millia hominum hinc inde.

Eo anno Lupi fregerunt carcerem, & fugerunt, captique sunt in loco Prædicatorum, & suspensi in arengeria Rhegii, & lapidati. Unus verò hostium aperuit corpus Naselli de Sesso, & posuit in eo caput suum tamquam canis, cujus caput in brevi tempore portatum fuit Mutinam, procuratu Domini Francisci de la Mirandula. Fuit etiam cum Lupis quidam Guidorcellus, qui evasit, quem fecit occidi Dominus Ugolinus de Sesso, & portatum sibi caput Veronam, & alia multa mala secuta sunt, quæ longum esset scribere.

MCCCXIII. die XIII. Januarii Guielmus Cavalcabos cum aliis Extrinsecis de Cremona, audientes Gibellinos equitasse, venerunt ad Burgum Cremonæ, & fregerunt portam, & intraverunt Cremonam clamando: *pax pax*; & erant sexaginta, & iverunt ad plateam, qua invenerunt Dominum Galeatium filium Domini Maffei Vicecomitis, qui erat ibi Capitaneus Imperatoris, & factum est prœlium inter eos. Tamdem Dominus Guielmus exhortatus suos, ut aut vincerent, aut morerentur, expulit Dominum Galeatium & suos, & habuit dominium Civitatis liberum, & fecit imperatorem sui exercitus Dominum Joannem Quilicum de Sancto Vitale Parmensem. Et de mense Februarii ipse Dominus Joannes ivit Placentiam, & de voluntate Guelforum, expulsis Gibellinis, eam obtinuit. De mense Martii equitavit Dominus Guielmus ad Castrum Suncini, & de voluntate aliquorum intravit Castrum. Audientes hoc Mediolanenses, & Comes Guarnerius, qui ibi erat pro Imperatore, illuc equitaverunt, & intraverunt Burgum dicti Castri. Ad ultimum prœlio inter eos incœpto profligatus fuit Dominus Guielmus cum suis, qui se reddidit captivum Comiti prædicto, quem statim occidit. Sed primò mirabilia de sua persona operatus est. Eo mense Dominus Gibertus de Corrigia fecit redire Dominum Albertum Scotum in Placentia; cui obviavit in bello Dominus Joannes Quilicus, & prœliati sunt in platea Placentiæ, tamdem auxilio Gibellinorum fuit expulsus Dominus Joannes, & remansit Dominus Albertus; ipse verò Dominus Joannes ivit ad Castrum Sancti Joannis, & obtinuit, similiter & Bobium, & cœpit bellum facere Placentiæ. De mense Maji fuit maxima Caristia per totam Lombardiam, adeò ut multi morerentur in viis, & domibus fame terribili. Et ipso mense obiit Dominus Henricus Episcopus Rhegiensis, & tota illa æstate fuit morbus maximus per totam Italiam.

Et die XVI. Maji fuit prœlium magnum Romæ inter Teotonicos Imperatoris, & Columnenses ex una parte, & gentes Domini Joannis fratris Regis Roberti. Tamdem mortui sunt quinquaginta de illis Imperatoris, & plures Nobiles Regis Roberti mortui sunt per Teotonicos. Et de mense Julii XII. coronatus est Imperator Coronâ aureâ per Dominum Cardinalem Legatum Domini Papæ in Sancto Joanne Baptista. De mense sequenti venit Aricium, & cepit Castrum Barœ, quòd tenebant Florentini, & statim cum exercitu copioso vènit Florentiam. De mense Septembris mutavit Castra, & vènit ad Sanctum Cassianum, omnia vastando & comburendo & deprædando. De mense Decem-

cembris venit Pozibonzum, & fecit ibi reaedificari Castrum. Et ipso mense Rubei cum auxilio Mediolanensium venerunt in Episcopatum Parmae, & illi de Palude fuerunt cum ipsis & habuerunt Padernum, Rivaltam, & Burgum Sancti Donini, & quasi totum Episcopatum Parmae à Strata superiùs. Eo anno de mense Januarii factus est Dominus Guido de Baisio Episcopus Rhegiensis. Et die XXV. dicti mensis mortuus est Rhegii Dominus Bonadeus de Boschetis Episcopus Mutinae, & sepultus est in Ecclesia Majori apud Altare Sanctae Agnetis. De mense Februarii die XI. Mutinenses posuerunt insidias Marchioni de la Marcha, qui censum portabat Domino Papae, quo occiso acceperunt Sarcinas valoris centum millium ducatorum. Et mense praedicto Imperator ivit Pisas timore magno territus, & perdidit de suis, & suorum sarcinas octuaginta rerum suarum, & suorum, quae omnia habuerunt illi de Sancto Miniato. Et cùm fuit Pisis, imposuit Pisanis, ut ei darent ducenta millia florenorum, quae ducenta millia Pisani impotentes ad solvendum, dederunt ei dominium Civitatis. Die XXV. Martii Dominus Ferrandus de Aragonia venit cum ducentum quadraginta militibus expertis in armis in auxilium Florentinorum mandato Regis Roberti, & ivit Lucam in auxilium Guelforum, & tunc Florentini recuperaverunt plura Castella, quae abstulerat eis Imperator.

Eo anno de mense Maji Cremonenses receperunt Dominum Passarinum de la Turre in Capitaneum Cremonae pro Rege Roberto, cui se dederunt in contemptum Imperatoris. De mense Julii habuerunt Castrum Suncini, & Arminagum. Et Commune Parmae habuit Bergomum, & ipso mense combustum est Medesanum. Eodem mense gens Imperatoris ivit ad Petram-Sanctam, quam habuit, & ibi mortui, & capti sunt multi. Hoc audiens Episcopus Lunensis, qui erat de Opizis, venit Lucam à Sarzana, quam Sarzanam statim habuit gens Imperatoris. Eodem mense obiit Dominus Matthaeus de Foliano. De mense Julii equites Patavii equitarunt usque ad portas Veronae, omnia populando, & igne vastando. Eo mense Rubei, Mediolanensium auxilio, intraverunt Burgum Parmae, & tunc Dominus Galeatius Vicecomes fecit capi in platea D. Albertum Scotum, & ipsum duci Mediolanum. De mense Augusti Dominus Joannes Quilicus rebellavit Montem Chirugulum Communi Parmae. Die X. ejusdem mensis Comes Philipponus cum Papiensibus venit ad Burgos Placentiae, & ibi debebat esse Dominus Gibertus de Corrigia, & Cremonenses, ut primò tractaverat. Et cùm discedere vellet dictus Comes, quia non erant praedicti, Dominus Galeatius cum Placentinis fecit impetum contra eum, quem cepit, & capti sunt & mortui sunt de suis Papiensibus ultra centum.

Die XIV. ejusdem mensis mortuus est Dominus Guido de Tripoli, & sepultus est ad Ecclesiam Fratrum Minorum. Die XX. Augusti obiit Clericus de Manfredis. Die XXII. dicti mensis Imperator recessit à Pisis, & secum erant mille & trecentum equites, & mille pedites, & ivit ad Sanctum-Miniatum ipso die. Sequenti verò die ivit ad Castrum Florentinum, quod oppugnatum est, sed non obtentum. Et altera die ivit Pozibonzum, & postea juxta Senas per sex milliaria, sperans habere Senas. Sed instructu Florentinorum Guelforum, qui senserunt, Senensibus succurritur in Senis per Guelfos, & curritur ad plateam, & expulsis Gibellinis defenditur contra Imperatorem, cujus gentes statim coeperunt comburere & populari Comitatum Senarum, quod hactenus factum non fuerat, & tribus vicibus in diebus octo mutavit Castra. Iis diebus Dominus Joannes frater Regis Roberti equitavit in Calabriam ubi nobiles quosdam suspendi condemnavit crimine proditionis, & tunc expulsi sunt Gibellini à Guelfis de Urbeveteri. Die XXIV. dicti mensis apud Bonconventum mortem obiit prope Senas Henricus Imperator Romanorum, qui sepultus est Pisis, sed cor ipsius in Janua in sepulcro Uxoris, ossa verò portata sunt in Alamanniam per Comitem de Castella, & alios suos Nobiles. Ipso etiam die obiit Corradinus. Die XXIX. mensis dicti scripserunt Bononienses Reginis literas talis tenoris: *Fratribus Rhegiensibus Fratres Bononienses salutem. Ecce vobis ad gaudium mittimus copiam infrascriptarum literarum. Nobilibus, & potentibus viris Bononiensibus Senenses salutem. Ad vota felicia Nobilitati vestrae ad gaudium intimamus, quòd nos habemus per spias veras, & nuncios, & literarum amicos, quòd Romanus Rex die XXIV. Augusti horâ quasi nonâ in Bonconvento decessit, ubi suum tenebat exercitum, quem gens sua campum levans de nocte mortuum in barra portavit, & versùs partes maritimas quasi aufugiendo recessit. Exultetis ergo, carissimi, & gratias dignas divinae potentiae referatis. Data Senis XXVI. Augusti.* Tunc Rhegienses Festa solemnia celebrarunt, currentes ad domos Gibellinorum, cogentes eos, ut prae gaudio lumerias ponerent ad cancellos. Die XXVI. dicti mensis Dominus Passarinus Dominus Mutinae duxit Mantuam Dominum Franciscum de la Mirandula, Ariverium de Magreto, unum de Piis, unum de Pizis, quos omnes in brevi relaxavit, praeter Dominum Franciscum, quem detinuit. Die XXIX. Septembris Dominus Passarinus dimisit D. Franciscum, & rediit Mutinam. Et tunc facti sunt confinati Mutinenses de Guelfis, eo quòd Bononienses volebant venire circa Mutinam, quod tamen non fecerunt. Alibi habeo istud novum. De mense Octobris D. Gibertus de Corrigia ivit . . . . . . cum Communi Parmae, quod habuit die ultimo dicti mensis; & Dominus Johannes Quilicus, qui in ipso erat cum illis de Palude, exivit salvus cum omnibus personis solùm.

MCCCXIV. de mense Januarii. Cremonenses fecerunt unum Barisellum, & die XIV. Martii Dominus Papa revocavit processus factos contra Regem Robertum per Imperatorem, & hoc facto ipsum Regem Robertum Vicarium generalem constituit in omnibus terris Imperii in Italia in haec verba: *Nos tamquam ad quos devolvit Imperialis Jurisdictio, vacante Imperio Romano, constituimus dilectum filium nostrum Robertum Regem in omnibus terris Italiae subjectis Romano Imperio Vicarium generalem.* De mense Aprilis facta est pax inter Pisanos, & Lucenses. Die XX.

XX. dicti mensis obiit Papa Clemens V. & ipso anno completus est murus Rhegii à Sancto Petro usque ad Sanctam Crucem, ita quòd expleta est murari tota Civitas Rhegii. Die XIV. Junii expulsi sunt à Luca Guelfi auxilio Pisanorum, & expulsus est Vicarius Regis Roberti, & ibi fuit magna occisio, & prædatio hominum. Die primo mensis Augusti Rhegienses iverunt circa Brigenzonum contra Dominum Jacobum de Palude, & filios, qui stratam, qua itur in Thusciam, deprædabantur; & sponte à populo Rhegiensi oblatæ sunt Communi libræ quatuor mille Rexanorum ad hanc provinciam. Die XII. dicti mensis Dominus Jacobus cum suis fugit ex dicto Castro, & plures ibi cum populo Rhegiensi mortui sunt cadentes per ripas montium, volentes ipsum sequi, unde à populo æquatum est solo dictum Castrum. Die XVIII. dicti mensis facta pace inter Parmenses, & Rubeos, Dominus Gibertus de Corrigia eos in Parma recepit cum magna gloria, & triumpho, & facta est inter ipsos affinitas.

Eo mense Dominus Petrus frater Regis Roberti vênit Thusciam in auxilium Guelforum cum magna gentium comitiva. Et ipso mense cùm Cardinales essent in Conclavi causâ eligendi Papam in Civitate Carpentasii, ubi tunc Curia residebat, orta est contentio non pauca inter Italos, & Gallos, unde ad instantiam Gallorum quidam Nepos Papæ defuncti aggressus est Cardinales Italos in domibus suis. Sed prohibentibus viris bonis Cardinales Itali nihil mali passi sunt, licèt multi Italici per Civitatem gladio sint occisi. Tamdem quæstionibus non sedatis ignis portatur per Civitatem à Gallis, quæ quasi tota crematur, unde Cardinales, Conclavi relicto, abiere, præstito tamen juramento, quòd in Kalendis Septembris redibunt illuc. Et per omnes illas partes continuò cædes Lombardorum non extinguitur; sed hinc inde occiduntur. Tamdem adveniente termino Cardinales Itali requiruntur, qui se non præsentantes (& meritò) protestantur de timore mortis. Hoc solum fiebat, ut Galli haberent Papam ad velle suum. De mense Septembris . . . . . . equitaverunt Patavini Vicentiam, & capto uno Burgo victoriâ lætabantur. Sed Dominus Canis, hoc scito, cum suis eos viriliter est aggressus, quos subitò vituperosè profligavit, & multos cepit, plures que occidit. De mense Octobris procuratu Venetorum facta est pax inter Dominum Canem, & Commune Patavii, relaxatis ex utraque parte captivis. De mense Decembris Dominus Jacobus de Palude cum filiis intravit Castrum Crovariæ, & cœpit facere bellum Rhegiensibus. Eo mense mortuus est Dominus Philippus Rex Franciæ, & filius ejus factus est, qui primò erat Rex Navariæ.

MCCCXV. die XII. Februarii Capitaneus populi cum octocentum peditibus fuit ad Crovariam cum sex manganis, & auxilio Parmensium, ac Domini Albertini de Canossa. Facta est concordia, & datum est Castrum Communi Rhegii die VII. mensis Aprilis, & recesserunt illi de Palude salvis personis; sed remanserunt in banno Communis Rhegii: de mense Augusti Princeps frater Regis Roberti vênit Florentiam cum

A octocentum militibus in subsidium partis Guelfæ, & Bononienses miserunt ad ipsum ducentum milites, & quatuorcentum pedites. Et ipso mense Veronenses, & Mantuani suas gentes in auxilium Uguzonis de Fazola, qui erat Rector Pisarum, & Lucæ, & Ferrarienses miserunt auxilium Principi prædicto. Eo mense Princeps vênit in exercitum cum Uguzione, qui erat circa Montemcatinum cum Gibellinis, & erant cum Uguzione quatuor millia equitum, & quadraginta millia peditum, & tunc multa Castella data sunt dicto Principi, & restituta parti Guelfæ, scilicet, Agulegia, Vivenaria, Fundugnum, & Constamina... Acalia. Plura nomina Nobilium, qui erant cum Principe, sunt hæc:

B Dominus Raimundatius Provincialis, D. Robertus Alve Francus, D. Robertus de Cornera Francus, Dominus Duramute de Vasconis, D. Nuvalonus de Auxulia Francus, D. Gerardus de Vara Francus, Dominus Trunxante de Lelovixaro Francus, Dominus Arnolfus de Equo de Regno, D. Philippus Sasarotus de Calveria, D. Jordanus Domini Regis de Calabria, D. Philippus de Villa Lumbaji Francus, Dominus Raimundus Urbanus Vasorum, D. Carocius de Calabria, D. Petrus de Rolo de Provincia, D. Zanes de Sancto Claro Provincialis, D. Guielmus Baleardus Marescalcus totius Regni Apuliæ, ipse Princeps Carolus ejus filius, D. Petrus frater ipsius Regis Roberti. Eo mense D.

C Gibertus de Corrigia fecit redire Parmam Gibellinos. Die XVIII. Augusti Uguzio de Fazola cum Gibellinis profligavit Principem prædictum cum omnibus suis, in quo prœlio mortuus est Carolus filius ejus, super cujus corpus Uguzio . . . . . Equites fecit. Dominus Petrus frater Regis Roberti non est inventus vivus, neque mortuus. Mortui sunt in dicto prœlio circa decem millia Christianorum, præcipuè Florentinorum, & aliorum Guelforum de Thuscia. Mortuus est etiam filius ipsius Uguzonis, qui non est mutatus dolore, sed dixit: utinam alter meus

D filius sic moreretur, & talis per nos fieret hostium occisio. Capti sunt quingenti homines, inter quos fuerunt decem nobiliores Franciæ, & decem & octo de Thuscia. Die VIII. Octobris datum est Castrum de Doxolis D. Passarino Domino Mantuæ, & D. Cani de la Scala, qui personaliter illuc venerunt, & obsederunt Viadanam, & fecerunt bellum Parmensibus, & habuerunt Viadanam de concordia. Ipso mense Mediolanenses potiti sunt Papiæ dominio, expulso Domino Philippono cum suis, & ibi mortuus est Comes Richardus. Et ipso mense Parmenses iverunt circa Bergomum contra Aserbinum de Bargono, qui suos consortes occiderat. Et tunc Pala-

E vicini cum Gibellinis recesserunt à Parma, & iverunt ad Burgum Sancti Donini. Die XV. dicti mensis cœperunt cavare foveas Civitatis Rhegii à Sancto Stephano usque ad Sanctum Nazarium. Sequenti die fuerunt ad cavandum Episcopus Rhegiensis, & Abbas Sancti Prosperi cum toto Clero Rhegiensi, & fecit populus murari barbacana, & conduxit ad suum stipendium centum pedites. De mense Decembris Florentini miserunt in Franciam, ut conducerent in auxilium partis Guelfæ Thusciæ mille milites. Et ipso mense D. Cavalcabos factus est Dominus, & Defensor

for Cremonæ, & se Vicarium Regis Roberti appellabat.

MCCCXVI. Guelfi favore Cremonensium Brixiâ Gibellinos expellunt. De mense Januarii, & Aprilis Gibellini expulerunt Uguzonem de Fazola à Pisis, & Luca, qui receptus est honorificè per Dominos Veronæ, Mantuæ, & Mutinæ.

De mense Maji Rhegienses aperuerunt portas Sancti Nazarii, Sanctæ Crucis, Pontis Levonis, Castelli, & Brenorii, quæ clausæ erant. De mense Junii Dominus Gibertus de Corrigia pacem fecit inter Nobiles Cremonæ, & habuit dominium dictæ Civitatis. Ipso mense D. Canis de la Scala unà cum Domino Passarino de Mantua venit cum magno exercitu circa Cremonam contra D. Gibertum, & habuit Casalmajorem, & statim D. Gibertus rediit Parmam, & secum duxit D. Poncinum, D. Jacobum Cavalcabovem, & Cremonenses fecerunt unum Barisellum in suo regimine. Die XXV. Julii D. Opizo de Henzola, Joannes Quilicus gener D. Giberti de Corrigia, Rolandus Rubeus ejus Cognatus in noctis crepusculo cucurrerunt ad plateam Parmæ cum suis amicis clamando: *populus, populus*. Quod D. Gibertus sentiens contra se esse & suos, cum paucis venit ad Castrum-novum, quod se rebellavit, & Guardasonum, & statim fecit Parmæ bellum. Sed Parmenses ligam contraxerunt cum Mediolanensibus, Veronensibus, & Mantuanis. Et Commune Bononiæ Legatos ad Parmenses mittunt, hortando eos ad regimen populi, & partem Guelfam. Die VII. mensis Augusti creatus est in Avinione Papa Joannes XXII. Vasconus, & cessavit Curia menses XV. De Mense Decembris die XXVI. tonitrua horribilia fuerunt, & nix.

MCCCXVII. de mense Januarii D. Gibertus de Corrigia ivit in Apuliam ad Regem Robertum, qui sibi dedit centum milites, Florentini centum, Patavini centum, Bononienses centum, Senenses quinquaginta, qui die XXIV. Maji ivit Parmam cum octocentum equitibus, & duo mille peditibus, & obtinuit in septem diebus quasi omnia loca & Castra à Strata superiùs. Die II. Junii rediit Castrum-novum. Die XXVI. Maji Marchiones Cavalcaboves currunt ad arma in Cremona, & auxilio Brixiensium expellunt Punzinos, & maxima fuit occisio in Cremona ipso die. Ipso mense dum esset D. Canis de la Scala in exercitu circa Novatum Brixiensis Diœcesis, tractabant Comites de Sancto Bonifacio, & Patavini obtinere Vicentiam; & aperta fuit eis una portarum. Sed D. Canis hoc sentiens, illuc uno die, & una nocte equitavit, & cùm intrasset Vicentiam, hostes profligavit, & occidit quasi omnes, qui erant circa duo millia, & cepit Comitem de Sancto Bonifacio.

Die IX. mensis Junii D. Gibertus de Corrigia ivit Montecchium, & Covriacum, & omnia destrui fecit usque ad muros, stetitque ibi duos dies. De mense Septembris facta est pax inter Commune Parmæ, & Dominum Gibertum, & omnes exules redierunt Parmam, præter ipsius fratrem, & filios, qui ex pacto stare debent uno annò ad Castra sua.

Eo anno expulsi sunt Gibellini de Janua. De mense Septembris Mediolanenses, Mantuani, & Veronenses iverunt circa Cremonam per terram & aquam. Die XVII. Octobris Bononienses cum magno exercitu venerunt Nonantulam, & super Episcopatum Mutinæ omnia vastando, & sic exercitus discessit à Cremona, & Bononienses redierunt Bononiam. De mense Decembris die XX. D. Canis equitavit super Padum, & cepit Monsilicem, Este, & Montagnanam, & ivit usque ad portas Pataviì omnia vastando.

MCCCXVIII. die XII. Februarii facta est pax inter D. Canem, & Patavinos, relictis sibi Domino Cani Monsilice, Montagnana, Este & Castelbaldo, & reduxerunt omnes, qui erant extra Patavium intus ex pacto, de qua pace D. Canis honorem habuit maximum. Ipso mense XII. D. Franciscus de la Mirandula accepit Mutinam D. Passarino horâ primi somni, & cepit Ariverium de Magreto, Jacobum de Fredo, Joannem de Fredo, D. Jacobum Buzalinum, & filium, & omnes Officiales D. Passarini. Die IX. Aprilis D. Ponzinus auxilio Mediolanensium, & Mantuanorum, fracto clam muro, intravit Cremonam, & expulsis Cavalcabobus obtinuit dominium Civitatis cum Gibellinis. De mense Junii Nobiles de Carraria currentes ad arma, faventibus Gibellinis, expulerunt ex Patavio Macarusos, & illos de Castro Sancti Petri cum suis, & D. Jacobus de Carraria factus est Dominus.

Ipso mense D. Marcus Vicecomes ivit Januam ad instantiam Gibellinorum exulum de Spinulis, de Oriis & brevi tempore obtinuerunt totum Comitatum Januæ. Illi de Flisco, Grimaldi, & alii Nobiles Guelfi tenebant Januam, & pars extrinseca tenebat quamdam particulam dictæ Civitatis, & sic tota die prœlium erat inter ipsos. Die XX. Julii Rex Robertus cum uxore, & filiis, & fratre, magnaque multitudo gentium venit Januam in auxilium Guelforum. Die XXV. factus est Rex Dominus dictæ Civitatis. Die XXVI. Julii D. Canis, & Passarinus venerunt circa Mutinam, & ibi steterunt sex dies, & factâ concordiâ recesserunt, & extrinseci remanserunt extra, & gaudebant suis bonis. Et die XV. Septembris equitavit D. Canis cum illis de Camino circa Trevisium, & ibi steterunt usque ad medium mensem Decembris, omnia consumendo, & tunc rediit Veronam. Die XXIX. Decembris Rhegienses iverunt ad Dinazanum, quod tenebat D. Saxolus de Saxolo, quod subitò obtinuerunt, & ipso die positæ sunt custodiæ in Castellarano pro Commune Rhegii quia appropinquabant illi de Rodelia. Et istis diebus illi de Corte Quarantulæ cœperunt obedire Communi Rhegii, quia diu obedire distulerant. In Festo Sancti Nicolai cœpit esse tantum gelu, quòd Padus gelavit: quare homines, & bestiæ transibant super eum, nec poteramus comedere panem, nisi primò poneretur ad ignem, & duravit usque ad XXV. diem Februarii.

MCCCXIX. die VII. Februarii discessit Mediolanensis exercitus à Janua sinè ullo clamore in noctis silentio solùm cum armis, & equis, dimissis ibi omnibus suis rebus. Et ipso tempore erant Rhegii sapientes de treuga, qui bene gubernabant Civitatem.

Eo anno die XXIV. Aprilis D. Canis, & D. Passarinus cum magno exercitu venerunt Rhegium ad instantiam illorum de Sesso, qui

qui exulabant, & secum erant. Qui hospitati sunt, scilicet D. Canis, & D. Passarinus in Ecclesia Sancti Blasii Burgi Sanctæ Crucis, & habito colloquio cum Legatis Rhegiensibus, recesserunt die XXIX. dicti mensis. Et statim Rhegienses petunt à Bononiensibus auxilium, qui miserunt quatuorcentum milites, ... equites, ducentum balistarios, & centum pedites cum lanceis longis, qui steterunt Rhegii pro libito Rhegiensium. Et Jacobus de Rodelia Castellaranum accepit Rhegiensibus in adventu dicti exercitus. De mense Septembris illi de Canossa exiverunt clam Rhegium, & iverunt statim in suis Oppidis. Eo mense extrinseci Januæ iverunt cum Mediolanensibus per aquam, & terram, & habuerunt turrim de Codesarii. Quo mense D. Canis ivit Patavium, & fecit fieri Bastiam in Burgo dictæ Civitatis.

De mense Octobris ivit exercitus Mutinensium Carpum, quod se rebellaverat Manfredo de Piis, & in Mutina non erant aliqui Nobiles, nisi D. Franciscus de la Mirandula, quia omnes erant exules tam Guelfi, quàm Gibellini. Et D. Passarinus dedit illis de Piis, de Gorzano, & de Magreto gentes, ut bellum facerent Mutinensibus, & dedit eis in Capitaneum Guidinellum de Monteculo hominem bellicosum. Eodem mense D. Gibertus de Corrigia venit de Thuscia cum octocentum equitibus, & removit exercitum à Carpo; postea transivit Padum, & ivit per districtum Cremonæ, quem Gibellini tenebant, & ivit per Comitatum Brixiæ, ubi obtinuit multa Castella. Die XXII. Novembris ipse D. Gibertus cum Cavalcabobus vi intravit Cremonam, & expulit Punzonos, & Gibellinos, & gentes D. Passarini, qui dominabatur Cremonæ, & obtinuit dominium. Die primo Decembris data est Mutina D. Passarino per D. Franciscum de la Mirandula certis pactis in brevi malè servatis, ut infra patebit.

MCCCXX. de mense Januarii Dominus Canis discessit ab obsidione Patavii, relictis exulibus in castris, quæ fecerat, & fecerunt compromissum in Ducem Austriæ, cui Duci Patavini se dederant, & ipse miserat Comitem Goriziæ circa Vicentiam cum exercitu suo. Ideo Dominus Canis recessit à Patavio. Eo mense clausæ sunt omnes portæ Rhegii, præter portam Sancti Petri, & Sancti Stephani. Die XX. Martii Rhegienses equitaverunt ad Montem Caulum, quem habuerunt die sequenti de concordia. Die XXVII. Martii Rhegienses iverunt ad Castellarium, quod est in Situla subtus Castellaranum, quod tenebat Saxolus de Saxolo, quo obtento, & necessariis fulto, Rhegium redierunt. Die XVI. Maji Rhegienses reædificarunt Pujanellum, & reliquerunt ibi milites, qui profligaverunt illos de Gipso Crustuli, & ceperunt Baronum filium Simonis de Canossa, qui graviter vulneratus ductus est in carcerem Rhegii. Die VII. Junii iverunt Padernum, quod per vim captum fuit, & combustum, omnibus quasi occisis, qui intus erant. In quo ceperunt Rolandinum de Canossa. Altera die venerunt Gipsum Crustuli, & ibi omnia destruxerunt in campis, & vineis, ibique steterunt quindecim dies, postea iverunt Castellaranum, & habuerunt Gavardum, & Castrum Veraldum. Die XI. Augusti facta est treuga inter illos de Canossa, & Rhegienses per biennium, & dati sunt obsides Domino Giberto de Corrigia per illos de Canossa, quos ipse dare debet in manus Communis, si contrafacerent aliquando. Et remanserunt carcerati Baronus, & Rolandinus fratres, quotiescumque redditum sit Sarzanum in manibus Communis. Die XIII. dicti mensis facta est treuga inter Rhegienses, & illos de Saxolo, & Castellarano per annum. Die XXVI. dicti mensis profligatus est Dominus Canis à Patavinis in Burgo Patavii ad Bassanellum, & combusta sunt castra à Patavinis, & ipse fugit Vicentiam, & multos bellicosos perdidit viros. De mense Octobris facta est pax inter Dominum Canem, & Patavinos.

MCCCXXI. de mense Aprilis Dominus Maffeus Vicecomes habuit totam Civitatem Vercellarum, quia solùm primò mediam tenebat & duxit Mediolanum in carcerem D. Simonem de Colobiano, qui primò ipsam terram tenebat. Die primo Julii fuit occisus D. Gerardus, & filius ejus in Castro Puvilii per Manzum de Henzola. Ipso die percussit fulmen in merlo, ubi erat Crux justitiæ prope Crustulum, & destruxit Crucem, & Justitiam.

De mense Julii illi de Turre intraverunt Cremam, quam obtinuerunt, & D. Simon de Turre factus est Vicarius Brixiæ per Regem Robertum. Die XXVI. Julii obiit D. Gibertus de Corrigia in Castro-novo Parmensis Diœcesis, & ibi sepultus est per D. Abbatem Sancti Prosperi Albertinum primum. Eo die expulsus est à Populo Bononiense Romeus de Pepulis ex Bononia, & ivit versus Imolam cum filiis. De mense Augusti Perusini habuerunt Assisium datum eis de concordia. Ipso anno misit Papa unà cum Rege Roberto contra Lombardos, & maximè Mediolanenses, D. Raimundum de Cardono cum quinquecentum equitibus, qui recepit multa Castella in Diœcesi Vercellarum. Ipso anno de mense Octobris Florentini, Senenses, & Bononienses ad instantiam Domini Jacobi de Cavalcabobus trecentum quinquaginta milites miserunt, qui cum parte Guelfa equitavit super districtum Placentiæ, & Cremonæ contra Gibellinos, cepitque Burgum Rochebardi, ad quem Burgum die XXIX. dicti mensis accessit D. Galeazius Vicecomes Dominus Placentiæ, & occidit D. Jacobum prædictum, & suos profligavit. Tunc D. Franciscus filius Domini Passarini cepit D. Franciscinum de la Mirandula, & Prendepartem, & ejus filios, fecitque duci Mantuam ad Castellarium, & accepit eis Castrum-vetus, & ivit ad Mirandulam, quam nequivit habere, quia Zampetrus de la Mirandula bene defendit. Sed de mense Decembris sequentis ipsam obtinuit, quam solo in totum æquavit.

MCCCXXII. XVIII. Januarii D. Galeazius Vicecomes per vim obsidionis obtinuit Cremonam, quæ tantùm afflicta nihil ad esum hominum habebat. Die VI. Januarii mortuus est Rex Carolus, & sepultus in suo Regno. Die XIII. Februarii in Rhegio pronunciata est sententia & lata contra Rainaldum, & Opizonem Marchiones Estenses de hæresi. Die XXIII. dicti mensis Rhegii prædicata est Crux contra D. Maffeum Viceco-

cecomitem, & filios, & pronunciati sunt hæretici.

Die primo Aprilis Gibertus & Joannes de Foliano ceperunt Castrum Paulli, in quo capti sunt Simon, & Manfredinus ejus filius de Foliano. Et ipso mense per Perusinos æquati sunt solo muri Assisii, quod ab eis fuerat rebellatum.

Ipso mense Verzusius de Laude rebellavit Castrum Rivaltæ Diœcesis Placentiæ D. Galeazio Vicecomiti. Ipso mense mandato D. Passarini mortui sunt vituperosè D. Franciscus de la Mirandula, & filii in Castellario, ubi in processu temporis per illos de la Mirandula mortuus est cum filio ignominiosè. Die X. Aprilis vênit Brixiam Dux Austriæ cum multitudine magna in auxilium partis Guelfæ ad instantiam Ecclesiæ, & Regis Roberti.

Primo die Maji captum est à Rhegiensibus Castrum Samoni, & in ipso capti sunt Joannes de Foliano, & Bethese de Foliano, & ducti sunt in carcerem Communis Rhegii. Ipso mense Dux Austriæ rediit ad propria loca cum gente sua, eo quòd Brixienses fecerunt ipsum exire Brixiâ, nec voluerunt postea recipere in Civitatem, unde Mainotus recessit.

Eo mense Rhegienses refecerunt Castrum-vetus prope Baisium, & ut guerram facerent Baisio, quod tenebant D. Præpositus, & Rolandinus de Foliano. Die VIII. mensis prædicti illuc equitavit D. Franciscus filius D. Passarini in subsidium D. Præpositi, & Rolandi, & subitò habuit Castrum-vetus prædictum, & affidavit omnes, qui in ipso erant, præter Nicolaum, & Joannem Ritium de Foliano, quos Mutinam captos duxit. Die XXV. Augusti combustum est à Rhegiensibus Castrum Sarzani, & datum est illis de Canossa circa Gipsum in omnibus bonis suis.

Ipso mense apud Basagnanam factum est prœlium inter D. Marcum Vicecomitem, & D. Raimundum de Cardono equitem Regis Roberti, & multi perierunt ex utraque parte; tamdem D. Marcus victor fuit. Die III. Septembris D. Canis, & D. Passarinus venerunt circa Rhegium cum magno exercitu, & voluerunt intrare Burgum Sanctæ Crucis. Quod videntes Rhegienses quidam, mala futura prævidentes (& fuerunt, ut fama est, quidam de Mangiapanis, & de la Fossa) fecerunt cremari dictum Burgum, quia ejus incolæ erant de parte illorum de Sesso, qui erant in dicto exercitu. D. Canis, qui mandaverat suis, ne incenderent Burgum, cognitâ causâ statim oppugnavit Burgum Sancti Petri, Portæ Castelli, Portæque Brenoris, & omnes fecit comburi: quod fuit maximum damnum, ultra quam dici posset. Et Rhegini nocte sequenti combusserunt Burgum Sancti Nazarii, quia erant amici illorum de Sesso. Gens D. Passarini stetit circa Vignolas, gens D. Canis stetit super stratam, omnia vastando & comburendo. Die sequenti equitaverunt ad Castrum Sancti Martini Robertorum, quod habere non potuerunt, sed miserunt statim Mutinam pro manganis & trabuchis, ut oppugnarent Castrum, sed post quinque dies cùm cœnarent, præsentata est quædam litera Domino Cani, qua visa, subitò sinè ordine recesserunt Razolum versùs, & filius D. Passarini Mutinam versùs cum suis instrumentis bellicis: causa à nobis ignoratur. Die XIX. Septembris clamor fuit in populo Parmæ, & captus est D. Joannes Quilicus, D. Joannes de Sancto Vitale, Abbas Sancti Joannis, Guilielmus de Covriaco, & Zapeta ejus Nepos, & alii plures, & multi deprædati sunt, & expulsi, multique timore abierunt. Die XXIII. Septembris illi de Corrigia redierunt Parmam facta pace inter ipsos, & Rubeos. Die III. Octobris D. Passarinus habuit Castrum Bodrioni Diœcesis Rhegiensis absque ullo prœlio. Die IX. Octobris D. Verzusius de Laude accepit Civitatem Placentiæ Vicecomitibus de Mediolano, auxilio gentis Domini Raimundi de Cardono Vicarii Regis Roberti. Et eo mense prœliati sunt insimul Dux Austriæ, & Dux Bavariæ, quia uterque se Regem Alamanniæ dicebat. Tandem victor fuit Rex Bavariæ, & cepit Regem Austriæ, & fratrem ejus occîdit gladio.

Die VIII. Novembris expelluntur Vicecomites à Mediolano per Nobiles, & Populares, & se reducunt in Laude. Die XXV. Novembris D. Beltrandus Legatus de Latere Domini Papæ intravit Placentiam, & dedit Placentinis Vicarium Dominum Joannem de Laude pro Ecclesia Romana, & in Burgo Sancti Donini posuit Vicarium pro Ecclesia, & omnes exules intrarunt Placentiam. Ipso mense Rhegienses miserunt ad Legatum, ut eis mittat Vicarium.

Die XI. Decembris D. Galeazius Vicecomes rediit Mediolanum, & dominati sunt Vicecomites ibi usque in præsens tempus; & hoc tractatu quorumdam Nobilium. Die XIX. misit ipse Legatus Rhegium D. Martinum de Castro Ainardo de Este in Capitaneum pro sex mensibus.

MCCCXXIII. Rhegienses miserunt D. Legato Placentiam centum milites, & Azo de Manfredis fuit Capitaneus eorum. Bononienses miserunt ducentum, Florentini ducentum, Parmenses centum de mense Februarii. Die XXV. dicti mensis cùm Marescalcus Papæ transfire vellet Aduam ad guadum Cassani, & Marcus Vicecomes ipsum prohiberet, insimul conflixerunt; & prima acies Marescalchi per Marcum profligata est, in qua erant ductores D. Verzusius de Laude, D. Franciscus de Garbagnana, D. Simon Crivellus; sed secunda acie convalescente conversus est Marcus in fugam cum suis. Mortui sunt de gente Marescalchi D. Simon prædictus, & D. Franciscus, & frater quidam D. Verzusii. De gente verò D. Marci capti sunt ducentum, & mortui sunt plures; & tunc gens Papæ habuit Modoëtiam, & alias plures Terras. Die XVII. Februarii Januenses intraverunt Burgum de Vaccis, quem exules tenebant, & habuerunt secum de Extrinsecis trecentum; & in ipso prœlio est mortuus Gabriel, qui dicebatur Zavaja de illis de Sesso, qui fuit maritus sororis Monialis Catharinæ de Sesso Ordinis Sanctæ Claræ in Rhegio. Die II. Aprilis intravit D. Raimundus de Cardono Alexandriam de concordia pro Papa, & Rege Roberto. Die X. Junii idem equitavit ad Monzam, ubi erat exercitus D. Legati, postmodum equitavit Mediolanum, & posuit castra sua prope unum milliare. Die XIII. Junii D. Raimun-

A mundus cum exercitu Ecclesiæ formavit exercitum suum super foveas Mediolani, contra quem Vicecomites exierunt cum gente sua, tamdem se reduxerunt in Civitatem timore justo, & Burgos cremarunt. Et ipso die Azo de Manfredis factus est eques in exercitu Ecclesiæ, credens eo die prœliari. Die XIX. dicti mensis D. Raimundus cum exercitu Ecclesiæ intravit Burgum Cumanæ, quem Burgum vi fortificavit. Isto mense audivi à bonis Civibus Cremonensibus, quòd solebant habere in dicta Civitate decem millia hominum portantium arma, sed hodie vix mille ducentum, & hoc propter mutationes Dominorum, & malum suum statum. Et tunc
B tot Cremonenses erant Rhegii, quòd non poterant recipi à Rhegiensibus in domibus, sed oportebat eos sub porticibus commorari, & benignè tractati sunt à Cremonensibus. Die XXVI. Julii Teotonici, qui erant in Burgo Mediolani ad stipendium Ecclesiæ intraverunt Mediolanum in favorem Mediolanensium, habito primo clam tractatu. Hoc videntes illi de Turre, qui erant in ipso exercitu, & Capitanei exercitus reduxerunt se Monzam cum ordine bono, & cremaverunt Burgum, in quo erant, & in dicto exercitu erat morbus maximus, & ægritudo pessima.

De mense Augusti Mediolanenses vene-
C runt circa Monzam, & die XIV. dicti mensis captus est Gibertus de Foliano, & ductus est in carcerem Baisii eundo Levizanum per filios Simonis de Foliano, qui extra sunt.

De mense Septembris per D. Raimundum de Cardono fugatus est exercitus Mediolanensis à Monza cum damno maximo Mediolanensium.

MCCCXXIV. de mense Februarii per D. Marcum Vicecomitem profligatus est D. Raimundus de Cardono, & captus est. Mortuus est D. Simon de la Turre, & omnis gens D. Raimundi capta, & mortua est, & hoc bellum fuit ad Burgum de Vavra super ripam Aduæ. Die XI. Martii vênit D. Galea-
D rius Vicecomes circa Monzam, & oppugnavit dictam terram cum cæde, & strage suorum non modica. Et cùm iterum Mediolanenses se pararent ad bellum, divisio oritur inter Teotonicos Mediolanensium, unde aliqui ex eis intraverunt pacificè Monzam: quod videntes Mediolanenses retrocesserunt duo milliaria. Ipso mense cùm Perusini affligerent Spoletum gubernatum tunc per Gibellinos, & eis deficeret victus, & auxilium pugnatorum, & ipsi Gibellini se dare nollent, inciderunt muros dictæ Civitatis clam, & Ecclesiam majorem, palatia, & quasi cuncta ædificia dictæ terræ, & sustentabant omnia ædificia lignis; postea igne imposito unâ horâ tota Civitas corruit, & recesserunt ipsâ re-
E lictâ. Et primo die Junii venerunt Patavium Dux Carinthiæ, & Otho Dux Austriæ cum sexdecim millibus hominum bellatorum in favorem Patavinorum contra Canem, datâ eis pecuniâ à Patavinis. Et petebant à D. Cane Oppida, quæ ipse tenebat in Diœcesi Patavii; ipse verò eis verba dedit in tantum, quòd expensa est pecunia à Patavinis data, & sic facta treuga inter ipsos, & D. Canem usque ad Nativitatem Domini, repatriaverunt XV. Julii. De Mense Decembris D. Galeazius per vim habuit Monzam contra statum Ecclesiæ, & Regis Roberti.

MCCCXXV. die XVII. Februarii Parmenses oppugnaverunt Sablionum districtus Rhegii, quo capto, & diruto, occiderunt, & ceperunt omnes, qui intus erant, & ceperunt Joannem de Covriaco, & alii de Covriaco evaserunt hoc præsentientes. Die XXI. Februarii gens D. Galeatii Vicecomitis intravit Castilionum Diœcesis Parmæ, sed Parmenses continuò congregatis hinc inde hominibus bellicosis, illuc accesserunt. Die XV. Martii gens D. Galeatii salvis personis, & rebus dederunt Castrum Parmensibus. Die XVI. Martii Azo filius D. Galeatii Vicecomitis habuit Burgum Sancti Donini sibi datum per homines dictæ Terræ contra Dominum Legatum. Die XXII. Maji vênit dictus Azo super districtum Parmæ, & multa Castella depopulari, comburique fecit in Diœcesi Parmæ, tamdem rediit ad Burgum. Die XIV. Junii Rolandus Rubeus cum Parmensibus ivit Florenzolam obviando exercitui Ecclesiæ, & simul se ponunt circa Burgum contra Mediolanenses. De mense Julii equitarunt Florentini prope Pistorium omnia vastando, ceperuntque Pontem de Capuano, Montem-Falconum, & Altum-passum. Ipso mense D. Franciscus filius D. Passarini equitavit ad Castrum Florentii, quod tenebat D. Saxolus de Saxolo, & ipsum obtinuit paucis diebus de concordia, & statim posuit castra circa Saxolum. Et ipso mense Dominus Passarinus vênit Mutinam, quo statim accedunt D. Canis, & Marchio Ferrariæ, & castrametantur circa Saxolum. Die XV. dicti mensis traditum est Castrum D. Passarino, quia Rustici noluerunt bellum. De mense Augusti Bononienses, & Mutinenses extrinseci venerunt super districtum Mutinæ vastando, comburendo, deprædandoque contra Dominum Passarinum, qui ipsos in Mutina recipere nolebat. De mense Octobris Dominus Franciscus de Bonacursis Capitaneus Mutinæ habuit Montem-veterem Bononiensis Diœcesis. Eo mense Bononienses venerunt ad dictum Castrum, & relicto exercitu in quodam Monte ibi prope de mille equitibus, & quatuor millibus peditum, redierunt ceteri Bononiam. D. Passarinus auxilio fretus Marchionis Estensis, Azonis Vicecomitis, qui venerat à Luca ad fulciendum dictum Castrum cum octocentum, die XIV. Novembris profligavit ibi Bononienses, qui remanserunt ibi in obsidione dicti Castri super Monte, & mortui, & capti sunt quasi omnes. Eo anno die XVIII. Augusti Florentini habuerunt Altum-passum de concordia. De mense Septembris recessit à Burgo Azo Vicecomes cum octocentum militibus, & ivit in Thusciam, adhæsitque Castrucio Domino Lucæ. Qui die XXIII. Septembris impetum fecerunt contra Dominum Raimundum de Cardono, qui ductor erat exercitus Florentinorum, & profligatis Florentinis captus est ipse D. Raimundus, & mortui, & capti sunt quamplurimi. Et tunc Castrucius equitavit super districtu Florentiæ ad sui libitum deprædando, comburendo omnia. Eo anno die XVII. Novembris equitarunt D. Passarinus, Marchio Ferrariæ, & Azo Vicecomes versus Bononiam usque ad Henzolam deprædando, & comburendo. Die XVIII. dicti mensis iverunt ad foveas Bono-

Bononiæ balistando intus, & Bononienses qui erant in Ponte Sancti Ambrosii, relicto, & combusto loco, iverunt fugiendo clam Bononiam, & ceperunt Pontem Rheni. In cujus memoriam diruerunt ædificia dicti Pontis, ultraque Pontem versùs Bononiam fecerunt currere pallium scarlatium in vituperium Bononiensium. Die XXIV. habuerunt Bazanum sibi datum per custodes Bononiensium.

MCCCXXVI. die XXVIII. Januarii lectæ sunt literæ pacis inter Bononienses, & Mutinenses, & die ultimo dicti mensis relaxati sunt de carceribus Mutinæ septingenti de Bononia, & restituta sunt Oppida Bazanum, & Mons-vetus Communi Bononiæ per Dominum Passarinum, & ipse pro se tenuit Pontem Sancti Ambrosii. Die VIII. Martii recessit Dominus Verzusius de Laudo à Civitate Parmæ cum sexcentum militibus Teotonicis Domini Legati, & ivit Saxolum, & intravit Burgum consensu Rusticorum; die verò XV. dicti mensis habuit arcem Saxoli, quam tenebat Dominus Mutinæ, qui D. Verzusius statim fecit fortificari dictum locum. Et dicto mense dicti milites venerunt Rhegium, & equitaverunt Campumgajanum, & multa prædati sunt ibi. De mense Aprilis iverunt Carpum, & ceperunt Burgum per vim, & ibi multa lucrati sunt, & combusserunt dictum Burgum. Inde iverunt Gorzanum, & ad Montem-veterem, quæ Castella obtinuerunt violenter pro Ecclesia. De mense Maji discedentes à Burgis Rhegii iverunt Guastallam, & ad Castrum Gualterii. Et Ganzariæ D. Passarini, Marchionis Estensis, & Azonis Vicecomitis erant in Pado damna faciendo gentibus Ecclesiæ, ipsi verò cum exercitibus suis erant Mantuæ. Die XV. Junii transiverunt gentes Ecclesiæ cum filiis quondam D. Giberti de Corrigia quamdam foveam, & sæpe per vim, quam fecerat fieri D. Passarinus, & intraverunt Insulam Suzariæ, & ibi profligatæ sunt gentes D. Passarini. Et tunc equitarunt ad Burgum-fortem, & habuerunt portam, & turrim, quæ erat in capite pontis, & duravit deprædatio Insulæ octo dies & plus, quia plena erat omnibus bonis; nam credebant homines ibi tutè posse commorari. Et fecerunt in Burgoforti unum Castrum, & datum est in custodia filiis D. Giberti de Corrigia per Ecclesiam; & octocentum equites, & quantitas magna peditum data est eis pro custodiendo dictum locum. Eo anno XXIII. Junii fuit gens D. Legati cum D. Verzusio Capitaneo dictæ gentis Mutinæ, & cepit per vim Burgum Citanovæ, & se fortificarunt, & quasi totus Episcopatus Mutinæ obediebat eis præter Carpum, & Campum-gajanum.

Die XIII. Julii duxerunt Rhegienses Razolum unum batifredum cum duobus pontibus levatoriis, & posuerunt super strata in vallibus, & ipsi custodiri fecerunt. Die III. Augusti recesserunt milites Ecclesiæ à Burgo Mutinæ, & iverunt Campum-gajanum, & ceperunt turrim illorum de Carretis, quam cum pluribus hominibus combusserunt, postea iverunt Carpum cum exercitu. Die IX. Augusti accessit illuc D. Agotus del Balso imperator totius exercitus Ecclesiæ cum trecentum militibus, & die XIV. Augusti iverunt dictæ gentes, relicto Carpo, Varanum, & Ravaranum Diœcesis Parmæ, quibus obtentis destruxerunt omnia, quia dabant necessaria vitæ illis de Burgo-forti. Die XXV. Julii accessit Dux Calabriæ Florentiam cum tribus millibus militum, cui datum est dominium plenum dictæ Civitatis. Die XXVII. Septembris data est Civitas Parmæ D. Legato Hostiensi de latere Ecclesiæ in Concilio generali, vacante Imperio. Die IV. Octobris data est Civitas Rhegii eidem Legato vacante Imperio. Die XXIX. Octobris venit Rhegium D. Agotus cum militibus Ecclesiæ.

MCCCXXVII. die VI. Januarii quidam de Baisio, qui custodiebant Arcem Castellarani pro Atone de Rodelia, quos ei solvebat D. Passarinus, insultum fecerunt proditoriè in ipsum Atonem adhuc in lecto jacentem. Hoc ipse videns, quòd manus ejus evadere non poterat, prosiliens è lecto saltavit super cancello turris, & se præcipitem dedit, & mortuus est, antequam terram tangeret præ nimia altitudine. Et statim Dominus Guido Savina de Foliano illuc accessit, & cepit dictum Castrum, tractatu rusticorum, sed custodes prædicti tenebant arcem pro Guidone de Rodelia. Tandem Capitaneus Rhegii pro Ecclesia illuc vadens omnia habuit liberè. Die XXVII. Januarii venit Legatus Rhegium, & ibi stetit octo diebus. Die III. Februarii ivit Bononiam, cui octavo die dicti mensis data est sibi Bononia in Consilio generali. Eo anno accessit D. Ludovicus Dux Bavariæ in Lombardiam, qui se dicebat Imperatorem contra voluntatem Ecclesiæ, & dicebatur Bavarus, quia Dux Bavariæ erat.

Die III. Aprilis obiit D. Gerardus de Robertis, & die V. dicti mensis maxima nix cecidit, præcipuè in montibus, in tantum quòd innumerabiles bestiæ perierunt fame. Et tunc valuit frumentum solidos XXIV. Bononienses, & multæ pluviæ, & aquarum inundationes fuerunt. Die primo Junii coronatus est prædictus Ludovicus Coronâ Ferreâ per Episcopos Aretinum, & Mediolanensem apud Mediolanum, interdictos tamen per Papam. Et die V. Junii expulerunt Mutinenses D. Passarinum, & fecerunt compositionem cum Legato, qui erat Bononiæ. De mense Julii per dictum Imperatorem capti sunt D. Galeatius, D. Azo ejus filius, Luchinus ejus frater, Joannes ejus frater: hic fuit postea Archiepiscopus Mediolani, Stephanus ejus frater: hic fuit Pater D. Bernabovis, Galeatii, & Maffæi; & ducti sunt Modoëtiam ad carcerem, excepto D. Galeatio, quem reliquit. De mense Augusti ivit Lucam dictus Imperator cum duobus millibus equitum, & cum gente Castrucii formavit Castra circa Pisas, volens Civitatem, sed populus denegabat offerens sibi pecuniam multam statim, & Civitate habita, in Urbe coronatur. Die XI. Octobris data est ei dicta Civitas, & tunc erant in suo exercitu circa quatuor millia equitum, & viginti millia peditum armatorum. Die XXVI. Decembris recessit cum Castrucio eundo per Maredemam à Pisis cum maxima multitudine militum, & ibat Romam. Die XXVIII. dicti mensis discessit Dux filius Regis Roberti de Florentia, & ibat versùs Romam.

MCCCXXVIII. die VII. Januarii intravit

vit dictus Imperator Romam, & fecit Castrucium Senatorem Urbis, Sarram de Columna Comitem Palatii. Die XXVIII. Januarii intraverunt Civitatem Pistorii Florentini, quam acceperunt Castrucio, quam Castrucius de mense Maji proximè sequenti à Florentinis potenter subtraxit. Eo anno & mense in Ascensione electus est quidam Minorum in Papam per Imperatorem, & populum Romanum contra Papam, qui tunc in Avinione stabat, & ipse Imperator excommunicatus est per Papam. Eo mense coronatus est Dominus Philippus de Valesia in Regem Franciæ. De mense Junii in Vigilia Sancti Prosperi horâ primi somni iverunt Guiducius, & Joannes de Manfredis unà cum Joanne Ricio de Foliano ad Palatium Communis Rhegii, dixeruntque velle alloqui D. Angelum de Sancto Lupidio Rectorem hujus Civitatis pro Ecclesia Romana, qui statim fecit eos introduci ad se, & erat discalceatus in una diploide syndonis ante Altare super Palatio, & dicebat Officium Virginis, quem ipsi quodam pugione occiderunt ibi. Hi postea iverunt ad sua Oppida in montibus. Causa mortis hujus fuit, quia acceperat quemdam latronem nocturnum, & satellitem illorum de Foliano, qui dicebatur Biasolus de Pizis, & suspendio condemnaverat. Hæc fuit destructio hujus Civitatis; nam populus, qui ulcisci poterat, nihil dixit, sed in brevi tempore, ut infra patebit, introduxerunt eos in Civitatem. Hic sepultus est ad Ecclesiam Prædicatorum in Arca nova ante januam Ecclesiæ de subtus, & multa per eum miracula Deus ostendit. De mense Julii percussit sagitta tonitrus in Palatio Notariorum Communis Rhegii. Eo anno primo die Augusti accessit Marsilius de Rubeis, & D. Azo de Corrigia Rhegium, & summo mane Gibertus de Foliano, Nicolaus de Manfredis, quorum tractatu interemptus fuerat nudius tertius Rector Civitatis, intraverunt Civitatem Rhegii apertâ eis portâ Castelli per Cives quosdam, qui mutare statum peroptabant solito suo more, & duxerunt rusticos Mutinenses, & sinè prœlio expulerunt Arnaldum Vachera cum gente sua. Et illi de Robertis, qui in Civitate per omnia erant potentes, cordis vilitate hoc sentientes, quia eis dicebatur, non sunt ausi sumere arma. Hoc facto illi de Foliano equitaverunt Castellaranum, sed Arx subitò munita per dictum Arnaldum est, quam habere non potuerunt; sed tentum est per Ecclesiam dictum Castrum. Et die sequenti Rubei acceperunt Parmam D. Legato, & datus est nobis pro Rectore per Marsilium prædictum Bonacursius Rugerius de Parma, & expulsus est D. Passarinus de la Turre, qui erat Rector pro Ecclesia. Die XI. dicti mensis per illos de Foliano, & de Manfredis capti sunt Roberti, & positi in carcerem Communis, & solæ istæ duæ partes remanserunt in Rhegio, sed, ut infra patebit, cito expulsi sunt Manfredi à sociis. Die XV. dicti mensis equitaverunt hæ duæ partes ad Castrum Plebis de Prato, quod habuerunt, & posuerunt in eo pro custodibus . . . . . . & Thomasinum de Robertis, qui erant inimici aliorum de Robertis stantibus in Sancto Martino. Die XXIV. mensis prædicti exivit Imperator cum Papa falso Romà, nam fiebat tractatus contra ipsos, & venerunt Viterbium. Et tunc Stephanus de Colonna cum gente Regis Roberti intravit Urbem. Die XXVI. Augusti eo anno accepta est Mantua D. Passarino de Bonacosiis per Guidonem, Philippinum, & Feltrinum de Gonzaga filios D. Ludovici, & ipsum fugientem ad Palatium occiderunt ante Portam dicti Palatii, quæ clausa erat; nam si fuisset aperta, non mortuus esset, quia diligebatur à populo. Et ceperunt D. Franciscum ejus filium in lecto jacentem adhuc, & filios Butironi fratris ipsius D. Passarini, qui D. Franciscus datus est in potestatem Nicolai de la Mirandula ejus inimici, qui ipsum maximo cruciatu mori fecit. Alii de Familia sua ducti sunt ad Castellarium, & ibi positi, ubi ipse D. Passarinus, & sui alios fame mori faciebant. Et hoc factum est auxilio eorum de la Scala, qui pro se Civitatem Mantuæ habere credebant. Causa fuit, quia D. Franciscus dixerat D. Philippo de Gonzaga verba inhonesta de ejus uxore, unde in morte sua abscissa sunt ei virilia, & in os imposita, & bene. Et factus est Dominus Mantuæ D. Ludovicus Pater ipsorum nomine, sed re ipsi tres fratres. Eo anno obiit D. Galeatius Vicecomes de Mediolano, & sepultus est Lucæ in exilio.

Die III. Septembris obiit Castrucius, qui erat Dominus Pisarum, Lucæ, & Pistorii. Hic fuit homo probissimus, & legalis ultra quàm dici possit. Die X. Septembris D. Canis habuit Civitatem Patavii sibi datam per Marsilium de Carraria.

Eo mense vênit Imperator Lucam, & tunc Rhegii valebat frumentum XXVIII. Bononienses, & faba XXIII. Eo mense equitaverunt Regini Gipsum illorum de Canossa, & tractatu fratrum Rolandini de Canossa habuerunt Burgum, quem in villis adjacentibus combusserunt. Et XII. Octobris equitaverunt Roberti Portiolum causâ prædationis, quibus obviaverunt Rhegienses, & capti sunt ex eis viginti equi, & duo filii Bartholomæi de Robertis, & quasi omnes ex eis ducti sunt Rhegium.

De mense Octobris mortuus est Dux Calabriæ filius Regis Roberti in Apulia. Die XXVII. Novembris facta est Curia solemnis in Verona per D. Canem de la Scala, in qua triginta octo Nobiles equites fecit, & unicuique donavit unum destrerium, & unum palafrenum arredatum, & duas robas de varis fodratas. In hac Curia fuerunt quinque millia equorum forensium ex diversis locis, Nobiles quamplurimi ibi fuerunt.

MCCCXXIX. die XIII. Januarii Marsilius, & Petrus de Rubeis cum gente sua, & Rhegiensibus iverunt Herberiam, & vi ceperunt Burgum à fero, ubi erat gens Ecclesiæ, quæ profligata est, & captus est Gerardus Bojardus, & plures alii.

Eo anno Philippus Rex Franciæ habuit prœlium campestre cum Flamengis, in quo mortui sunt undecim millia Flamengorum, quinque millia Francorum. Tunc Flamengi subjecti sunt Regis dominio, quem longo tempore expulerant, & æquatæ sunt foveæ, & muri Flandriæ per ipsum Regem. Eo anno de mense Martii gens Ecclesiæ tractatu D. Joannis de Levaloris, qui portam Sancti Nazarii aperuit, se introduxit Rhegium per præ-

prædictam portam. Sed ipsius gentis Capitaneus voluit dormire in Sancto Martino de Robertis, ita quòd jam dies erat, quando gens magna applicuit, & sentiti sunt, & per Antonium de Lupis de Canulis sunt expulsi. Et tunc Frater Zifredinus de Mutis fecerat sibi dari claves in sero præcedenti Burgi Sancti Nazarii Capitaneo, & in nocte aperuerat omnes clavaturas, & postea projecerat claves in puteo; nam dixerat se velle ire ad bagnum videre suos, ideo Capitaneus dederat ei claves, ne vocaret eum in nocte, cùm dormiret. Et in illa hora, qua gens intrabat, ipse ascenderat super turrim Monasterii, & campanam grossam pulsabat. Et cùm vidit eos expelli, relictâ campanâ fugit Bononiam. Hic tractatus fuit in Monasterio, unde tempore suæ destructionis audivi plures dicentes hoc dignum factum ob hanc causam. Et tunc captus est D. Julianus Pater D. Joannis prædicti, & frater D. Abbatis Albertini, qui erat Bononiæ, & exemptus est de bonis Monasterii ab illis de Foliano per octocentum Ducatos. Et suspensus est per illos de Foliano Guercius de Luisinis super portam Sancti Nazarii, quia sciverat hanc rem, & captus fuit cùm exiret Civitatem filando more mulieris in habitu muliebri. Eo anno & mense Aprilis transivit Imperator Aduam, & obsedit Monzam. De mense Julii misit D. Azo Vicecomes suos Legatos ad Legatum, qui erat Bononiæ. Et de mense prædicto factus est D. Joannes filius D. Maffei Vicecomitis Cardinalis, & Legatus in Lombardia per Papam falsum. Et D. Azo Vicarius est factus per Imperatorem in Mediolano. Die XVI. Aprilis transivit Imperator Padum, & ivit Cremonam versùs. Die XIX. Maji venit gens Ecclesiæ Casalgrandum, & habuit locum Pecorariorum, & Medicorum per vim. Die XXIII. dicti mensis venit dicta gens Herberiam, quam habuit; sequenti die habuit Plebem de Bagno. Die sequenti hospitata est ad Sanctum Mauritium multa damna faciendo. Die XXVI. dicti mensis ivit Rivaltam omnia comburendo, & ivit Covriacum, & omnia breviter combussit, quæ potuit; postmodum ivit ad Colechium districtus Parmæ, & habuit locum, & ibi multa bona invenit, quia nemo fugerat, & omnia igne cremabat usque ad portas Parmæ. Erat in eo exercitu octocentum equites, & sexdecim millia peditum, & ultra. Iverunt cum eis ultra quinque centum currus, & Placentini erant in Pado cum navibus, & dabant eis victualia, & tunc Rhegii valebat frumentum quadraginta solidos Bononienses.

Eo anno de mense Maji facta est pax inter Pistorienses, & Florentinos, & Florentini fecerunt omnes redire, duobus exceptis, ex quibus continuè decem stabant vicissim in Pistorio. Et tenuerunt Florentini quædam Castra, & dabant Potestatem Pistoriensibus, & tunc ipsi Capitaneum eligebant, post sex menses dabant eis Capitaneum, & ipsi eligebant Potestatem, & sic vicissim fiebant electiones. Eo anno die XXVI. Junii publicata est pax inter Legatum, & Mutinenses, & posuit Legatus in Mutina Potestatem Hectorem de Panicho. Die VI. Julii gens Ecclesiæ ivit circa Faventiam, quam tenebat Albericus de Manfredis, quam obtinuit Legatus in brevi tempore.

Die XII. Julii D. Canis de la Scala cùm esset in exercitu circa Trevisium, quam habuit, antequam haberet ipsam, & intraret, totus armatus bibit in fonte Sanctorum quadraginta extra Civitatem, & subitò infirmatus est, ita quòd cùm esset infirmus habuit dominium. Die XXII. dicti mensis in dicta Civitate obiit, & portatum est corpus ejus Veronam, & sepultum cum honore maximo; & successerunt ei Mastinus, & Albertus, fratres, & nepotes ejus. Hic homo non magnus, sed bene compositus, & probus ultra modum, & magni cordis, & animi, semper primus contra inimicos percutiens, & de ipso multa cantabantur, & meritò. Die XVII. mensis Augusti capti sunt in Bononia per D. Legatum Rolandus de Rubeis, à quo ipse Parmam petebat, & Azo de Manfredis, à quo Rhegium petebat, dicens has Civitates duas eorum fraude Ecclesiæ subtractas, quæ à populis Papæ liberè datæ fuerant, & de hoc monstrabat publica Instrumenta. Eo mense facta quadam compositione inter Legatum, & Rhegienses, & Parmenses, misit Legatus D. de Picolominis de Senis Rectorem Rhegii, similiter Rectorem Parmam misit. De mense Septembris die IV. D. Legatus revocavit Rectores prædictos, quia nolebant Rhegienses, & Parmenses reddere Civitates Ecclesiæ, & incœptum est bellum inter Ecclesiam, & has Civitates. Die VIII. dicti mensis venerunt gentes Ecclesiæ Arcetum, & ceperunt Castrum, & omnia, quæ in ipso erant. Die V. mortuus est D. Marcus Vicecomes de Mediolano tali modo; suffocatus est operâ sui Nepotis D. Azonis filii quondam Galeazii, postmodum projectus est extra unum cancellum, & fama fuit, quòd se projecerat. Causa, quare hoc fecerit Azo, est: Nam cùm Imperator, Bavarus dictus, esset Mediolani in libero dominio, tractarunt Vicecomites mortem Imperatoris, & Stephanus frater ipsius D. Marci debebat sibi dare potum veneno mixtum, & ipse Marcus intimavit hoc Imperatori dolosè: unde cùm D. Stephanus potum præberet Imperatori, dixit Imperator: *tu hoc bibe totum*, quod & fecit, & statim mortuus est, quod D. Azo ex parte D. Marci molestè tulit; unde cùm dominium habuit, mortem tractavit ejus hoc modo. Hic D. Stephanus fuit Pater Bernabovis, Galeazii, & Maffei, qui etiam non libenter, nec naturali morte decessit, ex eo quia tractavit dare Parmam D. Philippino de Gonzaga genero suo contra voluntatem Vicecomitum.

Die XXIX. Septembris gentes Ecclesiæ venerunt in districtum Rhegii per Bagnolum eundo ad Castrum de Arzone, quod habuerunt, omnia comburendo, & deprædando. Tamdem iverunt ad Castrum-novum Parmensis Diœcesis. Die ultimo dicti mensis equitarunt dictæ gentes à latere superiori usque ad portas Parmæ, omnia igne comburendo, & deprædando; die sequenti redierunt ad Castrum-novum.

Die II. Octobris venerunt Rhegium, & combusserunt Burgos Sancti Stephani, & portam Bernonis, & omnia extra Civitatem usque ad Albineam, & Borzanum, & similiter sic iverunt comburendo Saxolum, & Herberiam, quæ sua erant. Die IX. Octobris

bris redierunt ad Burgos Sancti Petri, & Sanctæ Crucis, & combusserunt eos, & omnia bona extra portas, & iterum iverunt ad Castrum-novum Parmensis Diœcesis. Eo anno & mense vênit Parmam quidam Vicarius Imperatoris ductus de Mediolano per Petrum de Rubeis cum multis Teotonicis, & combusserunt circa Castrum-novum, Brisilium, & Castrum Gualterum filiorum quondam D. Giberti de Corrigia, qui erant cum Ecclesia. Die VII. Novembris iverunt gentes Ecclesiæ versùs Guastallam, causâ inveniendi Imperatorem, quem audiverant velle transire Padum. Die XVI. dicti mensis Marsilius de Rubeis, & Petrus duxerunt Imperatorem Parmam cum suo exercitu, & dato ei dominio, dedit eis Vicarium.

Die XX. dicti mensis Rhegienses, & Parmenses equitaverunt ad Bagnum, & habuerunt locum illorum de Mutis: & omnia prædati sunt. Die XXV. dicti mensis Imperator fecit Vicarium Marsilium in Civitate Parmæ, & die XXVII. vênit Rhegium Vicarius Imperatoris cum Petro de Rubeis cum magna gente, & tunc Civitas Rhegii est interdicta.

Die sequenti ivit Marescalcus Imperatoris Mutinam cum aliquibus Bononiensibus exulibus causâ proditionis factæ, contrà Legatum Bononiæ, ex qua decapitati sunt quinque, inter quos Albergitinus de Manfredis Dominus olim Faventiæ. Et Archipresbyter de Galutiis, qui, quasi erat Dominus Bononiæ judicatus est ad panem & aquam, in quo brevi tempore decessit. Et tunc permissione & voluntate pacifica D. Manfredi de Piis Domini Mutinæ dictus Marescalcus cum suis Teotonicis intravit Mutinam, & omnia bona unicuique abstulerunt de domibus, & etiam mulieres, dicentes omnia esse Imperii, & muros de domo in domum perforabant, & hoc pluribus mensibus factum est. Tamdem D. Manfredus prædictus cupiens liberari ab hoc opprobrio, sub specie prædationis super Bononienses extra Mutinam eos duxit, quibus claudi fecit portas post ipsos. Et istud est Teotonicorum regimen bonum, à quo nos Deus liberet, unde Mutinenses dicunt hodie cùm volunt malum statum dicere, tale dicunt, quale fuit tempore Teotonicorum.

Die XXIX. Novembris pronunciatur Papa falsus hæreticus in Civitate Parmæ. Die II. Decembris recessit Imperator Parmâ Trentumque versùs ivit ad colloquium cum Nobilibus Alamanniæ, secumque duxit Nicolaum de Foliano, & Guiducium de Manfredis de Rhegio. De Parma Marsilium de Rubeis, quos, cùm fuit Trenti, domum remisit, ipse verò ivit in Alamanniam. Die VII. dicti mensis Comes Utinus de gente Imperatoris cum sexaginta militibus veniens de Mutina, cùm fuit in ripa Situlæ, gentes Ecclesiæ cum illis de Herberia, qui erant ultra mille prœliantes, ei obviaverunt, ipse verò miles nolens fugere, irruit in eos cum suis, & omnes vertit in fugam, & plures occîdit, inter quos Thomasinum de Robertis, & Joannem de Meliis, & alios plures, & cum honore maximo Rhegium vênit. Eo mense Teotonici hospitati sunt in Sancto Prospero inferiori, & abstulerunt bona Monasterii, quæ valebant mille florenos.

MCCCXXX. vênit gens Ecclesiæ Rhegium comburendo per . . . . . . , & à parte inferiori omnia, & iverunt hospitatûm Herberiam, & hoc fuit XXIII. Aprilis. Die XXIV. Aprilis equitaverunt sexcentum equites, & quatuor centum pedites Formiginem Diœcesis Mutinæ. Mutinenses hoc sentientes, exierunt eis obviam, & eos profligatos dederunt, & ceperunt D. Beltrandum, D. Raimundum, D. Bastardum del Balso fratrem naturalem Regis Roberti, Marescalcum dicti Regis etiam, & XVIII. equites; de aliis ceperunt, & occideruut in maxima quantitate. Et die XXIV. Maji obiit D. Guido Savina de Foliano. Die sequenti quidam de Rhegio invenerunt in Felegaria viginti milites de illis Ecclesiæ, qui stabant Herberiæ, & prœlio superati capti sunt ex illis viginti sexdecim, duo mortui, duo fugerunt. Die XXVI. dicti mensis duæ banderiæ Teotonicorum equitarunt ad Villam-novam Diœcesis Rhegii, & habuerunt magnam prædam bestiarum; & cùm redirent Parmam, obviaverunt illi de Castro-novo, & prœlio inter eos facto, tamdem Teotonici superiores fuerunt, duodecim captis de Castro-novo. Die II. Junii illis de Burgo proditoriè dare volebant quamdam bastîam. Custodes Parmenses prope Burgum Sancti Donini: qua re cognita à Parmensibus, collocatis inter bastîam, & Burgum militibus in insidiis in nocte, cùm vidissent Burgenses exisse, à tergo & ante aggressi sunt, quibus profligatis bastîam, & Burgum obtinuerunt, quod per Ecclesiam tenebatur. Die XIX. Junii gens Ecclesiæ de Bononia equitavit Mutinam, omnia vastando à parte inferiori. Die XXIII. Mutinenses equitarunt Plumacium, & Crevacorum, omnia vastando. Die XXIX. Mutinenses equitaverunt Herberiam cum vastatoribus Mutinensibus, & Rhegiensibus, vastando omnia blada & bona.

Die II. Julii exercitus Bononiensis Mutinam vênit, omnia vastando, & datum est ei Castrum Formiginis per illos de Adelardis. Eo anno die IV. Augusti venerunt Corrigium mille sexcentum homines armati ex illis Ecclesiæ. Die sequenti equitarunt ad Castrum-novum Diœcesis Parmensis, postea Parmam cum multa præda. Tunc hac de causa ex amicis Corrigiensium Parmæ suspensi sunt. Tamdem redierunt Castrum-novum cum gente illorum de la Scala, & castra posuerunt circa Herberiam. Exercitus verò Rhegiensis, Parmensis, & Mutinensis castra posuerunt circa Marzaliam ultra Situlam; & tunc exercitus Ecclesiæ ivit Saxolum, & Spezanum. Adversarii Gorzanum iverunt, & tamdem uterque exercitus, omnibus vastatis, ad propria rediit. Eo mense exercitus Marchionis Estensis vênit ad Finale, quod XXVII. die dicti mensis habuit. Eo anno non pluit mensibus Junii, Julii, Augusti, & Septembris, & multi moriebantur. Eo anno completa est Bononia murari per Legatum, & fecit fieri Castellum mirabile in Bononia prope portam Campi-mercati, quò ad standum ivit eodem anno de mense Augusti. Eo anno per D. Legatum factus est D. Guido de Baisio Episcopus Rhegii Episcopus Ariminensis, & per ipsum D. Guido de Robertis Episcopus Rhegiensis factus est in Bononia. Eo anno mense Septembris accessit Papa falsus ad Papam, & veniâ

veniâ obtentâ prædicavit in Avinione coram populo se erraffe, quem ad misericordiam Papa susceperat. De mense Octobris equitavit Marescalcus Ecclesiæ Mutinam, & accepit mercantias, quæ ducebantur à Mantua Mutinam. Hoc scito in Mutina, exierunt post ipsum, & ipsum Marescalcum profligarunt cum sua gente, recuperatis omnibus cum triumpho. Die VII. Octobris captus est in Rhegio D. Giliolus de Taculis, & tormentatus, & condemnatus in libras mille, eo quòd dixerat cuidam de reconcilianda Civitate Rhegii, & omnes de Taculis confinati sunt Mantuæ per illos de Foliano, & Manfredos. Eo die capta est Plebs de Thoano per filios quondam D. Guielmini, & Simonis de Foliano, & per Guidinellum de Montecuculo, & per filium Manuelis de Dallo, quam tenebat Præpositus de Foliano, & Vanutius de Dallo. Eo mense Marchio Malaspina cepit Comanum, & Scandelarolam illis de Dallo, & cepit in eis Bonacursium, & Bacharinum de Dallo, quos decapitari fecit in vindictam Manuelis de Dallo, quem occiderant. Eo anno VIII. Novembris datum est Castrum Tealdum, quod tenebat Guidorcius de Foliano, filiis quondam Simonis, & Guielmini de Foliano. Eo anno Civitas Brixiæ data est Regi Bohemiæ, qui dicebatur Joannes, & fuit filius Imperatoris Henrici VII. & pater Imperatoris Caroli IV. Et X. die Decembris Parmenses equitarunt Corrigiam, & cuncta destruxerunt. Die XXIV. Decembris intravit Rex Brixiam.

MCCCXXXI. de mense Januarii legati Rhegienses, Parmenses, Mutinenses, Mantuani, & Veronenses iverunt ad Regem Brixiam, qui Rex die XII. Januarii habuit Bergomum, die XXVI. Cremonam. De mense Februarii obtinuit Papiam, Vercellas, & Novariam, quæ omnes datæ sunt ei, ipso nesciente. Die II. Martii intravit Parmam, quæ data est ei in totum die V. & suis in generali Consilio. Die VIII. reduxit illos de Corrigia exules.

Die XIII. Aprilis vênit Rhegium, & die sequenti data est ei Civitas in publico & generali Consilio. Tunc Rhegienses clamabant *moriantur illi de Foliano, & Manfredi*, qui dominabantur, credentes se eorum manu exisse. Et post discessum Regis imposita est colta gravissima Populo per prædictos, ut alibi tangetur. Die verò dicta Rex ivit Mutinam, quæ sibi data est in Consilio generali, & omnes Italici clamabant *vivat Rex Bohemiæ, & pacem habeamus*. Die sequenti ivit ad Castrum-Franchum ad colloquium cum D. Legato. Die XVI. dicti mensis vênit Carolus filius ejus Regis Parmam cum maximo exercitu. Die sequenti vênit Rex Mutinam, & ibi fuerunt tumultus magni, nam populus . . . . de la Mirandula volebat pacem, & D. Nicolaus de Fredo, & quòd deponerentur illi de Piis, quos jam fecerat Rex suos Vicarios in Mutina. Tamdem, dimisso in Mutina Vicario ex suis, vênit Rhegium, & Extrinseci Mutinenses noluerunt sibi parêre, quia non deposuit illos de Piis. Receptus est à populo Rhegii honorificè, nam induti sunt quasi omnes de Syndone divisato, & obviaverunt ei usque ad Sanctum Lazarum chorizando cum mulieribus, & cum Sonaliis ad crura, fatuè faciendo, ut solitus est iste populus facere. Die sequenti multi populares cucurrerunt in plateam clamando, & petendo Officiales novos ab ipso Rege, & milites novos, quod eis concessit, cùm fuit Parmæ. Nam misit pro Rectore cum stipendiariis D. Galoardum de Arento bonum & justum, sed procuratu Magistratuum non stetit, nisi duos menses; & magna dissensio orta est inter illos de Foliano, & de Manfredis dominantes ex una parte, & inter Populum ex altera parte. Eo anno fecit in Rhegio suos Vicarios D. Azonem de Manfredis, Joannem, & Gibertum, & Joannem Ritium de Foliano, & dedit eis molendina, & mansos Communis trecentum Florenorum in mense de bonis Communis, & dedit Nicolao de Foliano prædicto Dinazanum, & fundum Situlæ, & Præposito Sancti Quirini Fundum Trisinariæ vetulæ: & hoc est utile, quod dedit Communi Rhegii. Die VIII. Junii intravit Rex Papiam, & fecit redire exules, facta inter ipsos pace. Et de mense præcedenti de consensu Regis, & procuratu illorum de Manfredis, & de Foliano, imposita est colta Rhegii X. millium Florenorum, & exacta est, quod visum est Rhegiensibus mirabile. Exinde tamen impositæ sunt majores; & sic puniti sunt de suis fatuitatibus, quando Regi obviaverunt. Eodem mense recessit Parmâ, & versùs Bohemiam ivit, relicto Parmæ filio Carolo. Et de mense Julii rebellavit se Castrum Vicii in Episcopatu Brixiæ à dicto Rege. Eo mense Cremonæ captus est quidam habens nudum ensem, qui per torturam confessus est, velle occidere D. Ponzinum, & debere receptari illos de Cavalcabobus. Unde per D. Ponzinum capti sunt Ludovicus & Bertonus de Cavalcabobus, sed precibus Petri Rubei non sunt mortui, sed ducti sunt ad palatium Communis cum magna custodia, deinde ducti ad filium Regis Parmam, qui eos liberè dimisit, quia innocentes erant. De mense Augusti misit filius Regis suum exercitum ad Castrum Vicii sibi rebellatum, quod de mense Septembris est ei restitutum de concordia.

MCCCXXXII. die V. Aprilis Legatus Bononia ivit in Romandiolam, quam omnem obtinuit, & pacificam reliquit. De mense Junii subtracta est Civitas Brixiæ Regi à Populo, & data est illis de la Scala. De mense Maji obiit Frater Albertinus Episcopus Coronensis, qui fuerat Abbas Sancti Prosperi. Eodem mense Nicolaus de Fredo recessit à Filio Regis, & intravit Spilambertum, & illi de la Mirandula intraverunt Mirandulam, & rebellarunt Regi. Eo anno Guido de Robertis Episcopus Rhegii factus est Archiepiscopus Ravennæ. Die XVIII. Augusti per illos de Foliano, & de Manfredis exularunt quinquaginta ex melioribus Rhegii. Die VIII. Septembris exularunt per eos XXX. Et die prædicto Marchio Spineta ivit cum quatuorcentum militibus in auxilium extrinsecæ partis Lucæ, quæ erat pars obsessa per Lucenses, & gentes Regis, qui tenebat Lucam. Eo mense restitutum est Castrum Bargæ Communi Lucæ, quod tenebatur per extrinsecos prædictos, quo die ivit Azo Vicecomes cum Ferrariensibus, Veronensibus, Mantuanis cum suis circa Bergomum, quod die XX. Septembris obtinuit dictus Azo, & subtractum Regi Bohemiæ die

die sequenti. Engeranus de Gorzano cepit Gorzanum Manfredino de Gorzano. Die XXII. dicti mensis datum est Castrum Pizegitoni D. Azoni Vicecomiti. Die IV. Octobris vênit circa Mutinam D. Albertus de la Scala, Marchio Estensis, Guido de Gonzaga, & maximo exercitu Civitatem cinxerunt magnâ foveâ, etiam faciendo bastias circa ipsam; & prædicti ligati sunt cum Azone Vicecomite, hoc pacto, quòd Azo habeat Cremonam, D. Mastinus Parmam, illi de Gonzaga Rhegium, & Marchio Estensis Mutinam. Die XIV. dicti mensis discessit ab exercitu Mutinæ Bernardus de Gipso de Malapressis, & Bastardus de Magreto, & intraverunt cum trecentis peditibus Dinazanum, & trecentis equitibus liberè. Exercitus autem discessit Mutinâ die XXVI. dicti mensis. Die XXVII. Rhegienses iverunt ad obsidionem Dinazani. Et die IV. mensis Octobris Rustici de Gorzano acceperunt Gorzanum Engerano, qui iverat extra Castrum, & restituerunt Manfredino. Et mense dicto Marchio Spineta accepit Castrum Castilioni.

Die XIV. Novembris Rhegienses redierunt à Dinazano, quod habere non potuerunt. Eo die Marchio Estensis vênit ad Sanctum Felicem in obsidione. Die XX. dicti mensis vênit Rhegium Carolus filius Regis, ut succurreret dicto Castro contra Marchionem Estensem. Die XXV. dicti mensis ivit filius Regis ad Sanctum Felicem cum magna gente contra Marchionem, Veronenses, Mantuanos, & Mediolanenses, & facto duro prœlio profligati sunt omnes per Carolum, qui ibi factus est eques per quemdam Comitem de Alamannia, & ipse ibi etiam equites fecit D. Manfredum de Piis, D. Gibertum de Foliano, D. Nicolaum, & D. Petrum de Rubeis, D. Andream, & D. Adegherium de Henzola. Mortui sunt in hoc prœlio octocentum equi; & capti sunt D. Joannes de Campo Sancti Petri Capitaneus Marchionis, Bartholomæus de Boschetis banderalius totius exercitus, qui fuit probissimus illo die, Guilielmus Canatius Capitaneus de la Scala, & circa septem centum inter stipendiarios, & alios, & multi mortui sunt in prœlio. De mense Novembris accepta est Regi Papia per illos de Becharia. Die XXVII. equitavit D. Carolus filius Regis ad Civitatem Lucæ cum ducentis militibus cum Rolando, & Andrea de Rubeis.

MCCCXXXIII. de mense Januarii equitarunt gentes Legati ad Consandalum, quia ibi Marchio Estensis fecerat fieri Bastiam, & gentes Ecclesiæ cum gentibus Marchionis prœliatæ sunt. Et captus est Marchio Nicolaus, & plures ex suis profligati.

Die III. mensis Februarii obtinuerunt gentes Ecclesiæ pontem, quem fecerant fieri Marchiones Ferrariæ ad Consandalum super Padum, & equitaverunt usque ad portas Ferrariæ, & ceperunt Burgum Sancti Silvestri, ubi fuit maximum prœlium, & capti sunt multi Ferrarienses extra, & intus ex illis Ecclesiæ multi, sed fermarunt castra in dicto Burgo. Die XXVI. applicuit Rex prædictus Parmam, veniens de Bohemia, & à Summo Pontifice. Die X. Martii equitavit versùs Papiam, ut fermaret Castrum Papiæ, quod adhuc nomine suo defensabatur, quod & fecit, licèt circa ipsum Castrum essent Mediolanensium, & Papiensium foveæ, & palancata, sed eis relictis intraverunt Papiam. Et equitavit dictus Rex in territorio Mediolani deprædando, & comburendo omnia. Deinde ivit Bergomum, & omnia combussit extra muros, & in Civitatem quasi intravit primo congressu. Tamdem vênit Cremonam, & die penultimo dicti mensis vênit Rhegium, & die sequenti ivit Bononiam. Die XIV. Aprilis equitaverunt Veronenses, Mediolanenses, & Mantuani in auxilium Marchionis Estensis, & post Nonam incœptum est bellum cum gente Ecclesiæ, & profligata est dicta gens Ecclesiæ. Mortua sunt multa millia hominum, & captus est Comes de Rimignaco, D. Malatesta cum uno de suis, duo ex Manfredis de Faventia, unus de Pepulis, unus de Polenta, unus de Odofredis de Bononia, unus de Becadellis, D. Raimundus de Valle Camerarius D. Legati, & tresdecim nobiles milites. Die sequenti relaxata sunt per D. Marchionem duo millia captivorum ex carceribus Ferrariæ D. Rainaldus Marchio factus est eques per D. Advogardum Trivisii, & ipse D. Rainaldus equitem fecit D. Opizonem Marchionem, & D. Bertoldum, & filium. Die XXXIII. Aprilis Rex vênit Rhegium ex Bononia.

De mense Junii restitutum est Castrum Papiæ Papiensibus, corruptis auro custodibus Regis. De mense Junii Rex discedens Parmâ ivit Cremonam. De mense Julii ivit Lucam cum suo filio Carolo, & gente sua.

Die XXIII. dicti mensis proclamata est tregua inter Regem ex parte una, & Regem Robertum, & Dominos de Mediolano, & Dominos de la Scala, Dominum Mantuæ, Marchionem Estensem, Commune Florentiæ, & Marchionem Malaspinam ex altera, usque ad Festum Sancti Martini proximè futuri. Et Rex die XV. rediit Parmam à Luca cum filio. Die XVIII. dicti mensis recessit Carolus filius Parmâ, & ivit in Bohemiam.

Die XXIII. Septembris Luchinus filius quondam Castrucii intravit Civitatem Lucæ cum magna gloria, & stetit duos dies, & cùm non posset eam tenere, restituit Regi, quam Rex dedit Marsilio de Rubeis, & ipsum in ea fecit ejus Vicarium.

Die sequenti obiit Bononiæ D. Guido de Robertis Archiepiscopus Ravennæ, & sepultus est ante Altare Fratrum Minorum cum maximo honore. De mense Septembris proximè præteriti se dederunt Legato in Romandiola per potentes hæ Civitates, Ariminum, Cæsena, Berthonorium, Forlivium, Ravenna, & alia plura Oppida. Faventiam autem ipse Legatus restituit Manfredis. Eo mense facta est liga inter Legatum ex parte una, & Commune Rhegii, Parmæ, Mutinæ, & Cremonæ ex altera. Die IV. Octobris Andriolus de Dallo intravit clam Piolum, & cepit Simonem de Dallo, & duos ejus filios, quos occîdit omnes. Die XVII. Octobris recessit Rex Bohemiæ Parmâ, vadens Bohemiam versùs. Die XX. Octobris ante diem intraverunt illi de Foliano cum Mutinensibus, Vanutio de Dallo, de Manfredis, & ceperunt D. Azonem Præpositum de Castello, Zichinum de Mandria, & Comitem de Gomula, & cucurrerunt ad domos Guiducii, Nicolai, Bonifacii, & filios D. Azonis, & omnes gladio occidissent; sed timuerunt,

quia

quia Joannes, & Rubeus de Manfredis evaserant, & hoc solum fecerunt, ut dominium tenerent hujus Civitatis miserrimæ. Die XXI. dicti mensis facti sunt domini in generali Consilio illi de Foliano, & electi sunt Legati, qui sequantur Regem, & eos confirmet. Eo die duxerunt Azonem de Manfredis Borzanum, ut faceret sibi dari Borzanum per Joannem, & Rubeum, qui in ipso erant, & ideo dederunt Castrum, unde statim omnes de Manfredis incarcerati sunt Rhegii, excepto Præposito, quem liberè dimiserunt ire Borzanum, quia promiserat ei dare, ideo rediit. Die XXI. Octobris in sero Thomasinus, & Anselmus de Montechio occiderunt Matthæum cum duobus filiis ejus patruum.

Eo die illi de Foliano equitaverunt Borzanum comburendo & vastando omnia, & circa Castrum fecerunt unum batifolum, & steterunt pluribus diebus ibi. Eo die redierunt Rhegium plures confinati. Eo mense inundavit Arnus, ita quòd intravit Florentiam, ita quòd ubi minor erat, superabat stratas tribus brachiis. Destruxit tres pontes ex quatuor, destruxit omnia molendina, in Civitate & extra submersa sunt utriusque sexus sex millia Christianorum, feceitque in Episcopatu Pisarum maximum damnum. Eo mense ducti sunt Manfredi Querzolam, & positi sunt in fundo turris.

MCCCXXXIV. die XIII. Januarii venerunt in auxilium Castri-novi Parmensis illi de Corrigia, & de Scala cum centum quinquaginta militibus. Die XV. Legatus misit Parmam in auxilium Parmensium, & Rubeorum ducentum milites, & centum Balistarios. Die XVIII. omnes illi de Corrigia cum Navibus illorum de Scala, quæ per Padum venerant, iverunt Brixilium, quod subitò fortificaverunt in exitium Parmensium. Eo mense Rhegienses combusserunt batifolium, quod fecerant juxta Borzanum. Et per D. Legatum factus est filius D. Nicolai de Foliano administrator Episcopatus Rhegii tunc vacantis. Die XVII. Februarii deprædatæ sunt gentes de Scala, quæ stabant Corrigiæ, per Episcopatum Rhegii multa damna inferendo. Et die XXIII. exploratum est ab illis de Foliano, illos de Scala venire Rhegium, contra quos exierunt illi de Foliano, & obviaverunt in Masezatico, & profligatis illis de la Scala capti sunt Gotifredus, & Nicolaus de Sesso fratres, Hector de Panicho, & Joannes de Manfredis, qui recuperati sunt per D. de la Scala pro sex millibus & sexcentum florenis auri die XVIII. Aprilis proximè sequenti. De mense Martii habuit Marchio Estensis Castrum Argentæ, circa quod steterat pluribus mensibus. Eo anno XVII. Martii populus Bononiensis sumsit arma contra Legatum, qui se cum paucis reduxit in Castellum apud Campum Mercati. Omnes Galli, qui capti sunt per Bononiam, occisi sunt ignominiosè. Legatus verò videns non posse resistere tanto furori, habita compositione cum Bononiensibus, scripsit Florentinis, ut mitterent gentes, quibus tutè posset discedere, quod libenter fecerunt, quia ipsum timebant propter statum per Italiam augmentatum. Et tunc in miserrimo statu remansit Bononia, quia subitò Nobiles eam per vim occuparunt, & sic fuerunt usque ad adventum D. Sabinensis, vel usque ad pacem factam, quod fuit 1364. Die primo Aprilis diruta est turris mandato illorum de Foliano, quæ erat prope Sanctum Geminianum custodiæ causâ.

Die VIII. exulaverunt ex Bononia sexdecim de Sabadinis, de Beateriis, de Tiriagiis, de Roaldis, de Sala, qua de causa Bononia fuit in armis. Eo mense Bononienses diruerunt Castrum Legati, quod erat fortissimum, & delectabile, & mirabiliter constructum. Die XXII. D. Azo Vicecomes, D. de la Scala, de Ferraria, de Gonzaga iverunt cum magno exercitu Cremonam, quæ data est D. Azoni. Die XXIV. fuerunt nives, & glacies, & frigora magna, ita quòd omnes Vites destructæ sunt, & duravit pluribus diebus. Die XXVIII. Cremonenses fecerunt pactum cum Domino Azone, quòd si Rex infra duos menses mitteret gentes suas, D. Ponzinus ejus Vicarius posset congredi cum D. Azone, & tenere Cremonam pro Rege; sin autem, libera sit Domini Azonis; & sic factum est usque in præsens tempus, quia Rex numquam misit auxilium. Die VII. Maji Dominus Mantuæ, Dominus Veronæ, Dominus Ferrariæ, Dominus Mediolani venerunt Rhegium, posueruntque castra prope portam Sanctæ Crucis, omnia destruendo. In Burgo Sancti Stephani fuit prœlium, & mortui sunt multi de Rhegio in illa scaramuza, inter quos Bethochius de Bozachiis, Guizolonus de Albrigonibus. Eratque in exercitu D. Mastinus, & illi de Corrigia, qui quotidie mittebant in Civitatem pro sibi opportunis, & usque ad diem XIX. dicti mensis ibi steterunt circuendo Civitatem, omnia vastando generaliter, & comburendo. Erant etiam in exercitu exules de Sesso. Die XX. habuerunt Plebem de Bagno, & iverunt super Mutinenses, omnia vastando; tandem die primo Junii redierunt in Episcopatum Rhegii, omnia etiam vastando. Die VI. Junii iverunt in Episcopatum Parmæ consumendo quæcumque poterant. Erant in eo exercitu XXX. millia hominum, & VI. millia Curruum. Die VII. fuit maxima contentio in dicto exercitu, qui erat illorum de Corrigia; fuit enim inter Teotonicos Alamanniæ bassæ, & altæ contentio; nam illi de bassa malè se volebant habere de exercitu. Eo die Rhegienses dederunt guastum ad Gipsum illorum de Canossa. Die XV. dederunt Borzano guastum. Die XVIII. Parmenses dederunt guastum Guardasono, quia erat illorum de Corrigia.

Die X. mensis Augusti gens de la Scala ivit circa Colornum, & ibi castra posuerunt, adeò ut nemo posset ingredi, nec egredi Castrum, & Parmenses iverunt versùs eos, qui subitò Parmam redierunt timore D. Mastini, qui personaliter ad suum exercitum venerat cum multitudine gentium. Die XXV. Octobris datum est Castrum D. Mastino. Die IV. Decembris obiit Papa Joannes XXII. in Avinione. Die XX. dicti mensis electus est Papa Benedictus XII. in dicta Civitate.

MCCCXXXV. de mense Martii facta est pax inter Rhegienses, & Mantuanos, & relaxatus est D. Azo de Manfredis. Die XIX. Maii dati sunt Dominis de Mantua, & extracti de carceribus Communis duo ex filiis D. Azonis prædicti. Die

Die XV. Junii venit exercitus Marchionis Estensis circa Mutinam omnia vastando. Die XIV. Junii data est Parma Dominis de la Scala in pleno & generali consilio, in quam die XX. intravit gens Dominorum de la Scala, & die sequenti intravit D. Albertus de la Scala cum innumerabili militum multitudine. Die XXVI. venit exercitus dicti D. Alberti ad Quatuor Castella Rhegiensis Dioecesis, omnia ibi comburendo, & vastando. Die XXVIII. habuerunt Sanctum Paulum, & Montemzagnum; sequenti die venit Rhegium prope Sanctum Cosmam. Die III. Julii data est Civitas Rhegii per illos de Foliano Dominis de la Scala cum multis pactis inter eos. Eo die horâ Nonæ tonitrua magna fuerunt, & grando maxima, quæ cuncta virentia vastavit maximè juxta montes. Et die XI. D. Guido de Gonzaga intravit Rhegium, & accepit dominium per illos de la Scala, ut erat in pactis, secumque erant illi de Foliano, qui erant per alios expulsi jam die I. Eo tempore sævè maritata fuit Civitas Rhegii, licèt eo die tamen digna res visa fuerit, uti alibi, Deo dante, per me notabitur. Die sequenti data est Civitas in generali consilio D. Guidoni horâ Tertiarum nomine D. Ludovici, & filiorum. Et illi de Foliano, qui primò tenebant Civitatem, habere debebant ex pacto omni mense quatuor centum florenos auri, & Villas triginta sex, quæ non essent obligatæ Communi, usque ad tres annos, & quinque Oppida, quæ continuè tenere debebant. Die XVI. intravit Civitatem D. Ugolinus cum quinque filiis, scilicet Gothfredo, Palmerio, Nicolao, Fregnano, & Philippino, qui exules fuerant jam tanto tempore, quorum nulla exstabat memoria, & eo mense datus est Potestas Rhegii per Dominos de Gonzaga Hector de Panico Comes. Eo mense tractatu Philippini de Sesso fuit interfectus D. Joanninus de Bozachiis sub Vidalba Sancti Nazarii, quia tenebat quamdam possessionem de Sesso, quam D. Ugolinus à D. Joannino repetierat, promittens se restituturum suam eidem Ugolino mutuatam; sed cùm D. Joanninus dixisset, suam esse liberam, respondit D. Ugolinus: *habeo quinque filios, qui molestè hoc ferent*; cui respondit D. Joanninus, *& ego quinque habeo filios*. Tunc indignatus D. Ugolinus dixit: *maledicti sint mei filii, nisi demonstrent tuis esse potentiores*: unde Philippinus statim mortem tractavit hujus senis. Die XXV. Julii D. Franciscus Scotus accepit dominium Placentiæ, expulsis illis de Laude. Die XXVIII. D. Azo Vicecomes habuit Comum. Die X. Septembris recessit exercitus Marchionis à Mutina, relictâ ibi bastiâ fultâ omnibus prope Sanctam Catharinam, & ivit Formiginem. Die XV. Octobris Guido de Gonzaga reduxit Robertos Rhegium factâ pace per ipsum inter eos, & illos de Foliano. Die XVIII. Octobris data est Crema D. Azoni de Mediolano. De mense Novembris per Rubeos mediante pecunia, data est Civitas Lucæ illis de la Scala. Eo mense dirutum est Castrum Novi mandato Domini de Gonzaga. Eo anno data est Civitas Laudi D. Azoni Vicecomiti de Mediolano.

MCCCXXXVI. per Dominos de Gonzaga clausæ & muratæ sunt à parte inferiori portæ Civitatis Rhegii, nam solùm primò habebant tres parietes. Die XVII. Martii in Avinione per Papam Benedictum XII. factus est Abbas Sancti Prosperi frater Albertinus de Levalosis. De mense Aprilis expulsi sunt Rubei de omnibus terris illorum de la Scala. Die XXIX. dirutum est Castrum Mozadellæ, & muri circa Castrum Albineæ de mandato illorum de Gonzaga. Die IX. Maji Parmenses iverunt ad Sanctum Secundum de mandato Domini de la Scala, quod tenebant Rubei. Die XIII. Maji data est Mutina Marchioni Estensi per illos de Piis, qui ipsam tenebant, multis pactis inter se factis. Eo mense reduxit Marchio in Mutinam Savignanos, illos de Saxolo, Rangonos, Boschetos, & omnes Extrinsecos. Die XX. ruit, & dirutum est Palatium vetus Communis Rhegii, quod erat super platea Communis. Die XXVI. redditum est Castrum Sancti Secundi per Rubeos D. Mastino.

Die II. Julii reduxerunt Domini de Gonzaga in Rhegio illos de Canossa. De mense Augusti eo anno incoeptum est bellum, quod potest dici destructio illorum de la Scala inter ipsos, & Venetos, quia D. Mastinus volebat facere fieri sal in aquis salsis, ubi hodie est turris, quæ dicitur *la Torre da le Saline*. Cum Venetis erant Florentini, & Bononienses. De mense Octobris equitarunt Veneti ad Mestram sibi promissam, qui proditi profligati sunt, & statim fecerunt D. Petrum de Rubeis de Parma suum Capitaneum, quia erat inimicus illorum de la Scala. Hic fuit homo probus, & peritus in re militari. Et equitarunt Veneti cum magno exercitu ad Plebem de Sacco Dioecesis Patavii, & rusticos non lædabant in aliquo, sed emebant ab eis omnia necessaria, iveruntque usque ad portas Patavii. Intus erant D. Mastinus, & Albertus frater ejus cum quatuor millibus equitum, & tota hyeme stetit exercitus ad Buvolentam, ubi est hodie Castrum solenne.

MCCCXXXVII. de mense Martii Veneti habuerunt Castrum de Salinis, quod fecerant fieri illi de la Scala, ut sal faciant, & habuerunt Castrum Francum, Coneglanum, Saquilem, Montembelunum, & alia plura Dioecesis Trivisii. Eo mense muratæ sunt in Rhegio omnes ruæ, per quas ibatur in plateam Communis, & fortificata est platea, & expulsi sunt omnes Cives, qui domos habebant inter has portas, mandato illorum de Gonzaga, unde hodie per stipendiarios omnes domus sunt destructæ, & tunc expleta est Loza Palatii Communis Rhegii super platea.

De mense Aprilis equitavit D. Petrus de Rubeis cum exercitu Bononiensi Trivisium, omnia virentia vastando, & firmavit Castra in Burgo Sanctorum Quadraginta. Die XIX. Junii D. Luchinus Vicecomes, illi de Gonzaga, Dominus Ferrariæ stantes in liga contra illos de la Scala iverunt Veronam cum suo exercitu; & D. Marsilius de Rubeis cum alio exercitu Venetorum, & Florentinorum ivit ad aliud latus Veronæ omnia consumendo. Die XXVI. dicti mensis reversi sunt Mantuam D. Luchinus, D. Guido de Gonzaga, & Marchio Ferrariæ, & quidam ex suis militibus iverunt Veronam in auxilium illorum de la Scala; & statim D. Mastinus ivit Mantuam omnia vastando, &

pares

pares vices Mantuanis reddidit; inde rediit Veronam, & post paucos dies ivit inter Este, & Monsilicem; & statim D. Marsilius Rubeus equitavit versùs eum, & facta est fovea inter ipsos. Die IX. Julii populus Bononiæ armata manu cucurrit ad domos D. Bradolisii de Gozadinis, & amicorum suorum, & eo expulso, domos ejus combusserunt.

Die XXII. dicti mensis D. Mastinus rediit Veronam. Ipso mense D. Petrus Rubeus cum suo exercitu ivit ad pontem de Gradiciis, & ibi fecit unam bastiam inter Patavium, & Vicentiam. Eo ipso mense data sunt plura Castra D. Carolo filio Regis Bohemiæ, inter quæ Feltrum, Cividale, quæ tenebantur per illos de la Scala, & cum ipso erant illi de Camino, & de Advogariis Trivisii cum magna multitudine gentium. Die III. Augusti proditione aliquorum amicorum falsorum de la Scala intravit D. Petrus Patavium cum gente sua, & cepit in domo sua D. Albertum de la Scala, cui graviter comminatus est, & omnes suos cepit, ipsum verò Venetias misit bene custoditum. Et tunc Domini de Carraria potiti sunt dominio Patavii, qui ipsam dederant Dominis de Scala. Ibi captus est D. Guido Savina de Foliano cum duobus suis Nepotibus. Die VI. dicti mensis dum D. Petrus esset in exercitu circa Monsilicem, & fieret per suos quidam insultus, descendit pedes, & dixit: se velle tangere muros dicti Castri, quod & fecit eundo per foveam. Quidam tunc extrinsecus longâ lanceâ eum in ilibus percussit, nec sibi profuit thorax, sed die VIII. dicti mensis dispositis suis rebus corporis & animæ, mortuus est, & sepultus Patavii in Ecclesia Fratrum Minorum cum honore maximo. De hoc homine plura cantata sunt, & meritò: Ejus galea posita est Venetiis in Sancto Marco, & ejus tentorium in Resanatâ, & sic sunt usque in præsentem diem. Die verò XVIII. dicti mensis ex dolore concepto de morte D. Petri, D. Marsilius mortuus, & sepultus est apud ipsum. Et die XXVIII. dicti mensis rumor incœptus est in Civitate Bononiæ, & populus in armis stans portavit D. Thadæum de Pepulis in Palatium Communis clamando: *Vivat*, & Dominum Bononiæ fecerunt; & malè factum est, quia per Pepulos numquam facta est justitia in Bononia: ex quo finaliter ipsi ad nihilum deducti sunt. Eo anno & mense dum Abbas Sancti Joannis moraretur in domibus Sancti Vitalis, occisus est, dum dormiret in nocte, à duobus suis Monachis, qui erant ex illis de Marano, quibus plurimum fidebat; & hoc fecerunt hortatu Simonis de Corrigia, per quem, & suos accepta sunt subitò bona Monasterii. Ipse Abbas erat Rhegiensis, scilicet de Felina, & homo liberalis, & bonus. Monachi postea capti sunt Placentiæ per Abbatem Albertinum Secundum Sancti Prosperi, dum esset ibi Visitator Ordinis Sancti Benedicti, duxitque eos Rhegium in nostro Monasterio, tamdem ducti sunt Bononiam, & positi in manibus Ordinis, qui ad ultimum fracto carcere fugerunt in Cyprum Insulam.

Die VI. Octobris accepta est Brixia illis de la Scala, & data est Domino Azoni Vicecomiti.

MCCCXXXVIII. die II. Aprilis equitaverunt Rhegini de mandato Dominorum de Gonzaga ad Castrum Aquariæ, & Pizugoli, quæ rebellaverant Vanutio de Dallo, & die VIII. data sunt hæc Oppida illis de Gonzaga. Et statim ivit exercitus prædictus ad Montem Meschiosium, ubi erat ipse Vanutius, quod ipse reddidit die XXVIII. dicti mensis, habitis quibusdam pactis à Dominis. Eo anno Rex Armeniæ tributum dedit Soldano, eo quòd non habuit auxilium à Papa, nec ab aliquo Christiano. Die XVII. Junii fugatus est D. Mastinus per gentes Venetorum, & Ligæ ab obsidione Montechii districtûs Vicentiæ, & ibi reliquit currus, & tentoria: tamen sui omnes evaserunt. De mense Augusti Rolandus Rubeus Capitaneus Venetorum habuit Burgum Monsilicis de concordia, & D. Petrus de Verme cum gente D. Mastini reduxit se in arce, circa quam stetit exercitus Venetorum, antequam se redderet Venetis. Die XXVI. dicti mensis D. Mastinus percussit Episcopum Veronæ, quem subitò quidam ex suis occîdit: causa ignoratur, & erat suus consanguineus. De mense Septembris equitarunt gentes D. Mastini ad Montagnanam sibi promissum à Custodibus, quæ proditæ à Custodibus profligatæ sunt, captique sunt D. Guido Ricius, Gibertus de Foliano, Bartholinus de Querzolla, & alii plures de illis D. Mastini. Eo mense facta est pax inter Ecclesiam, & D. Thadæum de Pepulis hoc modo, scilicet, quòd ejus Syndicus coram Papa juravit, quòd ipsa Civitas pertinet Ecclesiæ de jure pleno & quòd Pepuli erunt fideles Ecclesiæ, & dabunt pro censu omni anno VIII. millia florenorum, & omnia firmata sunt in generali Consilio Bononiæ. Et ipsi Bononienses absoluti sunt à sententiis gravissimis. De mense Octobris data est Arx Monsilicis D. Ubertino de Carraria Domino Patavii. Eo mense omnis Alemannia facta est contraria Romanæ Ecclesiæ tractatu Bavari, qui se Imperatorem dicebat, & fecit Regem Angliæ suum Vicarium in omnibus terris Imperii, exceptâ Italiâ, & statuit, quòd de cetero non confirmetur Imperator à Papa, & fecit unum Papam, qui dicebatur Magnus Patriarcha.

Eo mense in noctis silentio apparuerunt quidam in Ecclesia Sanctæ Mariæ Transtiberim, qui clamabant *pax*, *pax*; nihil aliud dicentes. Hoc audito Populus ivit ad domos Ursinorum, & Columnensium, qui inimici erant, & fecit pacem inter eos. Facta est autem hæc pax miraculosè. Et eo mense incœptum est bellum inter Regem Angliæ, & Regem Franciæ, quod fuit longum, & cruentissimum, ut infra patebit. Die XXIII. Decembris ivit Bononiam D. Julianus de Sancto Germano Legatus Papæ, ut observaret Bononia promissa Papæ, sed recusavit; ex quo ipse statim ad Papam rediit.

MCCCXXXIX. de mense Januarii Veneti habuerunt Trivisium ab illis de la Scala, & relaxarunt D. Albertum, & alios carceratos. Et die XV. Februarii omnes, qui Patavii, & Venetiis erant captivi, iverunt Veronam liberè cum D. Alberto de la Scala, & facta est pax inter eos ex una parte, & Venetos, Florentinos, Patavinos, & Bononienses ex altera. Eo mense D. Mastinus dedit Florentinis ex pacto Castrum Pescæ, Castrum

strum Buzanæ, Cerulium, & Altumpassum. Eo anno equitavit Dominus Oldorisius Vicecomes super Territorium Mediolanense damnificando, qui die XXI. Februarii profligatus per D. Luchinum Vicecomitem captus est, & mortui sunt ultra tria millia hominum ex utraque parte. Die II. Martii obiit D. Ugolinus, & sepultus in Ecclesia Prædicatorum.

Die XXVI. Aprilis designatum est Castrum illorum de Gonzaga in Rhegio juxta Portam Sancti Nazarii, quod fuit destructio Rhegii: Dirutæ sunt XX. domus, quæ iverunt in foveis, & plures turres, & multa molendina destructa sunt, nam ibi nostrum Monasterium habebat plures domus, sed omnia destructa sunt. De mense Augusti obiit D. Azo Vicecomes de Mediolano, qui fuit homo probus, cui successit D. Luchinus ejus patruus, & D. Joannes frater ejus, scilicet, D. Luchini. Die XVIII. Septembris inundans Crustumnus intravit Civitatem per Portam Sancti Stephani, & ivit usque ad turrim Episcopi, & arenam in campis reliquit altam uno brachio, & similiter fecerunt omnia fluvia Episcopatus Rhegii, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Mantuæ, Cremonæ, Placentiæ, & Parmæ; & duravit uno die, & una nocte, & hoc propter pluviam magnam. Trisinaria vênit usque ad Plebem de Prato, & mortuæ sunt plures bestiæ. Die prædicto vacante Imperio D. Papa in generali Consilio fecit Vicarium D. Mastinum de la Scala Civitatem Veronæ, Vicentiæ, Lucæ, & Parmæ, ut ipse daret omni anno trecenta quinque millia florenorum, & servire Ecclesiæ de ducentis equitibus, & trecentis peditibus ad sui petitionem, & debent durare ista pacta usque ad decem annos. Die XXIII. dicti mensis, expulsis omnibus Nobilibus, Janenses fecerunt unum Ducem ex populo Dominum Simonem Buccanigram, quem postmodum occiderunt. Eo anno Veronæ, Mantuæ, Brixiæ, & Cremonæ multitudo damnosa locustarum vênit à Septentrione. Die XXIV. Octobris dirutæ sunt XXIX. domus Civium extra Castrum Dominorum, ut fieret latior circuitus circa foveas dicti Castri, & tunc cœpit esse datium in Rhegio, quod qui vendit vinum ad spinam, solvit ex XII. denariis VII. & est hodie adhuc talis usus.

MCCCXL. die VIII. Februarii facta est Curia per Dominos de Gonzaga in Mantua, in qua facti sunt equites XXIV. decem de domo ipsorum, de Rhegio D. Berthonus de Robertis, Baronus de Canossa, Joannes de Foliano, & alii ex diversis partibus, & dedit cuilibet equiti unum destrerium, & unum palafrenum, & duas robas variatas, unam de scarlato, alteram de samito. Et tunc D. Aloysius duxit unam de Malaspinis in uxorem; unus filiorum unam de Beccharia, D. Ugolinus sororem D. Mastini, D. Azo de Corrigia accepit filiam D. Aloysii prædicti. Huic Curiæ interfuit D. Mastinus, D. Marchio Estensis, D. Maffeus Vicecomes cum maximis societatibus, & diversa dona tunc per eos facta sunt. Eo tempore fuit Venetiis quidam Ariminensis, nomine Paulocius, homo simplex, & bonus, qui pluribus quadragesimis stetit, quòd non comedit, sed solùm bibebat aquam tepidam. Hic captus est per Episcopum, aliquando à dominatione Venetorum, aliquando ab Inquisitoribus Fidei, & positus in loco clauso, ut probaretur, utrum esset verum: quod ita inventum est. *Hunc ego vidi, & allocutus sum, cùm starem in Monasterio Sancti Georgii Majoris*; sed completâ quadragesimâ comedebat ultra modum. Die XXV. Martii in Diœcesi Cremonensi in Villa Cou . . . . sunt circa decem millia hominum de Episcopatu Brixiæ, Mantuæ, & Cremonæ, qui se verbera . . . . de Episcopatu Placentiæ, Parmæ, & Rhegii, & fuit hoc quasi per totam Italiam. Et in Fes . . . . Maji venerunt circa octo millia hominum ex prædictis ad Sanctum Michaëlem, & illo die . . . . oblatione in denariis quinquaginta librarum. Hæc Scena incœpta fuit opere cujusdam . . . . ab omnibus credebatur, sed finaliter capta per Episcopum Cremonæ, reperta est meretrix cujusdam . . . . talia filare docebat, ut pecuniam lucraretur, unde ambo in carcere missi sunt, ut Cr . . . . Dominorum de Gonzaga liberati sunt. Ipso anno fuit penuria, & morbus magnus; nam Florentiæ mortui sunt viginti millia hominum. Die IV. Junii in Pentecoste . . . . . . meus natione Estensis in Episcopatum Rhegii; homo fuit largus ultra modum. De mense . . . . cujusdam Societatis stantis in Diœcesi Astensi tota Lombardia fuit in fuga, tamen . . . . ad stipendium Tyrannorum habuit inde. Eo mense Franciscinus de Pusterla tractavit privare dominio Mediolani cum quibusdam aliis, sed, tractatu detecto, Francischinus fugit amissa . . . . . . remansit, & omnibus suis bonis. De mense Octobris facta est treuga inter Regem Franciæ, & Angliæ, & pax tractatur per Principes, & Reges Mundi inter ipsos. Eo anno Papa misit Bononiam Episcopum Cumarum dato sibi dominio, qui instituit D. Thadæum de Pepulis suum Vicarium cum certis pactis. Die ultimo Octobris Rex Gambui Saracenus cum exercitu in Hispania per Regem Hispaniæ profligatus est, & captus filius, & quatuor Reges Saraceni, qui cum ipso erant, & interfecti sunt ex suis ducenta millia, ipse verò Rex nec vivus, nec mortuus inventus est. Eo anno non fuit nix in terra in partibus nostris.

MCCCXLI. D. Philippinus de Gonzaga fecit capi in Rhegio D. Benoratium de Gangalandis, & D. Gangalandum Potestatem Rhegii per ipsos, & duos ejus filios, & eos fecit duci Mantuam, nam tractabant accipere Rhegium, & Mantuam eis, quod erat satis possibile. Filii citò relaxati sunt, ipsi verò mortui sunt digno judicio. Die primo Martii impletum est de mandato Dominorum Canale currens à platea versùs Castrum, & destructæ sunt porticus dictarum domorum. Die XVII. Maji illi de Foliano cœperunt bellum Dominis de Gonzaga; & tunc illi de la Gazata, qui tunc multi erant, intrarunt Castrum de Gazata, & fortissimè munierunt, & rustici secuti sunt eos, ubi primò non erant nisi muri. Eodem die publicata est concordia inter Ecclesiam, & Dominos de Mediolano in publico Concistorio per Papam. Die XXI. Maji illi de Corrigia auxi-

auxilio illorum de Rhegio expulerunt gentes D. Mastini de Parma, & acceperunt pro se Civitatem, & privaverunt illos de Scala cum magno opprobrio; nam omnes Veronenses occisi sunt gladio per Parmenses, unde passi sunt, postquam dominium pervênit ad D. Bernabovem, instigante ejus uxore filia D. Mastini prædicti, quæ continuè viro dicit: *Cave te à Parmensibus, quia sic fecerunt Patri meo*. Die penultimo Maji equitarunt Rhegienses Scandianum, omnia vastando de mandato illorum de Mantua, & ibi steterunt quinque diebus. Die III. Junii equitavit D. Mastinus versùs portas Mantuæ, omnia vastando. Die V. dicti mensis ivit D. Philippinus Arcetum cum manganis. Ipso die Bojardi iverunt ad Plebem de Bagno, & eam ceperunt, & combusserunt cum omnibus custodibus. Die X. dicti mensis recesserunt D. Philippinus, Albertus, & Ugolinus ab obsidione Arceti, & iverunt Mantuam, eo quòd D. Albertus de la Scala equitabat super territorio Mantuæ, omnia vastando. Domini Mediolani, Ferrariæ, & Bononienses adjuvabant illos de Gonzaga. Die sequenti redditum est Arcetum Rhegiensibus per Mathiolum de Foliano, salvis personis, & rebus, ad honorem illorum de Gonzaga munitum.

Ipso die D. Philippinus, & Feltrinus equitarunt versùs Aquam-Nigram, ubi erat D. Albertus de Scala, & miserunt guantum belli, quem recepit, sed nocte sequenti fûgit, relictis curribus suis, & pluribus rebus.

Die XX. Junii iverunt Rhegienses Sabionum de Foliano, omnia vastando in agris, & steterunt octo dies. Die sequenti profligatæ sunt gentes D. Mastini per illos de Gonzaga ad Nogarolam Veronensis Diœcesis, & multi mortui sunt, & capti ducti sunt Mantuam. Die XI. mensis Julii Rhegienses vastarunt omnia circa Casalgrandem, & Torresellam duobus diebus. Die XXII. dicti mensis equitavit D. Cucius Capitaneus Rhegii Querzolam, Carpinetum, Livizanum, ad Sanctum Valentinum, & ad Rocham, vastando arbores, vites, & omnia. Eo anno de mense Augusti facti sunt maximi apparatus circa Lucam à Florentinis, qui ipsam Civitatem emerant centum quinquaginta millibus florenorum à D. Mastino, qui ipsam emerat à Rubeis de Parma, qui emerant à Rege Bohemiæ, qui eam emerat à D. Gerardo Spinola de Janua, quam habuerat ab Imperatore. Et apparatus contra Florentinos .... suis amicis de Thuscia, & Lombardia. Et ipso mense Florentini Pisani ... . Teotonici, qui intus erant, exierunt, & iverunt ad Castra Pisanorum, qui erant circa Lucam .... illi de Foliano ad Quatuor Castella de Canossa, & magnam prædam fecerunt, quam cum .... rumore illi de Canossa, & de Manfredis obviaverunt eis, & verterunt in fugam, occisis .... in prœlio, quod fuit durum. Capti sunt quatuor de domo illorum de Foliano, & qui bonos ... . dimiserunt, alii omnes capti sunt .... sunt in exilio amici illorum de Foliano per Dominos de Gonzaga. Die XXIV. dicti mensis equitarunt ... . à Mutina usque Parmam, & redierunt, vastando, comburendoque omnia

A per Episcopatum Rhegii, & erant in hac .... de Foliano, operâ quorum hæc fiebant, & etiam quidam exules Parmæ. Die XXVIII. dicti mensis venerunt .... ad instantiam Marchionis Ferrariæ, Dominorum de la Scala, & Bononiensium contra D. Luchinum Vicecomitem .... Gonzaga, qui in territorio Rhegii venerunt, omnia vastando, comburendo, & prædando tam bestias, quàm homines .... usque ad diem IV. Martii, postmodum redierunt Mutinam, qui à Mutinensibus omnia emebant pro pecunia ...., præconizata est treuga inter D. Luchinum, & illos

B de Gonzaga ex una parte, & illos de la Scala .... & Ferrarienses ex altera usque ad tres annos, mandato Legati Papæ, qui tunc erat in Italia. Die X. Aprilis .... divisa est ad stipendium per Italiam. Die XXI. Maji mutata est moneta Rhegii per illos de Gonzaga, & ille denarius, qui primò expendebatur pro duobus, non expenditur nisi pro uno; quod est maximum damnum Rhegii, & tunc omnia datia eorum sunt duplicata. Die XXVI. Julii Florentini cucurrerunt ad arma contra Ducem Athenarum, qui cum paucis suis evasit in Palatio Priorum, alii verò sui Officiales sunt mortui ignominiosè, & ipse cum eis

C coronatus depictus est in pariete dicti Palatii in sui vituperium; & tractatu Episcopi Florentiæ ipse Dux exivit Florentiâ. Eo anno capta est Zazera Civitas Saracenorum à Christianis, & Rege Hispaniæ præsidio Ecclesiæ Romanæ. Eo anno ultimo Aprilis occisus est lanceâ Gazinus filius Joannis de la Gazata sub ulmo prope Ecclesiam de la Gazata, qui erat XVIII. annorum, & hoc quia habuerat verba quædam turpia cum uno de Grazianis, qui septem erant, & coloni Fratris Thomasii de Flordebellis Prioris Ecclesiæ prædictæ. Et cùm Nicolaus ejus frater cum octo peditibus illuc misisset, ut faceret conduci tutè quædam bona, obviavit Gazi-

D nus cuidam sibi amico, qui dixit: *fili discede hinc, quia omnes Gratiani sunt in Ecclesia, & plures nobis*; ipse verò dixit: *credo, quòd ipsi me non offenderent, quia eos non læderem dormientes*. Quidam ex ejus sociis fatuè loquens dixit: *si essent Gratiani centum, non evadent hodie manus nostras*. Quædam vetula cacans verba audivit, creditque, quòd diceret ex corde, & statim retulit verba, & etiam plura Gratianis, quod audientes arma capiunt, ipsumque aggrediuntur. Socii fugiunt versùs Castrum clamando; unus, cui nomen Benvenga, lanceâ ipsum super clypeo vulneravit in gutture, & ibi mortuus est. Et fugerunt ad Sanctum Martinum Roberto-

E rum, ubi non sunt recepti, sed dispersi mendicando vadunt in tempus præsens, Et tunc mandato Philippini de Sesso eversa est turris Ecclesiæ de Gazata, eo quia Gratiani prædicti stabant in ea. Hæc scripsi propter verba malè portata ab illa vetula maledicta.

Die XVII. Octobris Guielminus, & Simon filius Baronis de Canossa ceperunt Gipsum de Crustulo, & expulerunt Rainerium de Canossa, quò statim ivit exercitus Philippini de Gonzaga, & factis pluribus bastiis die XXII. Januarii Millesimi sequentis redditum est de concordia, & hi, qui intus erant, fue-

fuerunt strenui bellatores.

MCCCXLIV. die XVI. Januarii Papa recepit Legatos Regis Bavari, & speratur de reconciliatione. Die VI. Februarii fuit captus & detentus Vanutius Manfredus, & filius de Dallo, & positi in carcere, & privati sunt suis Castellis.

Eo anno gentes D. Luchini Vicecomitis erant in Diœcesi Lunensi, & ceperant multa oppida. Pisani verò Domini Lucæ fecerunt quamdam foveam, quam per vim gentes D. Luchini transierunt, & profligarunt Pisanos. Cum D. Luchino erant gentes illorum de Gonzaga. Primo die Maji obiit D. Nicolaus Estensis Marchio Ferrariæ. De mense Augusti in Diœcesi Rhegii, & Mutinæ omnes fugiebant, & D. Philippinus fecit cavari foveas circa turrim Sancti Prosperi inferioris, fodiendo mortuos, destruendo sepulcra multorum Civium. Die ultimo Augusti omnes redierunt ad villas cum bonis suis. Die IV. Septembris præconizari fecerunt illi de Foliano, quòd nullus ex suis sub pœna furcarum debeat dare damnum in terris illorum de Gonzaga. Eo mense ad petitionem D. Luchini Vicecomitis illi de Gonzaga relaxarunt illos de Dallo. Die X. Septembris fugit D. Albertus de Gonzaga à D. Philippino, & ivit Scandianum ad inimicos suos, & bene receptus est, postea ivit Veronam, tamdem Mutinam rediit, & post mortem D. Philippini captus est per alios, & D. Ugolinum, tamdem relaxatus factus est fatuus publicus lacerando vestes, projiciendo per canalia. Hic fuerat homo crudelissimus, & effusor sanguinis humani propriis manibus indignè, unde meritò patitur hoc judicium. Eo mense venerunt multi stipendiarii D. Mastini ad Castra illorum de Foliano. Die XVIII. Octobris venerunt dictæ gentes cum illis de Foliano usque ad portas Rhegii, omnia vastando, & circuiverunt omnes Terras illorum de Gonzaga una die, & fecerunt magna lucra, sed & combusserunt, omnia vastando. Die XXIII. Octobris D. Azo de Corrigia vendidit Civitatem Parmæ Marchioni Estensi pro septuaginta millibus Florenis; & cùm habuit pecuniam, quam dividere debebat cum D. Guidone fratre suo, dedit in nocte Civitatem Marchioni, & abiit ipse cum denariis. Et D. Guido cum Giberto, & Azone filiis suis fugit cognito tractatu, & intravit Brixilium, Gibertus Guastallam, Azo Corrigiam. Et D. Joannes frater ipsius D. Azonis tenebat Castrum-novum, & erat cum D. Azone concors. Die XI. Novembris Marchio Estensis cum pulcherrima comitiva Nobilium intravit Parmam, & potitus est dominio dato per Azonem, & Joannem fratrem ejus, & Cagnolum ejus Nepotem. Die VIII. dicti mensis suspensi sunt XIV. homines de Scandiano de mandato D. Philippini in campo Feræ, qui capti fuerant in turri illorum de Taculis, ad plantas.

Die XVIII. dicti mensis Philippinus ivit Mediolanum ad D. Luchinum. Die XXIV. dicti mensis data est Civitas Parmæ Marchioni Estensi in consilio generali. Eo mense illi de Foliano equitarunt ad Insulam Suzariæ, Racolum, & ad Sanctum Benedictum, & Seravinum, omnia deprædando, fulti auxilio illorum de la Scala.

Die VII. Decembris redeunte Parmâ Marchione, D. Philippinus obviavit ei in Rivalta, & eum profligavit, sed Marchio fugit Parmam cum paucis. Tunc facti sunt equites per D. Philippinum D. Gibertus filius D. Guidonis de Corrigia, D. Joannes de Manfredis, D. Joannes de Laude, duo Alamanni ductores, & alii plures. Capti sunt per D. Philippinum D. Gibertus de Foliano, cui facta est nova gabia in Castro Dominorum, Aloisius ejus filius, qui vulneratus coram patre mortuus est in carcere Mantuæ, & relictus coram ipso duobus diebus, D. Paulus de Alligeriis de Parma, D. Joannes de Corrigia, Bartholinus de Foliano, Gallassius de Medicis de Ferraria, Saxolus de Saxolo, Franciscus de Guidonibus, Sarra de Costabilibus, Philippus de Paganis de Ferraria, Marinus da Machalusis de Patavio cum suo nepote, Gibertus de Cornazano, Jacominus de Este, Gilius de Turchis, D. Joannes de Malatestis, Bonifacius filius D. Baronis de Canossa, & ultra hos XXIII. Contestabiles equestres. Consignati sunt verò ad carcerem Rhegii septingenti viginti duo Mutinenses, Ferrarienses, & Romagnoli. Major pars horum relaxata est ad fidem, quia stipendiarii erant; prædicti verò Nobiles ducti sunt Mantuam in carcerem, & pecuniam maximam solverunt. Sed hujus captivitatis causa fuit, quare Marchio ita viliter fuit profligatus, quia habuit à D. Philippino posse ire accipiendum dominium Parmæ, sed non redeundi; & cùm speraret, se posse tutè redire, hoc ei proditoriè accidit. In processu temporis relaxarunt D. Gibertum de Foliano, dederuntque ei possessiones Monasterii Sancti Prosperi de Miarina, qui statim destruxit Palatium, quod ibi erat, & fecit Castrum Bodrioni in Territorio Abbatis Fraxinorensis, & tenuit ipse, & filii possessiones prædictas per vim usque ad tempus præsens in magno dispendio Dominorum de Gonzaga, qui voluerunt facere eleemosynam ex bonis Monasterii D. Giberto, qui statim incœpto dicto Castro cœpit facere bellum eis, & bene. Die XXVII. Decembris equitarunt gentes Rhegii in Episcopatum Parmæ stando pluribus diebus, & mutando castra sæpe, & omnia vastando.

MCCCXLV. die XXII. Januarii D. Feltrinus, & D. Ugolinus de Gonzaga cum gente sua, & D. Luchini equitarunt super districtum Ferrariæ, omnia consumando, & post plures dies redierunt Mantuam. Eo mense omnia bona Rheginorum accipiebant de stipendiariis de Gonzaga, & famulis extra Civitatem, & tunc Rhegini erant in languoribus, & meritò. Die XXVII. Januarii profligati sunt milites octuaginta, qui stabant in Castro-novo Diœcesis Parmensis per milites D. Philippini. Ultimo die dicti mensis factus est terræmotus gravissimus.

Die III. Februarii venerunt Rhegium D. Feltrinus, D. Corradinus, & D. Ugolinus de Gonzaga cum mille ducentum equitibus, quos posuerunt in Burgis hujus miserrimæ Civitatis, & in Monasterio Sancti Prosperi positæ sunt XXV. banderiæ, qui destruxerunt domos, arbores, & omnia. Die III. Martii equitavit D. Philippinus cum quinquecentum militibus in auxilium D. Luchini Vicecomitis, & multis Nobilibus. Die XVII. dicti mensis vênit Rhegii grando magna.

Die

Die sequenti accepta sunt Quatuor-Castella & Castrum Sancti Pauli Dominis de Gonzaga per gentes Marchionis de consensu D. Cabrioti, & filiorum Guielmini de Canossa, quorum erant dicta Castella. De mense Junii ordinabantur per populares Rhegii duo tractatus contra illos de Gonzaga, sed ordinatores alter alterum ignorabant. Unus erat, quia prope portam Bernorii fiebat per quosdam, & paucos in domunculis quibusdam una cava, per quam debebant intrare illi de Foliano, & jam erat ad muros Civitatis versùs Consilium, & tantæ altitudinis erat, quòd unus ibat cum clypeo magno, & faciliter. Alius tractatus erat, quia debebat interfici quidam stipendiarius, vel familiaris de Gonzaga, & tunc Populus debebat clamare: *moriantur Mantuani*, & in hoc erat quasi totus Populus. Qui tractatus similiter explorati sunt per Officiales Dominorum, unde subitò innumerabiles Cives capti sunt, aliqui magis culpabiles fugerunt. Tormentati sunt crudeliter cum facibus accensis in corpore, quousque viscera prorumperent in terram, & crudelius quàm dici posset; aliqui meritò, aliqui indignè; aliqui mortui sunt ad torturam, aliqui, quorum interitus ignoratus est, aliqui cùm jam ultra duos dies non possent evadere, relaxati sunt, solutis mille quinquecentum libris pro quolibet, antequam vellent suspendi, qui cùm domi erant, statim moriebantur; alii potiùs suspendium pati voluerunt, quàm filii pecuniam solverent, & suspensi sunt super ipsa cava.

Captus est D. Albertinus Abbas Sancti Prosperis, & Prior suus, & XVIII. inter Monachos, Conversos, & famulos, & positi sunt in gabia, quæ est in Castro Dominorum, & ablata sunt omnia bona Monasterii, & Sacristiæ, & portata sunt omnia Mantuam, quæ post plures annos recuperata sunt pro Florenis octuaginta auri, & relaxati sunt omnes de Monasterio, nisi Abbas, qui ductus est Mantuam. Ipse in vera conscientia, & omnes de Monasterio erant innocentes tanti sceleris; sed familiares ipsius Abbatis erant culpabiles, unde forsitan Monasterium hodie est diruptum hac de causa. Pater ipsius Abbatis, qui senex erat, quia consuluit filiis, ut recederent, quia culpabiles erant, captus est, & solvit libras mille quinquecentum, & omnia Monasterium solvebat: & hæc operâ Rheginorum: quod molestè fero, quia natus sum in ipsa miserabili Civitate. De mense sequenti major pars populi posita est in Burgis Civitatis cum armis suis, & steterunt pluribus mensibus, quòd non venerunt in Civitatem. Die XXII. Junii vênit D. Philippinus Rhegium veniens de Thuscia, facta compositione inter Pisanos, & D. Luchinum Vicecomitem. Die XXVII. dicti mensis in aurora diei intraverunt gentes D. Marchionis super muros Civitatis prope portam Bernorii, positis pontibus super foveis operâ illorum de Foliano, & fuit portatum vexillum Marchionis in platea Communis per unum de suis, & de muro ultra quinquecentum homines descenderant. Tamdem illi de Sesso, & Manfredi unà cum militibus, & amicis currentes ad prœlium extra muros, viriliter expulerunt, occidendo & capiendo plures, & dum fugientes transire vellent foveam, pons fractus est, & suffocati sunt in fovea XXII. inter quos D. Bernardinus filius D. Giberti de Foliano, qui factus erat eques in illo rumore; & sic abiit exercitus confusus. Die XXVIII. dicti mensis ivit D. Philippinus, Feltrinus, Corradus, & Ugolinus Cremonam cum tribus millibus militum in auxilium D. Luchini. Die primo Julii vênit D. Philippinus cum sua gente ad parlamentum cum gente D. Luchini. Die V. dicti mensis iverunt Soragnam, & ceperunt Castrum, quod ibi erat. Die XXIII. dicti mensis vênit D. Philippinus Colecchium. Die sequenti vênit Marchio prope eos per unum milliare cum omnibus copiis suis, & uterque exercitus se fortificabat.

Die XXIX. Augusti equitavit Marchio cum suo magno exercitu circa Rhegium, & cuncta vastabat, sæpiùs mutando castra. Die XII. Augusti extra, & prope Castrum de Gazata fuit mortuus in quadam scaramuza cum una sagitta Nicolaus filius Joannis de Gazata, succurrendo Thadæo fratri suo, qui interficiebatur ab inimicis, & jam lanceâ vulneratus erat in capite. Hic Nicolaus fuit homo probus, & magni cordis, & staturæ ultra communem staturam hominis. Portatum est ejus corpus Rhegium, & sepultum cum parentibus suis, & fratre suo Gazino. Isto mortuo ad nihilum redacti sunt illi de la Gazata.

Die primo Septembris venerunt gentes Marchionis prope Sanctum Marcum super muros Civitatis Rhegii, & jam fregerant murum, sed auditi expulsi sunt extra, & tunc captus est super muro Joannes de Malatachis, & Simon de Montebabulo, qui cùm in mane sequenti suspendi deberent ibi mandato D. Philippini, in nocte fugerunt, & postmodum ipse Joannes vênit ad statum magnum in Regno Apuliæ, & factus est eques cum magno honore. Die V. Septembris Marchio vênit ad Sanctum Mauritium, & usque ad Sanctum Bernabeum, & fecit fieri foveam magnam cum palancato, & baltreschis, volens circundare illo modo Civitatem, sed non complevit illud opus. Die XIII. Octobris discessit Marchio combustis omnibus ædificiis, quia secum erat quidam miles proditor, qui eum prodebat, quem linguâ damnatum turpissima morte mori fecit. Et eo mense exercitus Marchionis circa Herberiam vênit. De mense Novembris illi de Herberia in noctis silentio aperuerunt canale super exercitu Marchionis, & irruerunt in eum, & profligaverunt, & multi rustici ditati sunt illo conflictu usque in hodiernum diem. Eo mense D. Philippinus equitavit ad Castrum Gualtenium Parmæ Diœcesis. Eo mense capta est turris Sancti Silvestri de Moncasali per gentes Marchionis. Die XXVI. Novembris D. Philippinus fecit fieri in contemptum Marchionis Domini Parmæ unam bastiam ad Cantonum de subtus domos illorum de Bosco, & gentes D. Philippini erant usque Rhegium extensæ, & usque Bagnolum, & in Monasterio Sancti Prosperi, & combusserunt vegetes, tinas, scrineos, & molendina, & omnia bona abstulerunt ubique locorum, postmodum iverunt ad Quatuor-Castella, omnia consumendo & devastando.

MCCCXLVI. die XXII. Februarii factus est terræmotus maximus per universum orbem, & fuit in sero, ex quo multæ turres, & do-

& domus dirutæ sunt. De mense Martii licentiati sunt Roberti, & Manfredi ab illis de Gonzaga, quia tractaverant occidere D. Philippinum in horto Fratrum Minorum post vesperas, in quem intrabat causâ solatii. Iverunt Manfredi Borzanum; Roberti ad Sanctum Martinum, & statim cœperunt facere bellum illis de Gonzaga, & adhæserunt Marchioni. Die III. Aprilis capti sunt centum quinquaginta populares Rhegii, amici prædictorum Nobilium, & positi sunt in Palatio Communis sub bona custodia, & eorum uxores comendatæ sunt vicinis. Eodem mense equitavit D. Albertus de Scala Mantuam usque ad portas, omnia vastando, & comburendo domos, incidendo vites, arbores, & omnia reducebat ad Castella sua vicina Mantuæ. Eo mense rebellatum est Gorzanum Marchioni, per illos de Gorzano.

Die XII. Aprilis ducti sunt Mantuam centum Cives Rhegii amici illorum de Manfredis super curribus, manibus post terga ligatis, & positi in carcere Mantuæ, alii capti manserunt in Rhegio, impositâ eis taleâ multorum ducatorum. Ipso mense per Dominos de Gonzaga devastata sunt omnia circa Borzanum, & circa Sanctum Martinum; & eo mense duplicata est talea captivis Rheginis, per dictos Dominos de Gonzaga, & relaxati sunt post solutionem, datis fidejussoribus de parendo dictis Dominis. Die VI. VII. VIII. Julii venerunt Mutinam gentes D. Mastini in favorem Marchionis duo millia militum Teotonicorum, & ibi etiam de suis de Bononia, de Thuscia habebat quatuor millia militum. Die IX. dicti mensis venerunt dictæ gentes in districtu Rhegii ad prata de Merlo. Die X. dicti mensis præconizata est treuga inter D. Luchinum, & suos ex una parte, & D. Marchionem Estensem cum suis ex altera usque ad Festum omnium Sanctorum. Die XXIV. dicti mensis venit gens Marchionis Gavasetum, Folianum, & per contratas, & gentes D. Luchini, & D. Philippini ad Rivaltam. Die III. Augusti ivit ad turres de Cohenzio gens D. Luchini, quas habuit.

Die XI. dicti mensis equitavit exercitus D. Mastini, & Marchionis Covriacum, deinde iverunt Parmam, & ad Guardasonum, damnificando illos de Corrigia. Die XVII. dicti mensis acceptum est Castrum Sancti Felicis de Mutina Marchioni Estensi per Leonardum de Piis, cui Leonardo acceptum est statim per illos de Mirandula, qui socii sui fuerant in accipiendo dictum Castrum. Die XXVI. Augusti in Regno Franciæ constrixerunt hi duo exercitus, D. Philippus Rex Franciæ, & Rex Angliæ, quod prœlium cruentissimum fuit, sed tamdem Rex Franciæ profligatus est. Mortui sunt primò Rex Bohemiæ (pater fuit Caroli Imperatoris) nec inventus est vivus, aut mortuus, erat enim captus, antequam iret ad bellum, Dux Rhemi, Comes de Alierti, Comes Albaniæ, & ejus filius frater Regis Franciæ, Comes de Salmen, Comes de Blois, Comes de Sansur, Comes Flandriæ. Sunt autem mortui inter Barones, & Nobiles mille sexcentum, & in prœlio mortui sunt viginti millia hominum, & quatuor millia vulnerati. Rex Franciæ fugit cum sexaginta de suis. Sequenti die Carolus filius Regis Bohemiæ mortui in hoc prœlio electus est canonicè Imperator Romanorum. Die VII. Septembris Marchio cum maxima comitiva ivit versùs Mediolanum, ut concordiam faceret cum Domino Luchino. Die XVII. dicti mensis Marchio dedit Parmam D. Luchino, donando ipsam duobus filiis D. Luchini, quos in baptismo tenuit, & ipsam munivit D. Luchinus cum maximo apparatu. Die XI. Octobris facta pace Marchio cum maximo honore rediit Ferrariam. Die VII. Novembris Marchio munivit Castellaranum, & Campugajanum. Ipso mense D. Luchinus privavit omnes nobiles Parmæ suis Oppidis, & Fortiliciis omnibus acceptis sub sua custodia, & Nobiles Popularibus æquavit. Ipso mense præconizatum est Rhegii, quòd omnes possent tutè redire Rhegium, & D. Philippinus duxit Mantuam omnes Nobiles, qui erant in Rhegio ad standum.

Eo mense restitutum est Castrum Sancti Felicis, & Castrum Gorzani Marchioni. Die X. Decembris Marchio venit Mutinam, & fecit omnes Extrinsecos redire, & præconizari pacem inter ipsum, & illos de Gonzaga.

MCCCXLVII. de mense Januarii illi de Gonzaga posuerunt custodes in Castris Sancti Martini Robertorum, & Borzani Manfredorum. Die VI. Martii Domini de Gonzaga fecerunt exire de banno . . . . Communis Rhegii, & valebat frumentum Rhegii libras tres solidos X. faba libras tres, quia hic fuit annus caristiæ. Ipso mense Carolus electus Imperator venit Trentum, & misit ad omnes Italicos, ut ad eum mitterent gentes, & ita factum est. De mense Aprilis valuit frumentum libras quatuor, faba tres solidos X. spelta lib. I. solid. XII. melica prò semine lib. III. mistura speltæ, & milii lib. II. solid. VIII. Eo mense profligatæ sunt gentes D. Caroli per filium Bavari ad quoddam Castrum. Die XXVI. dicti mensis inundavit Crustunium in tantum, quòd aqua ivit in braidam Sancti Prosperi, discurrendo usque ad Sanctum Michaelem de bosco, multa damna faciendo. De mense Maji valuit frumentum lib. V. mixtura fabæ, & faseolorum lib. IV. spelta & milium lib. III. Eo anno, & mense Domina Isabetha del Flisco uxor D. Luchini Vicecomitis ivit Venetias ad Festum Ascensionis, & ultra quàm dici possit honorata est in omnibus Civitatibus. Fuit etiam Mantuæ, & ibi creditur cognita per D. Ugolinum de Gonzaga, nam talis naturæ fuit, qua de causa creditur, quòd nisi mors rapuisset D. Luchinum, decreverat delere illos de Gonzaga, quia, ut patebit, citò eis intulit bellum.

Eo anno in die Pentecostes Populus Romanus currit ad arma, & expulit omnes Nobiles extra Romam, fecitque unum Prætorem popularem. Scripseruntque Romani omnibus populis, quod factum erat per eos pro bono Romanorum, & totius Italiæ, quia dicti Nobiles omnia deprædabant velut prædones iniqui, & quòd omnes Civitates mitterent Romam Legatos in mense Augusti sequentis pro parlamento ordinato pro statu pacifico totius Italiæ. Nova, quæ tunc fuerunt Romæ. Die primo mensis Augusti anni præsentis de Tribunis factus est eques quidam nobilis Romanus; constitutus est Syndicus

dicus Populi Romani, ut cingeret sibi ensem. D. Nicolaus de Perusio posuit sibi unum ex calcaribus, D. Ursinus Romanus posuit aliud. Hoc facto fecit duas leges: prima, quòd omnes Civitates Italiæ sint liberæ, & omnes Italici Cives sint Romani. Secunda, quòd Imperator electus compareat coram eo in Sancto Joanne Lateranensi in Festo Pentecostes, aliter contra eos procedetur de jure. Die II. dicti mensis fecit consecrari quinque Vexilla, unum dedit Florentinis, aliud Senensibus, tertium Perusinis, quartum Tudertinis, quintum sibi servavit; unicuique Legato Italiæ donavit unum anulum in signum fraternitatis. Die IV. dicti mensis fecit sermonem in publico, in quo dixit, ut providerent cum effectu in abundantia frumenti. Et quòd D. Petrazonzensis Cardinalis reprehenderat populum Romanum de ejectione Vicariorum è Capitolio, & de suspensione cujusdam Clerici; & dixit, quòd melius, & sanctius fecisset, si damnasset occisores Regis Andreæ, quàm Populum Romanum, & alia alta & superba verba dixit. Interfuerunt Legati Perusinorum, Florentinorum, Senensium, Tudertinorum, & omnium Civitatum, Ducatus, Patrimonii, & Campaniæ cum militibus armatis, & gentibus juxta posse. Et facta sunt per Romam festa solemnia induendo se robis, & donando busonibus, & lusoribus: ipse verò Tribunus balneatus est in conca, in qua balneatus est Constantinus Imperator, quando à lepra est mundatus, & mutatum est ei nomen, & dictus est ***Candidatus Spiritus Sancti. Miles Nicolaus, Severus, & Clemens, liberator Urbis, Zelator Italiæ, amator Orbis, Tribunus Augustus***. Sed ut meliùs intelligatur Historia, scias Lector: De domo Francorum factus est Carolus Rex Apuliæ, cui successit in Regno Philippus ejus filius, & dictus est Rex claudus, quia claudus erat. Iste habuit tres filios Carolum Martellum primogenitum, Robertum, & alium Principem Tarantinum. Iste Robertus factus est Rex Apuliæ, Carolus verò, qui debebat habere Regnum, quia primogenitus, procuratu fratris sui Roberti, missus est in Ungariam, & habuit illud Regnum in processu temporis. Rex Robertus factus senex tactus conscientiâ, quia occupaverat Regnum fratris indebitè, supplicavit Summo Pontifici, ut dispensaret pro bono pacis, & Regni, quòd filius quondam Caroli Martelli Regis Ungariæ posset accipere in uxorem filiam ipsius Roberti, qui Robertus his pendentibus mortuus est. Papa hoc consensit, & data est Joanna filia Roberti Andreæ nato ex Carolo Martello, ut Regnum Apuliæ rediret ad heredes Caroli Martelli, secundùm quod de jure debebat. Andreas prædictus ivit in Apuliam, & desponsatâ dictâ Joannâ est factus Rex Apuliæ, qui antequam annus esset, suffocatus est cum uno faxolo in camera sua, & dictum fuit, quòd factum fuit operâ Uxoris, quæ semper fuit meretrix; unde Rex Ungariæ frater Andreæ dicti vênit in Italiam, & ivit in Apuliam ad vindicandam mortem fratris, ut patebit infra. Ipso anno & mense Octobris valebat frumentum libras tres, solidos XV. parvorum, vinum pro familia solidos quadraginta, brachium biseti solidos decem & septem, unum par futularium pro uno Cive solidos decem, & valebat florenus libras quinque & solidos quindecim: & hoc erat propter malam monetam, quam faciebant Domini nostri. Quæ moneta mutata fuit ipso mense, & denarius, qui valebat quatuor, valuit solum unum: unde multi fuerunt consumpti hac causa, & tunc omnia redierunt ad suum statum debitum. Ipso mense mortuus est D. Ludovicus Imperator Bavarus. Eo anno illi de Gonzaga fecerunt fieri unam arcem in Castro Sancti Martini Robertorum. Eo anno de mense Decembris vênit Rex Ungariæ in Italiam, vadens versùs Apuliam; & die XXVI. dicti mensis D. Philippinus ivit in Apuliam in auxilium Regis Ungariæ cum centum barbutis, & ducentum peditibus bene armatis. Ipso anno, & mense obiit D. Berthonus de Robertis, & sepultus est in Castro Sancti Martini.

MCCCXLVIII. die XXV. Januarii factus est terræmotus in Vesperis ultra modum per totum Mundum. Ipso mense Rex Ungariæ habuit Regnum Apuliæ sibi datum per potentes Apuliæ. Regina Joanna, quæ fuerat causa mortis mariti sui, fratris dicti Regis Ungariæ, cum una galêa fûgit in Provinciam Narbonensem, quæ sua dos fuit, & est. Demum ivit ad Papam, & non habuit bonam famam in hoc Mundo. Rex Ungariæ intravit Palatium, ubi fuerat mortuus frater suus, & quosdam interrogavit de loco: quo cognito propriis manibus ibi occîdit Ducem de Dyrrachio, & alios plures Nobiles, qui fuerant causa mortis fratris, & fecit vindictam maximam viriliter & potenter.

Die V. Martii rediit D. Philippinus de Gonzaga de Regno Apuliæ, & ipso mense expulsus est Tribunus, qui cum tanto triumpho fuerat ordinatus, extra Romam, & ivit in Apuliam ad Regem Ungariæ. Et tunc Romani ordinaverunt tres Senatores in Roma, unum de Colonna, alium de Ursinis, tertius fuit quidam Cardinalis Legatus Ecclesiæ. Ipso mense Rex Ungariæ misit tres de domo Regis Roberti de Apulia in Ungariam, & nepotem suum, qui remanserat ex fratre mortuo. Isto anno usque ad Festum omnium Sanctorum, tam ultra mare, quàm citra per totum Mundum fuit morbus horribilis, & tremendus. Qui conversabatur cum infirmo, moriebatur; spuebant sanguinem. Multæ Civitates, & Oppida hac causa per Mundum desertæ incolis factæ sunt. Terræmotus multas Urbes diruit: Venti, & tempestates in aëre ultra solitum modum fuerunt hoc anno. De hoc morbo non possem scribere horribilitates, & crudelitates, & obscuritates, quæ fuerunt. De mense Martii D. Luchinus faciens bellum illis de Gonzaga misit exercitum maximum circa Casalmajorem, & Pradenam Oppida illorum de Gonzaga. Die primo Julii habuit Casalmajorem, & Sablonariam illorum de Gonzaga.

Ipso die gentes D. Mastini cucurrerunt usque ad Portas Mantuæ, devastando & prædando omnia, quæ poterant. Ipso mense D. Luchinus misit exercitum circa alia Castra, quæ tenebant illi de Gonzaga in Diœcesi Brixiæ, & Cremonæ. Et Dominus Mastinus misit exercitum ad Curtatonum Diœcesis Mantuæ. Ipso anno mortui sunt Florentiæ utriusque sexus ducentum quinquaginta millia hominum. Ipso anno cum multis velis con-

contra Regem Apuliæ navigavit Regina Joanna, favente Papa, & forsitan non bene. Recuperavit Regnum Apuliæ, unde post multos annos, quando Carolus Imperator vênit ad instantiam Ecclesiæ in Italiam contra D. Bernabovem, Rex Ungariæ noluit mittere unum ex suis militibus, quia ipsa Regina miserat gentes suas; dixit enim Rex: *Nolo mittere milites meos in exercitu tam iniquæ Meretricis*. Die XXIII. Augusti restitutum est Pomponescum D. Luchino, & omnes aliæ terræ, quas tenebant illi de Gonzaga in Comitatibus subjectis Domino Luchino, quas ipse habuit. De mense Septembris vênit D. Canis filius D. Mastini cum gente sua, & Domini Marchionis circa Mantuam cum magno triumpho. Et gentes D. Luchini erant circa Mantuam versùs Burgum-fortem, & ibi steterunt pluribus diebus, & in fine dicti mensis gentes D. Luchini inordinatæ stantes profligatæ sunt ab illis de Gonzaga, unde hoc timore gentes D. Mastini, & Marchionis redierunt ad propria. Et ipso die Domini Mantuæ habuerunt talem victoriam, vertendo in fugam gentes D. Mastini, & Marchionis profligato exercitu D. Luchini.

Die primo Novembris D. Albertinus Abbas Sancti Prosperi, cùm esset Vicarius Episcopi Parmæ, recepit in Monachos suos Fratrem Petrum filium D. Franceschini de Gazata, qui in processu temporis fuit Abbas dicti loci, & Fratrem Joannem Ser Justi de Pistorio, qui obiit Florentiæ, & Fratrem Simonem de Manfredis, qui fuit gladio interfectus in domibus Sancti Matthæi, & Fratrem Guidonem, qui fuit Prior de la Gazata, & ibi jacet ante Altare. *Hæc scripsi, quia ex eis fui unus minimus*; & etiam recepit Fratrem Franciscum de Frasinario. Ipso mense D. Mastinus equitavit circa Mantuam, stetitque pluribus diebus, postea discessit. Die XVI. Decembris equitavit Potestas Rhegii ad Castrum Mandriæ, quod habuit, nisi arcem, quam per vim tenuit Zilinus de Mandria, combusta cetera parte. Qui Zilinus in processu magno temporis per famulum suum, procuratu illorum de Foliano, occisus est gladio ibidem; quo mortuo remansit Castrum Georgio, & Ugolino ejus nepotibus. Georgius occidit Ugolinum gladio, & ejus filium quatuordecim annorum, & adhæsit illis de Foliano, relicto D. Feltrino.

MCCCXLIX. die XXIII. Januarii venerunt centum pedites D. Giberti de Foliano in media nocte ad Gazatam, quod tenebant illi de Gazata ad honorem illorum de Sesso, & intraverunt dictum Castrum, dato ingressu securo per quemdam proditorem, qui custos erat, sed hostis fuit, & nominabatur Joannes Conza, qui respondebat semper, quando vocabatur à custodibus, sed ponebat homines in domum suam, qui cum scalis intrabant: unde facta quadam defensione per Thadæum, & alios cum paucis rusticis, expulsi sunt de Gazata, & captus est Petrus de Gazata graviter vulneratus, & alii plures; *& ego ductus fui extra Castrum per brachium à D. Franceschino patre meo, cùm essem quatuordecim annorum, & sic evasi in nomine Domini*. Illi de Foliano potiti sunt Castro Azoni de Sesso cognati sui.

Die XXIV. dicti mensis obiit D. Luchinus Vicecomes, qui fuit homo magnæ justitiæ, & magni animi. Fuit autem Dominus Mediolani, Cremæ, Terdonæ, Astæ, Alexandriæ, Albæ, Vercellarum, Novariæ, Bobii, Bergomi, Comi, Brixiæ, Cremonæ, Placentiæ, Parmæ, & Laudi. Die XXVI. dicti mensis factus est D. Joannes Archiepiscopus Mediolani frater D. Luchini Dominus generalis dictarum Civitatum, & statim fecit redire Mediolanum D. Bernabovem, & Galeatium fratres, & filios D. Stephani Vicecomitis, fratris ipsius Archiepiscopi, qui exulabant per D. Luchinum propter opera ipsorum non bona. De mense prædicto vênit D. Annibal Cardinalis in Vesperis Rhegium Legatus Italiæ, qui ibat Romam, & hospitatus est in Episcopatu Rhegii, & honorificè receptus est per D. Philippinum de Gonzaga, & in brevi mortuus est Romæ quasi cum tota familia, veneno posito in una vegete vini. Die XXV. Aprilis vênit pruina, quæ consumpsit vineas; & omnia virentia. Ipso mense vênit exercitus D. Mastini versùs Mantuam, omnia comburendo, & devastãdo. Eo mense pax est præconizata inter Archiepiscopum, & suos ex una parte, & Dominos de Gonzaga, & suos ex altera, quia D. Luchinus juraverat numquam pacisci secum, donec ad stipendium mitteret; sed morte sua provisum est aliter. Die primo Junii exercitus D. Mastini ivit ad Voltam, & Cavrianam, omnia vastando super districtu Mantuæ. De mense Julii . . . . . . quæ solebat stare unum mensem ad veniendum, nunc vênit omni hebdomada propter paucitatem hominum. *Hic homo bonus non vidit ea, quæ ego postea vidi, quia oportuit, ut fieret à stipendiariis, eo quòd omni nocte veniebat, & rustici erant positi in Custodia, quod non solebat fieri*. Eo mense illi de Gonzaga habuerunt Castrum Plagnæ, quod fuit acceptum Bartholino de la Plagna per Guielmum de Foliano. Ipso mense Rex Ungariæ, relicto Regno Apuliæ Reginæ prædictæ, in pace ivit versùs Ungariam. Ipso mense Carolus electus Imperator ivit Avinionem ad Papam. Die III. Augusti recessit exercitus Domini Mastini ex districtu Mantuæ, & tunc equitaverunt mille equites Mantuæ cum magna peditum multitudine versùs quoddam Castrum Veronensium, & profligati sunt per D. Albertum de la Scala. Die IV. Augusti ivit exercitus Rhegiensis ad Gazatam, eo quòd illi de Foliano tenentes illud, multas rapinas per stratam faciebant; nam deprædati fuerant fratrem Comitis Romandiolæ, & habuerunt de suis ultra decem millia Ducatorum, & ibi stetit cum trabuchis, & batifredis, sed fortissimum erat muris & aggeribus.

Die XII. Augusti illi, qui intus erant, combusserunt Burgum dicti Castri. Die XX. Augusti redditum est Castrum dictum illis de Gonzaga per illos, qui intus erant, fide data personis, & dirutum est dictum Castrum subitò, & non rediit exercitus Rhegium, donec habuit in diversis locis sexdecim Castella illorum de Foliano, quæ quasi omnia diruta sunt, & quæ videre potes in Palatio Communis Rhegii notata, & scripta in muro. De mense Novembris dirutum est Castrum Borzani mandato illorum de Gonzaga, similiter Castrum Sancti Valentini, Ro-

Rodelia, Bazolanum, Piagna, Atelenum, Rupiola, Gazata, & Castrum Paulli:

MCCCL. die VI. Januarii Rhegii publicatæ sunt literæ Papæ, qualiter erat annus Jubilæi in fine quinquaginta annorum, sicut solebat esse olim in fine centum. Die XXVI. dicti mensis facta est treuga inter illos de Gonzaga, & illos de la Scala.

Ipso mense reædificatum est Castrum Sancti Valentini per Bonifacium de Foliano, cujus erat. Die XXVII. Maji liberati sunt Rhegienses ab interdictu Ecclesiæ, qui steterant interdicti post mortem Rectoris Ecclesiæ usque in tempus præsens, nisi aliquando de speciali gratia. Eo mense rebellata est Faventia Comiti Romandiolæ per Manfredos, qui Comes posuit ibi exercitum suum cum favore Ecclesiæ. Die ultimo Julii proclamata est pax generalis inter illos de Gonzaga, & illos de la Scala, & illos de Foliano ex una parte, & illos de Gonzaga in perpetuum pro se, & heredibus, sed malè servata fuit. Eo mense per illos de Pepulis decapitatus est Bononiæ D. Bonaventura filius D. Joannis Andreæ, & alter quidam de Castro Sancti Petri pro quodam tractatu, quem dicebatur habere cum Comite Romandiolæ, & projecta sunt eorum capita de Palatio Bononiæ in plateam, & ibi relicta toto die. Die VI. Julii misit Comes prædictus pro Domino Joanne de Pepulis, qui ivit ad ipsum in Castris circa Faventiam cum maxima armatorum, & Nobilium multitudine, qui detentus est statim per dictum Comitem, & D. Azo senex de Corrigia, & alii plures Nobiles capti sunt cum ipso, qui omnes in brevi relaxati sunt, nisi D. Joannes. Die X. dicti mensis D. Ugolinus de Gonzaga ivit in auxilium illorum de Pepulis Bononiam, qui Pepuli eo mense perdiderunt Castrum Sancti Petri, quod habuit dictus Comes Romandiolæ. Et D. Mastinus misit filium suum D. Fregnanum naturalem cum sua gente ad dictum Comitem in auxilium Ecclesiæ. Archiepiscopus Mediolani misit in auxilium Pepulorum XX. banderias Bononiam equestrium, & tunc Pepuli in XX. diebus assoldaverunt octuaginta banderias militum armatorum. Die XXVIII. Julii Archiepiscopus Mediolani misit etiam in auxilium de Pepulis D. Joannem Vicecomitem cum quatuorcentum equitibus armatis; & tunc Dominus de Gonzaga misit auxilium Pepulis. Marchio Estensis, & Capitaneus Furlivii, & illi de Manfredis, qui tenebant Faventiam, & omnes prædicti juvabant Pepulos. Cum Comite verò erant Ecclesia Romana, D. Mastinus, & quædam Civitates Thusciæ, Marchiæ, Lombardiæ, & aliarum Provinciarum, quæ Comiti dabant auxilium.

Die XVI. Augusti relaxatus est D. Joannes de Pepulis, solutis primò Comiti Romandiolæ XX. millibus florenis, & datis ipsi Comiti duobus suis pro fidejussione aliorum XX. millium solvendorum infra certum tempus. De mense Septembris D. Barnabos Vicecomes de Mediolano duxit in Uxorem Dominam Reginam filiam D. Mastini de la Scala, & facta est in Mediolano aula magna & sumptuosa. Die XXI. Octobris Galeatius nepos Archiepiscopi vênit Rhegium cum magna militum multitudine, vadens ad accipiendum Bononiam nomine Archiepiscopi, quæ dabatur ei ab illis de Pepulis. In quam die XXII. intravit, & XXV. Octobris datum est dominium Bononiæ in generali Consilio Vicecomitibus; & Pepuli vilitate cordis amiserunt dictum dominium, vel Dei judicio, quia suo tempore numquam facta est justitia, sed malefactores fugientes ad ipsorum domos salvi fiebant, aut amore, aut pecunia mediante; fuerunt enim homines parvi valoris, nam Bononienses eos omnes diligebant. Ipsi Pepuli ex pacto habuerunt Sanctum Joannem, Sanctam Agatham, Crevacorum, & Nonantulam. Ipso mense D. Canis Grandis filius D. Mastini duxit uxorem filiam quondam Ludovici Imperatoris dicti Bavari, & facta est Curia magna Veronæ.

De mense Decembris Comes Romandiolæ vênit cum exercitu in territorio Bononiæ contra Dominos Mediolani, unde D. Bernabos die XXVIII. dicti mensis vênit Rhegium, vadens Bononiam cum magna equitum & peditum multitudine contra dictum Comitem; & D. Philippinus de Gonzaga ivit cum ipso in sui favorem. Die XXIX. dicti mensis transierunt per Rhegium gentes Comitis Sabaudiæ euntes Bononiam in auxilium Archiepiscopi.

MCCCLI. die primo Januarii vênit Dominus Galeatius Rhegium, rediens Bononiâ cum pauca gente, vadens Mediolanum, & gentes Sabaudiæ redierunt ad propria in medietate post ipsum. Die XVI. dicti mensis computati fuerunt homines Rhegii arma portare valentes cum Burgensibus septemcentum. Et quando Rhegienses iverunt ad Crevariam, tum Civitas faciebat octo millia hominum arma portantium. *Hic nihil vidit de miseria istius Civitatis morte præventus, & mirabatur*.

De mense Februarii Comes Romandiolæ recessit à castris, & obsidione Bononiæ pecuniâ corruptus, & tenuit Castrum Lugi, ut servarentur sibi quædam pacta promissa per Dominos Mediolani. De mense Aprilis erant pro dicto Comite quidam Burgundienses ad custodiam Lugi, qui receptis suis stipendiis à Domino Mediolani, dederunt sibi dictum Castrum.

Die XXV. Aprilis incœpta est dirui turris Sancti Prosperi extra muros, quæ erat alta nonaginta brachia, de mandato illorum de Gonzaga. Et recordor, licèt essem parvus Monachus, pro qua voluimus dare fidejussores D. Feltrino de Gonzaga pro tribus millibus florenis, & solvere duodecim stipendiariis, quos ipse teneret ad custodiam ipsius turris; sed indurato animo dixit: *Sic oportet fieri. Et verè credo, quòd bene dixit prophetando, quia Pontifex erat, nam oportet meo judicio, ut omnia hujus miseræ Civitatis opera egregia destruantur per illos de Gonzaga, antequam restaurentur*. Et sic factum est. Die XXI. Maji Bartholomæus Bojardus occîdit gladio Bonifacium Bojardum super stratam ultra Fresinariam, & hoc quia eum tenebat extra Castrum Herberiæ, & occupabat bona sua. Postmodum ivit in Apuliam, & ibi vixit honorificè, & ibi factus est eques. Die IV. Julii obiit D. Mastinus de Scala, cui successit Canis Grandis Dominus Veronæ, Vicentiæ; & statim expulsi sunt illi de Foliano ex Verona. Ipso mense captus est D. Jacobus Pe-

Pepulus per Officialem Domini de Mediolano, & accepta sunt ei Castella, quæ tenere debebant, & frater ejus Dominus Joannes ivit statim Mediolanum. De mense Augusti Archiepiscopus Mediolani misit exercitum suum Florentiam versùs usque ad portas, tamdem positi sunt circa Scarpariam, unde recessit de mense Octobris.

Ipso mense judicatus est D. Jacobus Pepulus ad perpetuum carcerem propter proditionem attentatam contra illos de Mediolano, & stetit una die ad Arengeriam Communis Bononiæ, postmodum ductus est Mediolanum in vinculis. Oh quàm adversa est fortuna hujus seculi! Iste heri cum tanto triumpho dominabatur Bononiæ; hodie ligatus est in spectaculo omnium, velut latro, ad arengeriam ejusdem Civitatis. Ergo si fecisset bonum Regnum, hoc ei fortè non accidisset. Tamdem in processu temporis relaxatus è carcere ivit Faventiam, ibique miserrimè sinè uno ronzino vixit. Et frater ejus D. Joannes stetit cum Dominis Mediolani cum honore maximo habens omni mense ab eis quingentos florenos auri pro se solo, & filii ejus etiam provisionem magnam habuerunt, & uxor: quia hujus tractatus innocens est inventus. Tamdem senex mortuus est Papiæ, & ibi sepultus. De mense Decembris datum est Burgum Sancti Sepulchri Archiepiscopo Mediolani, & cœpit facere guerram Perusinis. Oh quàm triumphabat hic Presbyter!

MCCCLII. die XV. Martii obiit Opizo Marchio Ferrariæ, & antequam moreretur, fecit viginti equites, inter quos fecit quinque suos filios natos ex concubina, quam tamen, dum ipsa moreretur, desponsaverat, & successit ei in dominio Ferrariæ, & Mutinæ D. Oldroandinus filius ejus, qui fuit bonus Dominus, justus, honestus, & sapiens.

Ipso mense D. Franciscus Marchio, qui debebat succedere in dominio, discessit Ferrariâ, timore mortis, & ivit Veronam sponte. Finaliter adhæsit illis de Mediolano, qui dederunt ei semper in mense quingentos florenos, & fecerunt ei magnum honorem, & possedit pacificè bona sua, quæ habebat in Diœcesi Ferrariæ.

De mense Aprilis data est Urbs-vetus Archiepiscopo Mediolani. De mense prædicto fuit prœlium cruentissimum inter Venetos, & Januenses; tamdem profligati sunt Januenses, & multi mortui sunt ex utraque parte. Et subitò pars quælibet redivit ad propria, & iterum armarunt galéas, & redierunt in mare ad se inquirendum. Die XXII. Julii percussit fulmen in porta Ecclesiæ Sancti Prosperi, & fecit mirabilia visu sinè magno damno, & erant in Ecclesia duo Monachi, qui dormiebant in stallis præstolantes duos pueros catechizandos, sed nihil mali passi, tamen maximè timuerunt. Ego eram in dormitorio, & fuit in meridie. De mense Octobris Ecclesia Romana locavit Domino Mediolani Civitatem Bononiæ per Papam Clementem Sextum solvendo certum censum, qui Papa obiit die VI. Decembris. Eo mense electus est Papa Innocentius. Ipso mense Burgum Sancti Sepulchri de Thuscia dirutum est quasi totum per terræmotum, & mortui sunt per terræmotum ultra tria millia hominum; & sic accidit pluribus terris Thusciæ.

MCCCLIII. de mense Aprilis facta est pax generalis inter D. Archiepiscopum Mediolani ex una parte, & Communitates has, scilicet Florentiæ, Perusii, & Senarum, & aliarum Thusciæ Communitatum, cum quibus gerebat bellum. Ipso mense defecit visus D. Sachacino proavo meo, qui hactenus huc usque scripsit gesta, & nihil ultra scripsit; erat enim tunc annorum LXXXI. benedictus Deus in secula. Amen. Hanc Chronicam perdidi tempore spoliationis hujus Civitatis, & ipsam recuperavi 1382. de mense Augusti, excepto quòd desunt gesta Atilæ, & Eccelini de Romano, & Regis Corradini, & alia plura, quæ ordinatè scripserat. Eodem anno ego Frater Petrus filius D. Franceschini de Gazata cœpi amodo scribere, quæ sequuntur; & verum est, quòd propter exilium meum non ita seriosè scripsi quamdam particulam, unde postquam D. Joannes de Ulegio Vicecomes accepit Bononiam Dominis Mediolani usque ad adventum Regis Cypri versùs Italiam, & partes Occidentis, tamen quantum potui omnia seriosè ordinavi, ut veritatis habeatur effectus, quamvis in talibus oporteat sæpiùs nominando diem, mensem, & annum, mentiri, quia quæ ab aliis audivimus, notamus; impossibile enim est omnibus interesse.

Ipso igitur anno de mense Augusti in Civitate, & Diœcesi Cremonæ horâ noctis vênit grando ponderis librarum decem, & ultra, & etiam pauciorum; sed si fuisset hora diei multi mortui fuissent, nam perforavit domos, & destruxit adeò, quòd tegulæ valebant XX. bagatinos. Ibidem cuncta destruxit, & silvestria occîdit animalia. Ipso mense profligati sunt Januenses à Venetis in mari, & Catelanis, & mortui sunt in dicto bello octo millia hominum; & major pars Nobilium Januensium ducta est Venetias, similiter multi Populares Januenses, & positi in vinculis Venetorum; & nullum est dubium, quin Janua tunc fuisset capta à Venetis, nisi quòd Januenses videntes adversam fortunam, & penuriam hominum, cibi, & potus, adhæserunt Archiepiscopo Mediolani, cui de mense Octobris ad vocem populi data est cum omni suo dominio tam ultra mare, quàm citra. Et ipse tunc collegit milites, & victualia, & misit Januam, & fecit armare classem majorem, & probiorem solito, & arma ejus ferebantur per totum mare magnum contra Venetos in omnibus navibus Januensium.

Eo mense Carolus Imperator numerari, & conjungi voluit D. Albertum Abbatem Sancti Prosperi in suo Consilio, & misit literas, quarum tenor talis est: *Carolus Imperator Dei gratiâ &c.* de quibus alibi cum pluribus dicam. Tunc ipse Abbas erat Vicarius in Spiritualibus Patriarchæ Aquilejensis, qui erat frater naturalis dicti Imperatoris.

De mense Decembris ab illis de Gonzaga destructum est Castrum Sancti Martini Robertorum, in quo erat arx fortissima, & duæ altissimæ turres.

MCCCLIV. de mense Januarii incœptum est ædificari Castrum Bagnoli per illos de Gonzaga magnis laboribus, & expensis Communis Rhegii, & ducti sunt illuc lapides tur-

turrim Thebaldorum de Rivalta, Taculorum, Sancti Silveſtri de Mancaſali, Eccleſiæ de Portiolo, Sanctæ Muſtiolæ, & plures currus de illis Monaſterii Sancti Proſperi poſt ejus everſionem: non deberet igitur diu durare. Multi Ruſtici Dominii illorum de Gonzaga propter labores intolerabiles in ædificando dictum Caſtrum receſſerunt. Ipſo menſe dirutum eſt Caſtrum Amenſilti, mandato illorum de Gonzaga, quod erat tunc illorum de Canoſſa. Ipſo anno die XVII. Februarii cùm D. Canis Grandis equitaſſet in Alamanniam pro ſuis agendis, reliquit D. Azonem loco ſui, præcipiens ſtipendiariis, omnibuſque Cuſtodibus, ut ei obedirent, ſicut & ſibi. Dominus Fregnanus frater naturalis Canis accepit hoc modo Veronæ dominium; nam ut dictus Azo innocens videretur, cujus tractatu, & illorum de Gonzaga, qui hoc ſciebant, quorum auxilio hoc fiebat, D. Fregnanus ivit tempore noctis ad domum ipſius Azonis, quem vocari fecit de lecto, dicens: *Domine Azo, illa mulier, quam ſemper amaſtis, eſt in camera mea, venite, & ipſam vobis dabo*. Iſte ſe lætum oſtendens, uno comite contentus, ivit, & inermis; cui, cùm in camera Fregnani fuit, dixit Fregnanus: *Domine Azo, noſtis fratrem meum Canem abſentem, ex quo volo me facere Dominum; laborate, ut hoc fiat: aliter vos interficiam*. Tunc D. Azo hoc fingens ſe renuere, clamans inquit: *quid eſt hoc? ſum ne ſic proditus?* Tunc Fregnanus acriter minans dixit: *Facite, quòd hoc fiat*. Tunc D. Azo ſtatim vocari fecit omnes ſtipendiarios ad ſe, ita tamen quòd quiſque ductor neſciebat de alio, quibus dixit: *Habuimus per exploratores, quòd D. Bernabos equitat Piſcheriam, unde vobis mando, ut ſtatim illuc vadatis ad illius defenſionem*; & ſic omnes exierunt Veronam. Ipſe habebat etiam gentes armatas in domibus ſuis. Facto verò die D. Fregnanus cum Paulo Albuino fratre ſuo parvo, & legitimo, aſcendit Capitelium ſuper platea, & aſſeruit populo fratrem ſuum mortuum in Alamannia; & ſtatim clamatum eſt per Veronam: *Vivat Dominus Fregnanus*. Et equitavit per Veronam cum ſceptro in manu, & potitus eſt dominio pacificè hoc modo. Et D. Azo relictus eſt, qui ut ſe oſtenderet ſinè culpa, vènit Ferrariam, ut videret finem. Ipſo die D. Feltrinus, D. Albertus, Corradus, Ugolinus, Petrus, Franciſcus, & Guielmus de Gonzaga cum ſuis copiis iverunt Veronam in auxilium Fregnani, & poſiti ſunt ad inſtantiam illorum de Gonzaga, Poteſtas Dominus Paulus de la Mirandula, & alii Officiales. Cuſtodes portarum non eſt auſus mutare D. Fregnanus, timebat, ne illi de Gonzaga eum occiderent, & Veronam caperent, quod ſibi eveniſſet, niſi aliter Deus providiſſet. Die XXIV. dicti menſis D. Barnabos, cui intimatum fuerat, ut ferret auxilium D. Fregnano, ivit versùs Veronam cum magno exercitu, & miſit ad D. Feltrinum dicens ſe velle intrare Veronam. D. Feltrinus cum Domino Fregnano conſiderantes milites Domini Barnabovis non eſſe eis neceſſarios, atque timentes, ne potentior eis acciperet dominium Veronæ, reſpondit per D. Ugolinum de Gonzaga, cum quo iverunt Dominus Franciſcus frater dicti Ugolini, & Guielmi, filius Domini Feltrini, quòd non erat

A neceſſarius ipſius exercitus, eique infinitas habebat gratias. Unde ipſe ſentiens ſe deluſum, capi fecit D. Ugolinum, & ipſorum banderias in altum elevari vadens versùs Veronam, ut in eam intraret, quod de facili factum fuiſſet, quia viſo Domino Ugolino aperta fuiſſet porta; ſed unus ex ſuis fugerat, dixeratque captum D. Ugolinum. Cùm ſenſiſſet D. Barnabos, oppugnari fecit portam Sancti Maximi uſque ad noctem, & ibi fuit durum bellum. Superveniente nocte receſſit Dominus Barnabos cum ſuis, qua nocte rediit D. Canis ante auroram, qua itur Vicentiam, vocavitque Cuſtodes dicens: *Ego ſum Canis: aperite*. Quo cognito, Cuſtos lætus B aperuit, & intravit D. Canis cum ſua gente, unde maximus clamor factus eſt in Verona: *Vivat D. Canis, & moriantur proditores*. Auditis vocibus, vocatur D. Fregnanus, qui à cuſtodia venerat, & loco ipſius iverat D. Feltrinus ad portam, quam oppugnaverat D. Barnabos. Die ſequenti armatus D. Fregnanus obviavit armatus Cani, qui jam pontem tranſierat, qui ſe mutuis lanceis percuſſerunt, ſed Fregnanus potentior Cane eum occidiſſet, niſi defenſus fuiſſet à ſuis. Omnes milites Fregnani ſtatim verſi ſunt in fugam, tamdem equo Fregnani inciſa ſunt crura cum uno Roncono, & cecidit vulneratus in facie, qui fugiens ad Aticem C ingreſſus naviculam catenis ferreis ligatam, ibi interfectus eſt, poſtea ſuſpenſus cum aliis XXV. proditoribus. D. Paulus de la Mirandula poſt capturam mortuus eſt contra voluntatem D. Canis. Tunc D. Canis ſtatim currit ad plateam, & breviter omnes viri, parvuli, & mulieres clamabant: *Moriantur proditores, & vivat D. Canis*. D. Feltrinus cum paucis fugit in Eccleſiam Fratrum Minorum, & ibi abſconſus eſt, tamdem captus cum ſuis, præſentatus eſt D. Cani in platea, qui tenens ſceptrum in manu in introitu Palatii ſui, viſo D. Feltrino clamavit dicens: *State retro, Domine Feltrine*. Quo facto præcepit ſuis ſatellitibus, ut membratim D inciderent quemdam militem Domini Feltrini coram populo, & D. Feltrino, qui valde timuit. Hoc facto mittitur D. Feltrinus in una camera cum D. Alberto, D. Corrado, & D. Petro de Gonzaga, & aliis pluribus Nobilibus. Capti ſunt Cives, & ex comitatu quingenti homines; omnes ſtipendiarii Ferrarienſes, & Mantuani capti ſunt. Suſpenſi ſunt tres famuli Domini Azonis de Corrigia, & accepta ſunt D. Azoni omnia ſua bona, quia illic ditiſſimus erat, & erectæ ſunt furcæ ante ipſius oſtium, & omni anno renovatæ, donec vixit D. Canis. Capta eſt ejùs uxor, & filii parvuli, quos redemit poſt longum tempus pro XIV. millibus E florenorum auri. Dominus Canis dominatus eſt pacificè uſque ad mortem. Mandato autem D. Archiepiſcopi Mediolani D. Barnabos dimiſit D. Ugolinum de Gonzaga, & ſuos, antequam ſciret D. Canem recuperaſſe Veronam, nam non ita de facili dimiſiſſet. D. Feltrinus, & omnes ſui redempti ſunt pro XXX. millibus florenorum auri, ſed multum ille timuit ne ſuſpenderetur mandato D. Canis. Eo menſe vènit Marchio Brandiburgenſis Veronam cum multa gente in auxilium Cognati ſui Domini Canis.

Eo die Thadæus de Manfredis, qui poſt par-

parvum tempus est interfectus ad Montem Vedrium, cum auxilio Vicecomitum, & illorum de Foliano ascendit Castrum Borzani, & reædificare illud cœpit, invitis Dominis de Mantua, qui erant capti Veronæ. Et statim illi de Foliano cœperunt facere bellum illis de Gonzaga ad voluntatem Vicecomitum, & illi de Manfredis etiam cum illis de Foliano faciebant bellum cum Rhegiensibus. Et tunc destructum est Castrum Arceti, quod reædificabant illi de Foliano. De mense Martii illi de Gonzaga ceperunt quasdam naves mercatorum Mediolanensium valoris sexaginta millium florenorum, quæ veniebant Venetiis, unde palàm incœptum est bellum inter Vicecomites, & illos de Gonzaga. Qui Archiepiscopus die XV. Maji misit exercitum suum Rhegium, & vênit Rivaltam. Die XVII. ivit Mutinam, quia Marchio tunc ligatus erat cum illis de Gonzaga. Die XXV. rediit Rhegium, & hospitatus est ad Sanctum Lazarum omnia vastando. Postea venerunt ad Sanctum Geminianum, & Burgum Sancti Stephani, quod per vim captum combusserunt, & hospitati sunt ad Sanctum Geminianum desubtus strata omnia vastando & consumendo. Die II. Junii ivit versùs domos de Boscho, omnia destruendo, deinde ivit Mantuam ad alium exercitum, quem ibi habebat Archiepiscopus. Die XVII. reversus est Rhegium exercitus dictus, & posuit castra ad Sanctum Geminianum. Die XXIV. dicti mensis ivit Mutinam. Ipso die Salvaticus Bojardus accepit Castrum Herberiæ illis de Gonzaga, & dedit Domino Archiepiscopo, & magnam habuit provisionem ab ipso, & maximum periculum fuit illis de Gonzaga. De mense Julii datum est Campumgajanum Archiepiscopo per custodes Marchionis Estensis pecuniâ corruptos. Ipso mense Archiepiscopus habuit Florianum Mutinæ Diœcesis. De mense Martii die VII. & eo anno obiit Abbas Albertinus in Udino, cùm esset Vicarius Patriarchæ Aquilejensis, & electus est inutilis homo Ziphredinus die primo Aprilis. De his pleniùs alibi scripsi, ergo breviter transeo. Die IV. Augusti Ugolinus de Foliano dedit Castrum Torresellæ illis de Gonzaga ob contentionem, quam habuit cum Giberto de Foliano. Ipso mense classes Januensium intraverunt portum Parentiæ, quem tenebant Veneti, & ipsum deprædati sunt, & acceperunt Corpora aliquorum Sanctorum, scilicet Mauri, & aliorum, quæ portaverunt Januam, & ipsam Civitatem combusserunt. Die XX. dicti mensis D. Gibertus de Foliano habuit Castrum Cavazolæ, & Torresellæ, quam tenebant illi de Gonzaga. Istis diebus exercitus Archiepiscopi fecit unam bastîam ad pontem Sancti Ambrosii ultra Mutinam, quam bene munierunt; postea venerunt super districtum Rhegii omnia consumendo, & mutando castra usque ad primum mensis Septembris. In fine mensis Augusti Liga conduxit Societatem magnam in Episcopatu Bononiæ contra D. Archiepiscopum. In Liga erat Dominus Patavii, Marchio Estensis, Domini de Gonzaga, & Marchio Montisferrati, qui exercitus vênit ad bastîam, quam fecerant Vicecomites, & eam habere non potuit. Et dicta Societas, quæ erat ultra XXX. millia hominum, conducta fuit Guastallam, sed non potuit transire Pa-

A

lum, ut damnificarent Vicecomites. Tamdem transierunt ad Burgum-fortem, & damnificarunt districtum Cremonæ. De mense Octobris D. Canis de Scala intravit in Liga cum aliis, & ad ejus petitionem ductus est exercitus super Episcopatum Brixiæ contra Vicecomites. Die XI. Septembris obiit D. Joannes Archiepiscopus Vicecomes Mediolani, & sepultus est Mediolani cum honore maximo. Hic fuit potentissimus Tyrannus totius Mundi; nam dominabatur Januæ cum suis subditis, dominabatur Bononiæ, Urbiveteri, Burgo Sancti Sepulchri, & à Rhegio usque in Marchionatum Montisferrati, & toti Lombardiæ. Huic successerunt nepo-

B

tes sui D. Barnabos, D. Maffæus, & Galeatius, qui habuerunt dominium omnium istarum Civitatum sinè aliqua molestia.

Carmina infrascripta sunt D. Joannis Archiepiscopi.

Quàm fastus, quàm pompa levis, quàm gloria Mundi
Sit brevis; & fragilis humana potentia quàm sit,
Collige ab externo, qui transis, perlege, differ
In speculo speculare meo lachrimabile carmen.
Qui sim, qui fuerim, dicet qui marmore claudor.
Sanguine clarus eram, Vicecomes stirpe, Joannes
Nomine. Nullus opes possedit latiùs Orbe.
Præsul eram, Pastorque fui, baculumque tenebam

C

Dextera Pastoris, gladiumque sinistra gerebat
Felicis Domini, magnusque, potensque tyrannus
Ipse fui vivens: metuerunt nomina nostra
Cœlum, Terra, mare; suberant Urbesque potentes,
Imperio, tituloque meo. Mihi Mediolanum
Urbs suberat, Laudense solum, Placentia grata,
Aurea Parma, bona Bononia, pulchra Cremona,
Pergama magna satis lapidosis montibus alta
Brixia magnipotens, Bobiensis terra, tribusque
Eximiis dotata bonis Terdona vocata,
Cumarum tellus, novaque Alexandria pinguis,
Et Vercellarum terra, Novariaque alba,.......

Heic nonnulla desiderantur.

Eo anno die XII. Octobris Bartholinus de Foliano de Querzola, Franciscus de Foliano,

D

Guido de Manfredis iverunt Scandianum, dicentes, se velle ire damnificatum illos de Gonzaga, petieruntque à Matthæolo de Foliano, qui tenebat Scandianum, Dinazanum, Rocam, & Chiaden . . ., qui Matthæolus amicabiliter eos accepit. Hi eum proditoriè ceperunt, & acceperunt signa Oppidorum, quæ pacificè habuerunt, ipsum verò cum filio parvulo, & Guielmum filium D. Nicolai de Foliano, & unum fratrem ipsius Nicolai interfici fecerunt. Hæc sunt opera Rheginorum Nobilium. Die XVI. Octobris Imperator Carolus vênit in Forum-Julii. Die X. Novembris vênit Mantuam vadens Mediola-

E

num, ut acciperet Coronam Ferream. Et die ultimo dicti mensis discessit Mantua & ivit versùs Mediolanum. Die XIII. Decembris Rustici de Guardasono acceperunt dictum Castrum Vicecomitibus, & vocaverunt D. Azonem de Corrigia, qui tunc erat Bononiæ, & ei dederunt Castrum.

Ipso mense Januenses profligaverunt Venetos in mari, & ceperunt XXXIV. galêas Venetorum, auxilio Vicecomitum, ductæque sunt Januam cum maxima multitudine captivorum.

MCCCLV. in Epiphania Domini dictus Imperator coronatus est Mediolani Coronâ Fer-

Ferreâ à Fratre suo Patriarcha Aquilejensi, & multos fecit Equites ipso die. Eodem mense recessit Mediolano, & ivit Pisas, quam liberè habuit, & ibi expectavit Uxorem suam . . . .

Heic plurima exciderunt, multis nempe chartis deperditis.

MCCCLXXI. die XXII. Septembris scripsit literas D. Bernabos infrascripti tenoris: *Dominus Bernabos &c. Imperialis Vicarius &c. Volumus, ut publicari & proclamari faciatis Treugam Parmæ, & Rhegii, & nostrorum adhærentium, quòd nullus audeat offendere homines, & bona Ecclesiæ, Marchionisque Ferrariæ, & suorum colligatorum per sex menses. Volumus tamen, quòd si ab inimicis offendantur, se omni modo defendant. Hanc Treugam ob amorem Serenissimi Regis Francorum fecimus, qui nos ad hanc faciendam rogavit. Data Cuxagi XXI. Septembris 1372. Ambrosio Vicecomiti filio nostro naturali, nec non Potestati, ac Capitaneo Parmæ.* Qua habita sic proclamata est. Hujus autem Treugæ causa fuit, quia Rex Franciæ fidejusserat inter Papam, & Dominum Bernabovem pro trecentis millibus florenis; & quoniam gentes Ecclesiæ hostiliter damnificaverant Civitatem Parmæ D. Barnabos dictam pecuniam petebat à Rege, qui Rex iratus legatos ad Ecclesiam misit, & ad D. Barnabovem rogando tempus Treugæ, ut interim cognosceretur, quis eorum esset culpabilis, & sic factum est. Non duravit, nec processit Treuga, quoniam non placuit Papæ unde D. Barnabos plurimum turbatus est contra Ecclesiam, ut infra patebit.

Die XXI. Octobris D. Barnabos cum ejus uxore venit Rhegium horâ vigesimâ, & equitavit circum muros, quos cum portis ejus plurimum est admiratus propter robur ejus, sed cùm per Civitatem equitavit, valde condoluit de domorum vastatione, & magis ejus uxor. Cives illum vespere visitarunt, quos benignè suscepit; sed admiratus est paucitatem hominum, quod vix credere poterat, nisi de paucitate perquisivisset. Ipse hortatus est eos plurimum, promittens, ut essent forti animo, quia in brevi eam restauraret, dixitque, quòd Parmam post eum mitterent, & quidquid ab ipso vellent, eis gratanti animo concederet. Die sequenti D. N. Episcopus, & ego ivimus eum visitatum, quos benignè vidit; sed nobis de Papa, & Cardinalibus, & omni Clero est conquestus, cùm plurimi Clerici eum decepissent, & quòd dolebat habere bellum contra Ecclesiam, sed licitum erat se defendere, & quòd fecerat proclamari Treugam, sed Papa nolebat observare; & quòd adhuc sustineret unum mensem; quo finito, si Papa nollet pacem, faceret omnibus Clericis tale bellum, quod esset memoriæ in æternum; & alia multa dixit, in quibus videbatur jus habere. Eo mense, nescio quo die, incœptum est bellum inter Venetos, & Patavinos, incipientibus Venetis; fuerat tamen divisio inter ipsos per annum, & nunquam potuerat extingui tantus furor Venetorum propter quamdam Villam, quæ dicitur vulgo *le Gambarare* in confinio existentem, licèt diu fuerint discordes, postquam Rex Ungariæ auxilio Domini Patavii obsedit Trivisium, & etiam quia nunc Dominus Patavii procuravit venenare multos Nobiles Venetos, sed non potuit; quia de-

A tecta est res. Hoc bellum crudele, & longum fuit: De mense Novembris die XII. Legatus Ecclesiæ equitavit cum exercitu per Parmensem Diœcesem versùs Placentiam, omnia comburendo, in auxilio Marchionis Montisferrati, & Comitis Sabandiæ, qui gravi bello opprimebantur per D. Galeatium Vicecomitem circa Papiam. Die XVIII. dicti mensis D. Ambrosius equitavit versùs Bononiam, & Romandiolam, discessitque Rhegio tali hora, quòd fuit Bononiæ in aurora diei, ubi nemo fugerat, quia tutos se credebant, tum propter gentes, quas Ecclesia miserat contra Vicecomites, tum quia non credebant, Vicecomites habere tantum exercitum: B unde omnes divites facti sunt. Circa Bononiam, & Imolam, omnia comburebant. Hoc tamen factum est invite à D. Barnabove; sed malè fecit Ecclesia, cùm D. Barnabos peteret pacem. Die XXV. dicti mensis exercitus D. Barnabovis rediit Rhegium, & communi æstimatione damnificavit Episcopatum Bononiæ in quatuor centum millia florenorum, nam ceperunt tria millia hominum, & plures cum parvulis, inter quos fuerunt, qui solverunt tria millia ducatorum; bestias, & bona mobilia sinè numero; & omnes domos combusserunt indifferenter. Hujus mali causa fuit Ecclesia; nam credebat Papa, quòd D. Barnabos faceret hanc Treugam C propter timorem, ex quo fuit Bononiæ.

Die XI. Octobris misit literas, & mandatum talis tenoris. *Episcopo, & Clero Rhegiensi. Millesimo trecentesimo septuagesimo secundo die XI. Octobris. Ad executionem ordinis, & voluntatis Illustris, & Excelsæ Dominæ D. Reginæ de la Scala Consortis Magnifici, & Excelsi Domini D. Barnabovis Domini Mediolani &c. Imperialis Vicarii &c. præcipiatur pro parte Domini Georgii de Mudrigano Referendario præfatorum Domini, & Dominæ speciali negotiorum gestorum, Domino Episcopo, Abbatibus, Præpositis, Archipresbyteris, Abbatissis, Capitulis, Collegiis, Canonicis, ceterisque Ecclesiarum Rectoribus Episcopatus Rhegii, ad quos spectat collatio,* D *præsentatio, confirmatio beneficiorum, quatenus sub pœna arbitrio præfati Domini exigenda, aut Dominæ, nihil de præmissis actibus facere audeant ab hodie in antea absque licentia speciali Domini præfati, aut Dominæ.*

Item die II. Decembris mandavit literas talis tenoris per omnes suas Terras, quia habebat tunc bellum cum Ecclesia.

Dominus Mediolani &c. Vicarius Imperialis &c. Mandamus vobis, ut omnibus modis studeatis capere omnes Clericos Ultramontanos, & Italicos, qui non sunt de Terris nostris, & Magnifici Fratris nostri Galeazii, dummodo non sint Fratres Paupertatis, eosque bene custodiatis, donec à nobis provideatur. Insuper mandamus, ut E *nullus Gallicus possit transire per regimen nostrum, cujuscumque status fuerit, cum bulletta, nec sinè bulletta, qui statim capiatur à vobis, nisi habuerit nostras speciales literas: quibus captis nobis immediatè significetur. Item mandamus, quòd nullus Sacerdos, Clericus, Religiosus, cujuscumque status fuerit, non audeat discedere à Civitate, Villa, & Loco, ubi stabit, vel natus fuerit, sinè nostra licentia; & si quis contrafecerit, & inventus fuerit, possit capi, prædari, & interfici impunè, & omnia bona illius possideat. Qui verò non erunt interfecti, sed capti, statim præsententur nostris Officialibus, & statim com-*

buran-

burantur, de quibus notitiam faciatis, prout expedit nobis. Data Mediolani die XXI. Novembris 1372. (à tergo) *Nobilibus Viris Capitaneo, & Potestati nostris Rhegii, nec non Referendariis, & Officialibus bullettarum Civitatis ejusdem.*

Die VII. Decembris, scilicet in die Sancti Ambrosii, horâ XXI. mandato D. Barnabovis fuit suspensus D. Franciscus filius quondam D. Giberti de Foliano, qui captus fuit apud Herberiam in conflictu hoc anno die III. Junii proximè præteriti, & suspensus fuit in summitate guardiæ Sancti Bernardi ad merlum versùs Scandianum cum maximo vituperio, quem D. Guido ejus frater noluit redimere, cui D. Barnabos assignaverat tres terminos ordinatè. Sed notanda est hujus quondam Giberti progenies. Hic habuit sex filios, quorum quatuor gladio sunt mortui; hic verò fuit potentior & nobilior in orbe omnibus suo tempore, quem scelera hactenus commissa ad hunc finem duxerunt. Vivit adhuc unus, videlicet D. Guido. Habuit & tres filias, quarum unam propria manu occidit; aliam D. Azo de Sesso, cujus uxor erat, sed impudica sibi. Tertiam, quæ Monacha erat, fratres miserabiliter mori fecerunt. Vides ergo hujus iniquissimi viri generis finem. Hic per XXV. annos possessiones nostras de Miliarina occupavit, quas nunc in suo testamento restituit Monasterio. Item D. Guido Savina prædictus post multum tempus in suo lecto occiditur, ab his, in quibus fidebat, tempore noctis sepultus. Post triduum fit honor uni capsæ pulchræ de lapidibus, sed corpus ejus numquam visum est. Die XV. dicti mensis mandato D. Barnabovis depositus fuit D. Franciscus de Muro, & sepultus cum magno honore in Ecclesia majori ante Altare Sanctæ Luciæ cum equis coopertis, & cum multis banderiis, & aliis insignibus militaribus.

MCCCLXXIII. die V. Januarii exercitus D. Barnabovis equitavit Bononiam, & usque Cæsenam, cuncta vastando, & multis captis hominibus, illic steterunt usque ad diem XX. dicti mensis, & nemo ibi fugerat. Qui cùm rediret cum præda, & magno honore redirent, profligatus est ab exercitu Ecclesiæ, & Bononiensibus in Ripa Panariæ subtus Mutinam, & quasi omnes capti fuerunt, & ducti sunt Bononiam. Die X. Februarii Legatus Ecclesiæ transivit per nostram Diœcesim cum exercitu versùs Placentiam contra Vicecomites, ubi statim habuit Sanctum Joannem inter Placentiam, & Papiam, & alia multa Castra in ipsa Diœcesi; & tunc Ecclesia tenebat omnia Castra Diœcesis Placentiæ, quæ sponte rebellaverant D. Galeazio Vicecomiti. Hic remansit Cardinalis cum suo exercitu, faciendo bellum Vicecomitibus ubique. Ipso mense Comes Sabaudiæ colligatus cum Ecclesia, & Marchione Montisferrati, cujus causa hoc bellum fiebat, transivit Padum, & Ticinum, & vênit in Comitatum Mediolani cum maximo exercitu, Mediolanum graviter invadendo, & castra posuit in Villa Vicomercati multum opulenta. Tunc Vicecomites auxilia undique colligebant; tamen tractabatur de pace inter ipsos. Die XV. Martii Cardinalis redivit Bononiam cum exercitu, propriis relictis Oppidis munitis, quæ in Papiensi, & Placentina Diœcesi habuit, ex quibus D. Galeazius plura obtinuit, & omnia comburi fecit. Et nota, quòd isto tempore à Foro-Julii, & ab Arimino versùs Occidentem usque in Provinciam Narbonensem non erat ulla Civitas in pace, nisi Mantua, & Verona. Die VIII. Maji Gens Ecclesiæ per Diœcesim Mantuæ equitavit versùs Brixiam omnia vastando, ut auxilium ferret Comiti Sabaudiæ, & ut obtineret Bergomum per proditionem, sed apud Montem-Clarum profligata est à Vicecomitibus, & versi sunt in fugam. Tunc quidam D. Augutus Capitaneus Anglorum homo magnanimus in cunctis, se cum aliquibus suis reduxit ad montes, quem incautè secutus est Comes Virtutis filius D. Galeatii cum paucis, relicto exercitu ad spolia colligenda, contra quem dictus Joannes fecit impetum, ipsum vulnerando, & multos cepit ex suis militibus, cum quibus versùs Mantuam equitavit cum honore, ita quòd non potuit verè judicari, utra pars fuerit superior; nam ex parte Ecclesiæ mortui sunt circa septingenti homines, capti quingenti equi, & plures homines capti ducenti & plures. Ex parte verò Vicecomitum capti sunt multi Nobiles, inter quos Marchio Franciscus de Este, D. Gabriotus de Canossa, D. Franciscus de Saxolo, qui interfecit D. Gerardum de Rangonibus, & qui causa fuit omnium istorum malorum, aliique viri plures digni memoria. Et tunc Comes Sabaudiæ cum suo magno exercitu erat in territorio Mediolani. Evenit isto mense, quòd quidam Episcopus Nepos Romani Pontificis ivit Mediolanum sub dissimulatione pacis, obtulitque se iturum ad Papam ad tractandam pacem, qui accepit literas à Vicecomitibus posse ire, & redire tutè ad ipsos. Cùm autem reversus fuit Papiam, receptus est gratanter à D. Galeazio, & dixit responsum Papæ; sed dixit, se velle ire ad Comitem Sabaudiæ pro hac causâ, quem cautè D. Galeatius fecit perquiri cum omnibus suis, qui erant numero quinquaginta, invenitque eum habentem centum millia ducatorum, quos ferebat ad Comitem Sabaudiæ pro pagis mille lancearum pro quinque mensibus. Et hanc pecuniam habuit D. Galeatius, dimissoque Episcopo, dixit ut tutè iret, quia sic ei promiserat, sed tamen non debebat ferre subsidium suis inimicis. Die XIII. Maji D. Manfredinus de Saxolo ivit Florentiam, & statim rustici clauserunt portas post ipsum; quod cùm vidisset, rediit ad portam, ut intraret; sed rustici noluerunt, & lapides in eum projecerunt; ipse fugit ad Montem-Zibium. Tunc rustici dederunt Saxolum Marchioni Estensi; similiter fecerunt illi de Foliano, & hoc timore vastationis; & facti sunt exules, & quasi omnes hinc inde dispersi. Quia proditores fuerunt Domino suo, meritò hoc patiuntur. Et sic illi de Saxolo amissis omnibus suis Oppidis dispersi sunt propter mortem D. Gerardi de Rangonibus, quem gladio occiderunt. De mense Junii Comes Sabaudiæ discessit ex Mediolano, & vênit versùs Mantuam, deinde Bononiam, ibique stetit usque ad diem XV. Julii omnia circum Bononiam vastando, quia per Ecclesiam ei non satisfiebat; inde ivit versùs Placentiam omnia consumendo. Hic Comes stetit super territorio Dominorum de Mediolano quatuor menses, & numquam cepit

cepit unum Castrum . . . .

Dominus Mediolani &c. Imperialis Vicarius Generalis &c. Contentamur, & volumus, ut quibuscumque Clericis Rhegii Civitatis nostræ detur licentia exeundi Civitatem, & eundi per Episcopatum, ut possint de suis possessionibus fructus capere; datis fidejussionibus de non ordinando aliquid contra statum nostrum, & coram nobis comparendo, & solvendo pœnam à nobis impositam. Volumus insuper, quòd omnes gratiæ dictis Clericis, sive alicui factæ per literas nostras sigillatas sigillo nostro compensentur, & pro ipsis dicti Clerici solvere non cogantur.

Data Mediolani III. Julii 1373.

De mense Julii moritur Capitaneus contra Dominum Patavii D. Gibertus de Corrigia filius quondam Guidonis de Corrigia exul ab omni suo loco. Hic nobilissimus fuit homo, & maximus hostium ultor, & crudelissimus. Reliquit septem filios, scilicet Petrum natum ex quadam Domina de Vicecomitibus de Mediolano, Manfredum, Ægidium, Galassium, & ceteros natos ex filia quondam D. Galassii de Piis. Eo mense, & sequenti fuit morbus maximus Bononiæ, adeò quòd omnes Cives aut perierunt, aut fugerunt. Die XVII. Augusti D. Ambrosius filius D. Barnabovis naturalis in Valle Sancti Martini Bergomensis existens contra Guelfos, qui faverant Comiti Sabaudiæ contra patrem, in quadam pugna occiditur à rusticis ejusdem Vallis, & Ludovicus filius quondam Domini Azonis de Corrigia cum aliis pluribus Nobilibus, cujus corpus Bergomi honorificè est sepultum. Hic erat triginta annorum, vel circa, quem omnes sui amabant, hostes timebant; in suos verbis, & opere applaudebat, in hostes bellicosissimus apparebat.

Die XXX. dicti mensis Comes Sabaudiæ à Comitatu discessit, & hospitatus est Motadellæ; sequenti die ivit versùs Bononiam, sive portatus infirmus, & secum Anglorum exercitus, qui Ecclesiæ favebant contra Vicecomites.

De mense Septembris publicata est pax Venetiis inter ipsos, & Dominum Patavii cum maximo vituperio Patavinorum; nam Dominus Patavii perdidit Uriagum, & alia plura Oppida, & dat Venetis ducentum quinquaginta millia ad certum terminum, & accepit Prætorem ex pacto Venetorum. Hujus belli causa fuit propter quasdam domunculas paleatas in confinio, quas nolebat destruere, sed majora vastavit. Hanc pacem citiùs fecit, quia Dominus Marsilius frater ejus quærebat eum; ex quo Zacharias de Fredo auctor hujus proditionis decapitatur. D. Marsilius fugit clam ad Venetos; & ponunt Veneti terminos inter se, & Patavinos suo velle, & usque ad portas ex pacto. Eo anno morbus maximus fuit Mediolani, Feltri, Civitalæ, Vicentiæ, Trenti, & in aliis pluribus Urbibus, & locis Italiæ horribilis. Ex quo D. Bernabos, quando cepit Mediolanum, fecit dirui Palatia, & domos infirmantium, & mortuorum, & cum ipsis infirmis, & aliis morantibus secum cum omnibus bonis eorum, credens divinam posse potentiam coërcere, ipse verò fugit ad Oppida sua in nemoribus cum filiis & uxore. Et de mense Octobris moritur D. Franciscus Ordelafus olim Dominus Furlivii, Furlimpopuli, & aliarum plurium Terrarum, expulsus per Ecclesiam, & exul à patria Venetorum. Die VII. Novembris D. Guido Savina filius quondam Giberti de Foliano cum omni domo sua, relictâ Ecclesiâ, & Marchione Estensi, adhæsit D. Barnabovi, & Civitati Rhegii cum vigintiquatuor Castellis in montibus; relictis filiis quondam D. Francisci fratris sui extra Castella peregrè, (qui finito anno ex mandato D. Barnabovis suspensus est ad mœnia Civitatis Rhegii) & ut tutiùs viveret, D. Barnabos dat in uxorem D. Carolo dicti Guidonis filio ejus filiam naturalem, & imperium in omnibus Castellis suis, & alia multa pacta notabilia, & utilia.

Jam sunt XXXVII. anni, quòd illi de Foliano fuerunt rebelles Civitatis Rhegii, nisi nunc. Eodem anno mandato D. Galeazii spoliantur omnibus bonis mobilibus omnes Clerici omnium terrarum ipsius, & præcepit, ut exularent, quod D. Barnabos benigniùs prohibuit molestè ferens hunc actum. Et post hæc Episcopus Vercellarum ex progenie illorum de Flisco intravit Civitatem per arcem proditoriè sibi datam, quam obtinuit, præter Cittadellam, in qua erant milites Domini Galeazii. Tota tamen Civitas, sicut factum fuit Rhegii, spoliatur à militibus Episcopi, seu Ecclesiæ, cum qua dictus Episcopus tenet: unde Civitas Vercellarum pars tenetur ab Episcopo, pars à militibus Domini Galeazii. Eo mense facta est pax inter D. Barnabovem, & Vallem Sancti Martini Bergomi, habitâ veniâ de morte filii, cui obediunt humiliter.

MCCCLXXIV. Gibellini expellunt Guelfos à Civitate Lucæ propter quod Florentini eam obsident, quos gens Ecclesiæ removit; sed Florentini colligantur cum D. Barnabove contra quoscumque, nolentes quòd Ecclesia ponat pedem in Thuscia . . . .

Desunt aliqua.

Nos Dominus Mediolani &c. Imperialis Vicarius Generalis &c.

Volentes subditos nostros à contagione morbi quanto plus possumus conservare, fecimus quædam decreta, quæ tibi in hac inclusa mittimus, & quæ volumus in Rhegio observari, & in volumine Statutorum nostrorum inseri.

Data Mediolani 17. Januarii 1374. Nobili Viro Potestati nostro Rhegii.

Volumus, quòd qualibet persona, cui nascentia, vel brosa veniet, statim exeat Urbem, vel Castrum, vel Burgum, in quo fuerit, & vadat ad campos in capannis, vel in nemoribus, donec aut moriatur, aut liberetur. Item qui servient, stent post mortem alicujus decem dies, antequam habeant consortium cum aliqua persona. Item Sacerdotes Ecclesiarum Parochialium inspiciant infirmos, & videant, quod malum est, & statim notificent Inquisitoribus deputatis sub pœna ignis. Item quòd omnia bona tam mobilia, quàm immobilia applicentur Cameræ Domini. Item qui aliunde portaverint Epidemiam, similiter ejus omnia bona sint Cameræ Domini, de quibus nulla unquam fiat restitutio. Item quòd sub pœna bonorum, & vitæ nullus alius vadat ad serviendum infirmis, præterquam ut supra. Et de prædictis fiat omnibus subditis notitia. Sic scribere fecit. Et ego eo anno vidi hoc observari in Rhe-

Rhegio, ex quo omnes tristari, exterritique timore maximo, magisque de morbo, qui, quando Deo placuerit, vitari non poterit. Die III. Aprilis pons Papiæ, ubi habitabat D. Galeazius, dum portaretur ad funus nepos ejus, cecidit, & mortui sunt centum decem viri Nobiles, sed jam corpus mortui portatum erat ultra pontem per unum passum; inter quos perierunt duo juvenes de Rhegio ibi studentes ambo fratres D. Philippi de Casolis Doctoris eximii, ibi tunc legentis. Die XXVI. dicti mensis exercitus Ecclesiæ, & Marchionis Estensis ivit per Rhegiensem Diœcesim, neminem in ea lædendo, versùs Placentiam contra D. Galeazium, cuncta vastando. Eo tempore Epidemia horribilis vigebat Parmæ, Mediolani, in montibus Rhegii, & in Lunisana. Anno isto fuit hyems velut æstas, adeò quòd à Nativitate Domini usque ad Pascha non pluit. Postea die III. Aprilis cœpit pluere, nec cessavit pluvia per totum mensem Junii, ita quòd omnia grana perdita sunt, nec fœnum colligi potuit. Die III. Junii exercitus Ecclesiæ rediit versùs Rhegium, & hospitatus est juxta Mozadellam. Die sequenti ivit Scandianum, & dederunt vastum illis de Foliano in omnibus Castris, eo quia filios quondam D. Francisci expulerant, & adhæserant D. Barnabovi sinè ipsis, qui nepotes eorum erant.

Eo mense dictus exercitus ivit Carpum, omnia vastando, & comburendo. In fine dicti mensis recessit, & ivit Bononiam, quia morbus in eo convalescebat, qui quasi tunc erat per universum Orbem, & maximè Parmæ, adeò ut in Ecclesia majori non remanserunt, nisi duo Clerici, in qua vidi sexaginta simul interesse divinis Officiis. Et hujus morbi generalis causa fuit, quia Saturnus erat in fine sui recessus, & Deus nos juvet. Die primo Augusti D. Marsilius de Piis adhæsit Marchioni Estensi. D. verò Gibertus cum D. Bernabove mansit. Unusquisque stat in sua arce, & extra Castrum se hostiliter invadunt, sed intus nemo deprædatur; sed sic habent inter se bellum. Ipso die Civitas Vercellarum ex toto datur Ecclesiæ post longa bella, quia D. Galeazius non potuit ei succurrere. Isto mense incipit morbus Rhegii, qui usque ad Pascha fuit horribilis Rhegii, & caristia per totum Orbem, exceptâ Alamanniâ. Valuit starium frumenti ad mensuram Cremonæ libras quinque Imperialium, & faba libras quatuor Imperialium. Numquam audita, nec visa fuit tam crudelis caristia, unde multi fame perierunt.

MCCCLXXV. die VI. Januarii publicata est Treuga Rhegii, & in omnibus Terris Lombardiæ inter Papam, & colligatos ejus ex una parte, & D. Bernabovem, & suos ex altera, videlicet, quòd durare debeat usque ad annum, & semper, donec altera partium contra mandaverit, & post contra mandatum per duos menses, pacto expresso, quòd Papa, & Successor ejus, atque Collegium, Sede Vacante, possit infra annum, & post annum de omnibus treugis prorogare ad sex menses, vel infra, prout eis videbitur; & quòd tempus prorogatum ut supra per duos, vel sex menses Papa notificari faciat partibus infra mensem, & tunc cesset omnis novitas inter partes. Istud est primum Capitulum; alia multa sunt, sed taceo. Ex hac Tregua tota Italia læta facta est; nam hoc crudelissimum bellum duraverat quatuor annos, & unum mensem continuè. Sed ante per octo dies Rhegienses dederant vastum illis de Manfredis in omnibus, quia facti fuerant rebelles huic Civitati sinè ulla causa, videlicet D. Franciscus de Manfredis, & adhæserat Marchioni Estensi. Et tunc sunt incisæ olivæ Monasterii, & vineæ, ac ficus, quod fuit Monasterio damnum ultra trecentos Florenos. Qui D. Franciscus Borzanum tenebat, Montemrichum, & Mozadellam. Et statim factâ treugâ D. Joannes Augutus vir in Italia magnus equitavit ad Sanctum Benedictum, ibique positis castris citra Padum, omnia hostiliter invasit in Terris illorum de Mantua, quem omnes milites stipendio privati sequuntur, & fit magna hominum Societas. Hic circa finem Junii ad cuncta facinora dispositus ivit in territorium Florentinorum, omnia deprædando, cui Florentini dederunt, ut discederet, centum quinquaginta millia Florenorum auri, quos exegerunt à Clericis sibi subjectis, eo quia procuratu Rectorum Ecclesiæ iverat in Thusciam.

Dominus Mediolani &c. *Imperialis Vicarius generalis* &c.

Volentes, quantum est, & pertinet Nobis, & pro nostri parte, treugas noviter factas, & firmatas inter Sanctissimum Papam pro una parte, & nos, Magnificumque fratrem nostrum D. Galeazium &c. *hujus tenore literæ breviter intelligas, D. Bernabovem restituisse omnem libertatem Clericis, ut liberè possideant bona sua, ne sint subjecta coltis, gabellis, taxis, & aliis gravaminibus* &c. *Data Mediolani XI. Junii MCCCLXXV. Item quòd quæcumque persona D. Bernabovi subjecta posset ire, stare, redire in Terris Ecclesiæ, revocando omnia superiùs in contrarium mandata ejus facta. Item quòd qualibet persona Ecclesiæ similiter possit stare, ire, & redire in Terris dicti D. Bernabovis* &c. *Mandans prædictus Dominus per præsentem cedulam, ut si aliqui detenti essent apud Officiales suos, statim relaxentur liberè.*

Die XVII. Octobris Veronæ moritur D. Canis filius quondam D. Mastini de Scala naturali morbo. Hic fuit, qui gladio D. Canem Grandem fratrem suum peremit Veronæ; Paulum verò, Albuinum, & fratrem suum carceravit, qui in carcere extinctus est, vel quomodocumque sit, mortuo dicto Cane nusquam apparuit. Et filii D. Canis naturales facti sunt Domini Veronæ, & Vicentiæ; videlicet D. Bartholomæus, & D. Antonius, & facti sunt equites per D. Galeottum de Malatestis, qui illuc accessit, cum quibus facti sunt octo Nobiles equites, inter quos D. Gibertus filius quondam Azonis de Sesso.

Die VI. Decembris Populus Perusii currit ad arma contra Ecclesiæ Rectores, ut liberi sint, & quot invenerunt de Ultramontanis, gladio occiderunt. Quidam Abbas, qui ibi Ecclesiæ Rector erat, homo malæ conditionis, intravit quamdam Cittadellam unà cum Episcopo Bononiæ, & D. Cometio, qui Ultramontani erant, cum suis, qui evadere potuerunt. Hoc mense perdidit Ecclesia XV. Civitates cum pluribus Oppidis nobilibus, vide-

videlicet Viterbium, quod habuit Præfectus de Vico, Urbinum, quod habuit Comes Antonius de Montefeltro, Forlivium, quod habuit pars Gibellinorum expulsis Guelfis &c. Causa autem fuit hæc, quia factâ treugâ Rectores Ecclesiæ miserunt gentes super Florentinos, ex quo Florentini colligati sunt statim cum D. Bernabove, & inter cetera Capitula hoc erat, quòd omnis Civitas, quæ voluerit rebellare Ecclesiæ, sit in dicta liga, & liberè vivat, nec faciat pacem cum Ecclesia, & faciat in suis Vexillis has literas auratas *Libertas*, sicut olim Imperatóres in suis, ut ego vidi, & legi. Quod cùm audivissent hæ Civitates, se rebellarunt Ecclesiæ, & occiderunt omnes Ultramontanos, sicut ad præsens fecerunt illi de Cento, & Plebe Bononiæ, qui Bononienses nullam adhuc novitatem fecerunt, sed speratur in brevi.

Hæc proclamatio facta fuit Florentiæ, ex quo nisi Ecclesia misisset gentes contra Florentinos, non passa fuisset hæc mala: Sed malum fuit, ut Anglici, & Teotonici vastarent campos Florentinorum, qui bene se regunt salva pace. Abbas autem, de quo supra, plura detestanda Perusii fecit, inter quæ duo notanda putavi. Quidam ejus affinis uxorem cujusdam Nobilis pulchram dilexit, quam, cùm intrasset domum ejus in absentia mariti, de adulterio interpellavit, quæ sic est eum affata: Domine Nobilis, postquam ita optas fieri, & ut maritus meus nesciat, intretis hoc thalamum; ego verò ancillas removebo; postea ad vos veniam. Quo facto, ostium foris clausit, & statim accessit ad fenestram, ut intraret domum vicinæ suæ, quæ cecidit, & se interemit. Volat hæc fama per Urbem, & apud Abbatem per Cives fit querela, quibus respondit: Vos Italici creditis, quòd omnes Galli sint Eunuchi; & sic eos expulit. Hic idem ejus affinis post tres dies uxorem cujusdam Civis per vim rapit; hæc res exponitur ante Abbatem. Interrogat nepotem, si hoc sit verum, qui fatetur ita esse. Tunc coram omnibus ei mandavit, ut uxorem Civi redderet sub pœna capitis hinc ad dies quinquaginta: quod audientes Cives confusi discedunt; & propter hoc, & alia unanimiter moti sunt.

MCCCLXXVI. de mense Januarii Guido Savina de Foliano reædificavit Salvaterram, quod est Communis Rhegii, quod jam ultra centum annos est destructum, & hoc fecit auxilio illorum, & licentiâ D. Bernabovis in præjuditium nostrorum Rebellorum, videlicet Scandiani, Borzani, Herberiæ, & aliorum Oppidorum adhærentium Marchioni Estensi.

Die XIX. Martii die Mercurii horâ XXII. aliqui magni Populares Bononiæ iverunt ad Cardinalem, & petierunt ab eo signa Castri Sancti Felicis, & portarum Civitatis Bononiæ, dicentes, quòd volebant eas sub custodia gubernari quibusdam causis. Quibus ipse dedit; & illa nocte omnia munierunt, quæ potuerunt, exceptâ Portâ Galeriæ, quæ se tenuit pro Ecclesia. Nocte sequenti, videlicet die Jovis hora matutinali clamatum est: *Vivat Populus*, altis vocibus, quia sic ordinatum erat. Tunc cucurrerunt ad plateam, & oppugnantes plateæ portas cum tribus millibus rusticorum, exceptis Civibus, qui intraverant per muros illa nocte, spoliaverunt Cardinalem omnibus bonis usque ad vestes, quas tunc gerebat, & anulos digitorum, quasi digitos excorticantes, qui fugit ad domum Fratrum Minorum vestitus cappa eorum, qua salvatus est, quia fuisset occisus, similiter omnes stipendiarii, & de Lingua omni. Et sic dicta Civitas per Populum regitur; sed omnis laus in fine canitur &c. Populus verò Bononiensis donavit tria millia Ducatorum, & tres petias terræ, pro se induendo, & ipse ivit Ferrariam, ubi à Marchione Estensi benignè est susceptus. Hujus novitatis inter ceteros Populares fuit causa quidam Ugolinus Balduinus. Hoc facto, statim destruxerunt Castrum Sancti Felicis, & miserunt Legatos Florentiam, & Mediolanum, ut se colligarent secum, & habuerunt illo die omnia Oppida Diœcesis Bononiæ, excepto Lugo, quem tenet Marchio Estensis pignori pro Ecclesia pro Ducatonis XX. millibus, quos præstitit Ecclesiæ. Ipso die D. Joannes Augutus ductor Anglorum, qui erat circa Granarolum pro Ecclesia, quod tenebat Astor de Manfredis, equitavit Faventiam, & ipsam intravit, quæ adhuc pro Ecclesia tenebatur, ex qua, cùm ingressus fuisset, expulit omnes Cives, retentis trecentis Civibus carceratis, & aliquibus mulieribus, quæ sibi placuerunt, & omnes suis bonis spoliavit. Exierunt autem Faventiâ utriusque sexus XI. millia, & mortui sunt trecentum, vel circa, præcipuè parvuli, quam Civitatem pro se tenuit dictus D. Joannes, quod fuit maximum peccatum. Et tres sunt Civitates in brevi tempore sic spoliatæ, videlicet Rhegium, Faventia, & Vercellæ. Die XIV. Maji Dux Austriæ vênit cum magno exercitu Trivisium, & omnia spoliavit, bestias, & homines cepit, quia nemo fugerat, domos, & palatia destruxit. Causa fuit, quia dicebat dictus Rex, Trigestum ad se pertinere, quod Veneti tenent; & Veneti gentes non habebant, ut se defenderent. Eo mense illi de Alidoxiis ex toto Civitatis Imolæ mœnia intrarunt, expulsis Rectoribus Ecclesiæ, sicut Bononia. Die primo Julii exercitus Ecclesiæ cum uno Cardinale, & aliis pluribus Nobilibus hospitatus est super Lentiam. Sequenti die equitavit versùs Mutinam, ut iret Bononiam, & ad alias Urbes, quæ se rebellaverant ab Ecclesia, & major pars exercitus erat Britannorum. Bononiæ verò sunt gentes Florentinorum, Perusinorum, & omnium inimicorum Ecclesiæ causâ resistendi. Hic exercitus missus est à Papa de partibus Franciæ. De mense Decembris discessit dictus exercitus Bononiâ, omnibus vastatis, & ivit circa Cæsenam, quæ Ecclesiæ erat, causâ hyemandi ibi, & sic fecit, currendo quotidie circa Bononiam omnia vastando. Quo quidem mense decapitati sunt Bononiæ D. Hieronymus de Sancto Hieronymo Juris Canonici Doctor, D. Marcus de Bechadellis legum Doctor, Boninus de Sala, Mussus de Sabadinis, & . . . . . . de Bendellis, qui tractabant dare Bononiam Marchioni Estensi, & Ecclesiæ, & ponere eam in populatione, sicut Faventia, qui statim in platea inventi decapitati sunt.

De mense Novembris facti sunt exules in con-

A confinio omnes, qui fuerant causa accipiendi Bononiam Ecclesiæ, videlicet Ugolinus Balduinus, D. Christophorus de Confortis, D. Thadæus de Anciquidis, D. Ricardus de Saliceto, & alii plures, & missi sunt Florentiam; & hoc quia volebat introducere repulsos in Bononiam, quod non placuit Populo minuto: Eodem mense Gregorius Papa XI. vênit per mare Januam, deinde Pisas, postmodum Romam cum tota Curia; intentio cujus erat habere pacem cum omnibus, nisi cum Florentinis, imò, ut fertur, juravit eam vastare, & omnes Florentinos fecit expelli de Faventia, & ex omnibus partibus Mundi subjectis Ecclesiæ. Florentini verò non videntur hoc curare, sunt enim
B colligati cum Vicecomitibus, cum Perusinis, cum Bononiensibus, cum illis de Foliano, de Ravenna, de Urbino, de Viterbo, de Camarino, de Senis, & aliis multis Comitatibus.

De mense Augusti fit pax inter Papam ex parte una, & D. Galeazium Vicecomitem ex altera, hoc pacto, quòd ipse dat Ecclesiæ ducentum millia florenos, & Ecclesia restituit ei omnes Terras, quas tenebat de suis, videlicet Vercellas, Castrum Sancti Petri Placentiæ, & alias numero centum, & plus; & omnes exules redierunt, & fecit proclamari, quòd nullus audeat aliquem
C proditorem dicere sub pœna linguæ, & alia multa pacta fecerunt, quæ longum esset scribere.

MCCCLXXVII. die III. Februarii Dominus Joannes Augutus, qui tunc Faventiam pro se tenebat, tempore noctis intravit Cæsenam cum exercitu Britannorum de consensu Cardinalis, & ipsam omnem populati sunt, & occiderunt ultra duo millia personarum utriusque sexus, retinendo mulieres, quas voluerunt, & omnia enormia, quæ cogitari possent, commiserunt. Hujus causa rei fuit, quia Cives nolebant, quòd Britanni intrarent Civitatem Cæsenæ, sed stabant in Burgis, & Villis, & receperant Cardi-
D nalem hoc pacto, dubitantes de eo, quod evênit. Tamdem quidam Britannus acceperat uxorem cujusdam, propter quod Cives occiderunt plures ex illis. Ex quo Cardinalis introduxit illos cum Anglicis ad tale facinus faciendum. Modò sunt quatuor Civitates sic noviter spoliatæ, videlicet Rhegium, Vercellæ, Faventia, & Cæsena.

Die XIV. Aprilis . . . .

Plurima exciderunt.

& potiùs Regi dederunt, quia Dominus Patavii eam Civitatem obtineret, servato sibi Castro Mestre, & aliis pactis inter se factis, nam habuerunt dominium dictæ Civitatis annis quadraginta sex, & eam bene rexe-
E runt. De mense Augusti in Civitate Turini Comitis Sabaudiæ concluditur pax inter partes prædictas post crudelissimum bellum, ex qua pace Veneti maximum habuerunt honorem, licèt solverint Regi Ungariæ certam pecuniam, quia omnes partes prædictæ contra eos terra, marique bella movebant, & faciebant, & ipsis à nemine ferebatur auxilium; sed inter cetera pacta hoc unum erat, quòd Insula Tenedos debet dari in manibus Sabaudiæ Comitis, quam post triennium destrui faciat. Sed quidam Venetus Nobilis, qui eam Venetorum nomine gubernat, noluit adhuc dare: quod sequetur, nescitur. Item quòd iterum ponantur termini inter Venetos, & Patavinos per Marchionem Estensem. Aperti sunt carceres ubique, & alia facta sunt, quæ ad præsens omitto; tamen Civitas fuit Venetorum quasi totaliter per Januenses destructa; sed Deus eis consuluit, ut Clugiam obsiderent.

Eodem mense Augusti D. Carolus de la Pace filius quondam Ducis de Duratio intravit Apuliam favore Urbani Papæ VI. & Regis Ungariæ, & eam obtinuit pacificè, captâ Dominâ Reginâ Joannâ, & D. Othone Brunsvicensi ejus marito Neapoli; & hoc quia dictus Papa, qui Neapolitanus erat, post monitionem suam Dominam Reginam plurimùm reprehendit, comminando, quòd eam faceret recludi in Monasterio Sanctæ Claræ. Sed salva ejus sanctitate, non bene fecit; & sic processit contra Cardinales. Unde istud schisma ortum est in Ecclesia Dei. Nam si humiliter se habuisset, omnes obediebant ei. Regina hoc sentiens, ad suggestionem Gallorum, qui nolebant Papam Italicum, adhæsit Antipapæ Clementi, & cum ea tenebant Præfectus de Viterbio, Comes de Fundis, & alii plures Nobiles. Hoc facto, Papa eam statim excommunicavit velut hæreticam, misitque ad Regem Ungariæ, quòd volebat ejus nepotem Carolum antedictum Regem Apuliæ instituere, quem misit Romam cum forti manu, & intravit Regnum Apuliæ, quod in brevi obtinuit, captâ Reginâ, & D. Othone. Cui D. Carolo data est in Thuscia Civitas Aretii, quæ de mense Martii spoliata est, & per quinque menses per quosdam Italos, qui eam intrarunt.

MCCCLXXXII. de mense Augusti D. Ludovicus filius quondam D. Joannis Regis Franciæ hospitatus est super Lentiam unà cum Comite Sabaudiæ, & Comite de Ziroo fratre Antipapæ cum sexaginta quinque millibus equorum, & ultra, & cum ditiore exercitu, quàm umquam transierit per Italiam. Die sequenti transierunt per medium Rhegii, & iverunt ultra Situlam hospitatûm, & D. Bernabos dedit ei unam filiam pro filio dicti Ducis in uxorem, sibique fecit maximum honorem, similiter omnes Domini Italici, datis ei multis donis nobilibus, & magni pretii. Hic fuit crudelissimus homo in partibus Galliæ, & omnibus odio habitus. Dicebat autem se Imperatorem factum à Papa Clemente, qui erat verus Papa, & velle deponere Papam Italicum, Reginamque Joannam velle reducere in Regnum Apuliæ, expulso Carolo Rege, quia ipsa Regina carens liberis heredibus constituerat dictum Ducem Andagaviæ suum heredem per testamentum, & per hoc dictum Regnum ad se pertinere. Dictus autem Rex Carolus misit suas gentes contra ipsum usque Furlivium, omnia comburendo ante ipsius adventum, ne victualia posset habere, & intendit obviare ei personaliter; & ei favent Romani, Teotonici, & Ungari, & major pars Italiæ, & dicitur ab omnibus, quòd non habebit honorem dictus Dux, nam intellexi à pluribus, quòd ejus exercitus est ditior Civitate Mediolani, & sic credo propter ea, quæ vidi.

Carolus Tertius Dei gratiâ Rex Jerusalem, & Siciliæ, Provinciæ, & Folquaquerii, ac Pede-

A *demontis Comes, Ludovico Duci Andagaviæ, & Cortoniæ, ac Cenomaniæ Comiti. Admirantes percepimus à benevolis nostris quibusdam Italicis, se à vobis literas, quæ cujuscumque tenoris, vel ex quovis fomite procedentes, ad nos tamquam negotium nostrum pertinent, recepisse, eo maximè, quòd vos de genere Franciæ ortum dicatis, quod credimus, ad honorem vestrum, & vestræ militiæ honorabilius processisset, in casu quo nobis per speciales literas scripsissetis, quarum literarum talis est tenor, per omnia.*

Ludovicus Regis Francorum filius Dux Andagaviæ Cortoniæ, ac Comes Cenomaniæ magnifico Viro &c.

Amice Carissime &c. Cùm mente nostra sæpissime
B *volvamus illa nefandissima facta ab illo Carolo de Durachio in Imperium Serenissimæ Dominæ Joannæ Jerusalem, & Siciliæ Reginæ, in contemptum Regis Franciæ, dumque consideramus sinceræ caritatis effectum, & beneficia uberrima, quæ per eam consecuti sumus, ne vitio ingratitudinis reprehendamur, cogimur, & meritò viscera nostra moventur, ut præclarissimæ matri nostræ succurramus contra Carolum proditorem cum omnibus nostris copiis. Proinde volumus vos certiores reddere, quòd adjuvante Dei gratiâ, hoc proximo tempore versùs Apuliam terra & mari contra prædictum proficisci velle, ne sinè vindicta glorietur, præclarissimam Reginam Regno privasse. Cùm itaque Domus Regia Franciæ,*
C *ex qua ipsius nostræ matris exorti fuere progenitores, honoris, & status exstiteritis hactenus fervidi, & nostra hæc belli præparatio D. Regem meum, & suum regimen tangat, & non modicum concernat: ea propter vos deprecamur omnibus affectibus, quatenus in hujusmodi zelo, & executione belli velitis interesse, & ut confidimus, sinè mora exequi. Et ut de his omnibus certiores reddamini, Reverendum ad vos Patrem, & D. Joannem Episcopum Aganensem, & D. Guielmum Regis equitem dicti Domini mei Consiliarios, necnon Arnulfum Magistrum ...... Secretarium nostros dilectos, quorum relatione nostram accipietis intentionem, & alia plura cognoscetis. Quæsumus nos igitur vos omnes, ut*
D *his fidem adhibeatis, ac si à nobis ipsis audiretis. Data Parisiis die XV. Januarii 1382.*

Verùm in eo quidem, quod nos proditorem asseratis audacter, comitante justitia respondemus, quòd mentimini per gulam, & sumus parati nos defendere justitia juvante, cujus justitiæ vultus est aureus, & per totum undique multifariàm resonabit, declarantes expressè, quòd intendimus apud omnes Mundi potentes per literas nostras manifestare, ut tamquam provocati valeamus nostrum honorem expandere; & talibus nostris Legatis dedimus in mandatis, ut præsentes nostras vobis in publico exhibeant, requirentes nos expressè, ut per vestras patentes literas vestro sigillo roboratas
E *nobis per eosdem Legatos respondeatis. Data &c.*

Die II. Septembris moritur post longam lepræ infirmitatem Rex Ludovicus Ungariæ. Hic obsedit gravi bello dominium Venetorum, & justus fuit, & rectus in suo dominio: non reliquit heredes ex se; sed alii delatum est ipsius Regnum.

Die primo Martii moritur post longam infirmitatem dictus Comes Sabaudiæ in exercitu Ducis Andagaviæ, & portatum est ipsius corpus in Sabaudiam, cujus morte Dux valde est turbatus, cùm esset de potentioribus Principibus. Hic petiit absolutionem à vero Papa, qui Romæ erat, & confessus est, eum esse verum Papam, petiitque à Rege Carolo, ut suum exercitum cum ejus corpore permitteret tutè portari in Sabaudiam, quod benignè concessit. Die III. Martii Populus Arboregiæ cum illis de Insula cucurrerunt ad arma contra Judicem, & ipsum occiderunt cum una sua filia, & omnia bona illius acceperunt, quæ æstimata sunt communiter ..... millia florenorum, & hoc propter ipsius malum dominium, & finita est progenies ejus, quæ octingentis annis, & pluribus duraverat.

De mense Augusti moritur Rex Cypri gener D. Bernabovis, unâ filiâ relictâ, ex quo Januenses liberarunt à carcere D. Zachetum Januæ, & ipsum cum certis pactis Regem constituunt de bona Cypriorum voluntate, cùm mulier non succedat in dicto Regno. De mense Octobris moritur D. Ludovicus relicto D. Francisco ejus filio in dominio Mantuæ. Hic D. Ludovicus, occisis ejus fratribus Domino Ugolino gladio, D. Francisco veneno, ut publica fama est, dominatus est Mantuæ annis XIX. vel circa, semper cumulando pecuniam. Hic ejus filius habet in uxorem filiam Domini Bernabovis. Eo anno fuit morbus maximus Venetiis, & in Foro-Julii in tantum, quòd domus sinè habitatoribus remanserunt, & mortua sunt Venetiis utriusque sexus quinquaginta sex millia personarum, vel circirer.

MCCCLXXXIII. de mense Maji Dux prædictus Austriæ, qui dominatur Trivisii, venit cum magno exercitu contra Dominum Patavii, & ejus bastias, nam D. Patavii tantum obsederat Trivisium, ut se ampliùs non posset defendere. Sed Dominus Patavii non se removit ab obsidione, dicens, quòd Dux malè fecerat eam Civitatem accipere à Venetis. Eo anno maximus morbus fuit Senis, Florentiæ, Bononiæ, in Romandiola, Patavii, Veronæ, Januæ, Pisis, Lucæ, in Pedemontibus usque in Galatiam per totam Græciam, & in partibus Infidelium ultra quàm credi possit: unde Dominus Bernabos mandavit Officialibus suis, ut non permitterent venire aliquem venientem à locis infectis in suis terris sub pœna furcarum.

De mense Augusti horâ Nonarum Mithilenis, quæ est in confinio Turcarum, & dominii Januæ, fuerunt terræmotus maximi, adeò ut turres se concutiebant sicut arbores invicem motæ ventis, sed nemine læso; at post mediam noctem in tantum convaluerunt, ut totum Castrum ceciderit, omnibus somno sopitis. Mortui sunt quingenti Januenses, inter quos maximus bellator ...... Capitaneus exercitus; unus ejus filius parvus non est ibi inventus, sed inventus est longè à Castro per unum milliare, qui erat in lecto cum patre. Interrogatus, quomodo huc portatus fuisset, dixit, quòd portatus fuit per unum cancellum, sed quomodo, nec à quo nesciebat. Hoc maximum damnum fuit Januensibus. Eo anno D. Franciscus de Carraria per vim cepit Cerviam, quam tenebat D. Guido de Polenta, & hoc quia D. Guido accepit insignia Ducis Andagaviæ, quando ivit in Apuliam, & D. Galeotus tenebat cum Ecclesia, & Papa Romano.

MCCCLXXXIV. D. Franciscus de Carraria de mense Martii accepit dominium Trivisii dati per Duces Austriæ pro centum viginti

ginti millibus ducatorum, qui Duces habuerant à Venetis . . . . Eo mense incœpit morbus Rhegii, & in Comitatu, & præcipuè in pueros. Eo anno de mense Augusti prædictus Dux, dum esset in Apulia contra Regem Carolum, moritur veneno, ex quo suus exercitus remansit desolatus. Tunc Dominus de Cusiaco Gallus cum maxima comitiva, qui ibat in subsidium dicti Ducis, cùm jam esset in Thuscia, non ivit ulteriùs. Hyemavit ibi, & intravit Aretium cum certis pactis factis ab illis de Petramala, qui eam ei dederunt; sed ruptis pactis eam vendidit Florentinis pro sexaginta millibus florenorum, ex quo illi de Petramala scripserunt omnibus Principibus Mundi, quòd erat proditor, quia fregerat pacta suo sigillo sigillata. Attamen ipse de mense Januarii rediit in Galliam, quem sociavit usque Placentiam Joannes Azonis de Ubaldinis, qui erat dux dictæ Societatis, in quam intraverunt multi Nobiles, inter quos D. Guido de Corrigia, filius, D. Thadæus de Pepulis, & alii plures, & iverunt in Thusciam.

MCCCLXXXV. de mense Februarii D. Papa cepit septem Cardinales, & multos Episcopos, & Prælatos, quos graviſſimè tormentari fecit, unde aliqui perierunt, aliqui remanserunt distortis brachiis, & personâ, quia fuit crudelissimus homo, & hoc quia malè regebat Ecclesiam, ideo isti volebant dare sibi Coadjutorem, etiam ad instantiam Regis Caroli, qui tunc erat secum discors. Quo facto, dictus Rex misit exercitum Nuceriam, ubi Papa erat, & statim eam habuit, comburique fecit. Papa autem stabat in arce fortissima cum suo nepote, & solo Cardinali, totâ Curiâ Romanâ desolatâ, quia omnes fugerant. Paucis post diebus nepos Papæ, qui exiverat arce, captus est, & Neapolim ductus, carcerique traditus. Causa autem hujus discordiæ fuit, quia Papa, qui eum fecerat Regem, volebat ut daret multas Civitates suo nepoti, dicens: *Te feci Regem, ideo nobilites nepotem meum*. Cui Rex: *Me Regem fecisti, sed si do has Civitates nepoti tuo, quid mihi remanebit?* Et sic orta est discordia; Cardinales autem Regi favebant. Hic Papa malus fuit homo, nam inter cetera duas suas neptes, quæ erant Moniales octo jam annos, à Monasterio extraxit, easque maritavit, quibus dedit in dotem unicuique XXX. millia ducatorum de bonis Ecclesiæ, vendiditque multa bona Ecclesiæ, Monasteriorum, & Hospitalium in Roma, & accepit pecunias.

Die primo Maji Populus Ferrariæ currit cum armis ad Palatium Marchionis cum clamore, petens D. Thomam de Tortona Legum Doctorem ipsius Vicarium, qui ad omnia gravamina populi consulebat Marchioni, quæ ampliùs solvere non poterant. Hic Vicarius fugit in cameram Marchionis, sed Marchio necessitate ductus eum in manibus populi tradidit; qui statim dispositis rebus animæ in platea à populo per membra discerptus est, & comestus ad tabernas partim, & combustus cum libris datiorum, in quibus eum involverunt, & spoliaverunt filios ejus omnibus bonis, & expulerunt, clamantes, quòd nullo modo poterant solvere tot angarias, & coltas. Unde remisit medietatem omnium datiorum Civitatis Ferrariæ, & per totum Comitatum, quia se videbat malè paratum; sed tamdem pacati sunt, sed væ populo.

Die VI. Maji D. Comes Virtutum filius quondam Domini Galeazii fratris D. Bernabovis simulavit, se velle adimplere votum ad Sanctam Mariam super Comum, & vênit Mediolanum cum multis armatis sub vestibus, cui obviaverunt D. Aloysius, & D. Rodulfus filii D. Bernabovis extra Mediolanum duobus milliaribus, qui custoditi sunt aulico modo, & prope Civitatem obviavit ei D. Bernabos, qui statim captus est, & ductus postea in Castrum Zobiæ, ita quòd Mediolanenses nihil senserunt. Tunc cucurrerunt per Mediolanum gentes clamando: *Vivat D. Comes, & moriantur datia, gabellæ, & coltæ*. Cucurrerunt ad Oppida fortissima, quæ habebat D. Bernabos in Mediolano, quæ citò obtinuerunt, & D. Comes habuit in sola turri unum millionum, & septingenta millia ducatorum, exceptis aliis rebus mobilibus auri & argenti. Hoc facto, convocavit Cives Mediolani, exposuitque, quòd hoc fecerat propter miseriam populorum, quos affligebat omnes D. Bernabos, & quòd tractaverat de morte illius. Et statim illam Civitatem reduxit ad bonam conditionem, & secundùm populi voluntatem. Hoc facto D. Carolus filius D. Bernabovis aufûgit in Comum, & D. Mastinus parvulus ductus fuit in Brixiam, qui D. Carolus exinde recedens vênit Cremonam, inde Parmam, & postea Rhegium, ubi stetit tribus diebus, & postea aufûgit in Alemanniam, relictis Civitatibus. Ex quo populi currunt ad arma contra soldatos, & Castra Civitatum, clamando: *Vivat D Comes, & moriantur datia, & gabellæ*. Et dederunt omnes dominium D. Comiti, & habuerunt ab ipso quicquid petere voluerunt; & eas Civitates extraxit de inferno, & reduxit ad paradisum. Nam Populus Rhegii solvebat omni mense mille ducentum ducatos, & ipse eos reduxit ad quatuor centum, secundùm quod petierunt. Et reduxit omnes, qui voluerunt redire, in Civitatibus, & fecit fieri bonam justitiam, ac jus omnibus. Dominus verò Mastinus se tenuit in Civitadella, & Castro Brixiæ usque ad mensem Augusti quotidie prœliando. Tamdem D. Guido de Gonzaga, qui erat Custos, ac Dux ejus, eum reduxit Venetias, & dedit Civitatem Domino Comiti cum pactis, quòd Dominus Mastinus deberet ibi stare, & habere in mense à Domino Comite ducatos mille, & alia, quæ scribere longum esset. Dominus verò Bernabos positus est in Arce de Trecio, & bene custoditur, & bene servitur. Dominus autem Aloysius, qui erat maritus sororis dicti Comitis, & Rodulfus, positi sunt in una turri in Castro Sancti Columbani, non tamen insimul, sed divisim, & fit per Dominum Comitem sanctissimum dominium, quod Deus suâ gratiâ conservet.

Mense Septembris Nicolaus de Canossa consanguineus Domini Cabrioti intravit, tractatu quorumdam amicorum, in Bianellum, & ivit ad cameram dicti Cabrioti, & eum occîdit, & accepit Castrum, quod suum erat, sed Dominus Cabriotus ipsum quatuordecim annis fecerat ire mendicando per Mundum. Hoc audito in Rhegio, Dominus Capitaneus illuc accessit, & habuit dictum Castrum sibi datum per D. Nicolaum. libe-

liberè, & duxit D. Nicolaum ad carceres Communis Rhegii, & similiter habuit Castrum Sancti Pauli, & venerunt ad obedientiam Communis Rhegii, quod fuit opus sanctissimum; & filii, & uxor dicti D. Cabrioti se reduxerunt in Montem-Vedrum. Hoc audito Dominus Comes mandavit, quòd fieret jus Nicolao, & filiis D. Cabrioti, & quòd dicta Castra obediant Civitati. Et eo anno mense Septembris Dominus Marchio Ferrariæ congregavit, & cauto modo reduxit Ferrariam multos stipendiarios, & soldatos amicorum, & hoc facto cepit multos Ferrarienses, aliquos damnavit suspendio super platea, alios Pado necari fecit, & aliquos carceribus mancipari; & fecit statim incipi in Ferraria unum Castrum, maximum, & sumptuosum ad portam Leonis, & hoc quia Ferrarienses occiderant suum Vicarium, ut supra scriptum est: unde væ illi Populo. Et eo anno in Vigilia Sancti Andreæ super platea Communis Rhegii decapitatus est Nicolaus de Canossa cum uno filio annorum XVIII. ex eo quia proditoriè occiderant D. Cabriotum in Bianello, & hoc mandato Domini Comitis, qui voluit ut justitia fieret. Et eo anno die XVII. Septembris mortuus est Dominus Bernabos in Trecio carceratus, & sepultus est Mediolani in sepulcro, quod jamdiu sibi fieri fecerat, dum dominaretur; & factus est ei honor maximus, mandato Domini Comitis ejus nepotis. Et ipso mense Dominus Urbanus Papa vênit Januam auxilio Januensium, qui ipsum extraxerunt de obsidione Domini Regis Caroli, & ibi cœpit retinere Civitatem, & bene ordinare Curiam, quæ steterat in maximo dispendio propter obsidionem dicti Domini Caroli. Et eo anno occiditur dictus Rex à quibusdam Nobilibus in Ungaria mandato Reginæ Ungariæ, ex eo quia quidam Barones de Ungaria volebant dare dictum Regnum, & filiam Regis nato dicti Domini Caroli, & quidam nolebant: unde cùm intravit ipse solus ad visitandum dictam Dominam Reginam, fuit occisus ibi: quod fuit Italicis maximum damnum, & periculum.

MCCCLXXXVI. mense Januarii Dominus Paduæ fecit equitare gentes suas super districtu Vicentiæ, & Veronæ contra Dominum de la Scala, quòd non diffidaverat eum, damna enormia, ultra quam scribi posset, inferendo. Ex quo dictus Dominus de la Scala, Dominus Veronæ, & Vicentiæ, cum denariis, & amicis congregavit exercitum copiosum. Et mense Junii transivit dictus exercitus Brentas, & equitavit usque ad portas Paduæ confugiendo gentes Domini Paduæ, & omnia comburendo, & devastando. Tamdem die XXV. Junii in Festo Beati Prosperi Populus Paduæ cum rusticis, & stipendiariis, videntes se malè paratos, exiverunt Paduâ, & insultum fecerunt contra dictum exercitum, & ipsum post longum bellum posuerunt in fugam; & duravit per XV. horas; & capti, & mortui sunt omnes de dicto exercitu, qui fuerunt circa sex millia, & ducti sunt in Paduam XXXVI. currus cadaverum Paduanorum mortuorum in bello, & suffocati sunt in Brenta de exercitu Veronæ circa mille octingenti viri; & nihilominus pars quælibet statim misit ad campum suum exercitum. Et nota, quòd Veneti dant, & conferunt omni mense in auxilio Domini de la Scala quindecim millia Ducatorum auri; & cum ipso etiam tenent Foliani, cum Domino etiam Paduæ, nemo palàm. Et eo anno mense Junii Hestor de Manfredis Dominus Faventiæ cum gentibus armatis equitavit super Territorio Bononiæ deprædando, & hoc ad suggestionem Florentinorum, qui sunt turbati contra Bononienses. Item Populus Bononiæ misit exercitum circa Faventiam, omnia devastando & comburendo; & similiter Florentini mittunt exercitum circa Urbinum, asserentes quòd reducere volunt Ecclesiam ad suum dominium, sicut eam expelli fecerant. Et eo anno mense Julii Leopoldus Dux Austriæ equitaverat cum quingentis lanceis contra quosdam Nobiles, qui sibi rebellaverant, contra quem occurrit innumerabilis multitudo rusticorum, & insultum fecerunt in ipsum, & occiderunt eum cum omnibus sociis, inter quos mortui sunt plusquam sexaginta Barones. Et mense dicto facta est pax inter Faventinos, & Bononienses tractatu Domini Comitis Virtutum. Et mense Septembris delatum est caput Magnifici Comitis Ungariæ, qui occidit Regem Carolum, Neapolim ad Filium dicti Regis per quosdam Nobiles de Ungaria, qui ipsum in vindictam dicti Regis occiderunt cum Filiis & Nepotibus, & ceperunt Reginam Ungariæ & Filiam, cujus Reginæ mandato dictus Rex fuit occisus, & miserunt ad Filium dicti Regis, quid volebat fieri de dictis Dominabus, & iret acceptûm dictum Regnum Ungariæ loco Patris, vel mitteret Locumtenentem, donec dictum Regnum esset pacatum, & ipse interim esset in majori ætate, quia puer est. Et mense Decembris Comes Lucius cum gente suæ Societatis vênit in territorium Bononiæ hostiliter, omnia comburendo & devastando, & stetit multis diebus, ex eo quia Populus Bononiæ eum fecerant depingi pro proditore super platea Bononiæ in ejus vituperium. Et eo mense Papa Urbanus VI. recessit de Janua, & vênit Lucam, moraturus aliquibus diebus, quo applicuit in Vigilia Nativitatis Domini, & ibi firmavit, & disposuit suam Curiam.

MCCCLXXXVII. mense Martii per gentes Paduæ conflictus est exercitus Domini Veronæ, unde væ sibi, & istis diebus. Dominus Mediolani, Dominus Mantuæ, & Dominus Ferrariæ omnes diffidaverunt Dominum Veronæ, & ceperunt sibi facere guerram, & paraverunt contra ipsum exercitum copiosum, quem miserunt contra Veronenses mense Maji; ipse verò misit in Alemanniam ad Imperatorem, & ad Regem Ungariæ, & ad alios Alemannos pro auxilio, qui sibi miserunt gentes, & auxilio etiam Venetorum se viriliter defendit. Et eo anno mense Aprilis in Festo Parascæve gentes Domini Paduæ vi intraverunt Civitatem Aquilegiæ, omnes incolas occidendo, & omnia deprædando, & omnia vasa sacra Ecclesiarum, & Sanctorum Reliquias exportando; similia etiam fecerunt in pluribus Castris Forijulii. Postmodum venerunt ad stipendium Domini Mediolani. Istis etiam diebus Dominus Comes Virtutum Dominus Mediolani dedit Dominam Valentiam ejus natam in uxo-

uxorem fratris Regis Franciæ, qui est ejus consanguineus, & dedit sibi Civitatem Astæ cum aliis multis Terris de Pedemonte. Et mense Maji Populus de Viterbio curtit ad arma clamando *Pacem &c.* & occiderunt Præfectum de Vico, & fratrem ejus Dominos, & dederunt dominium Domino Papæ; & tunc Ecclesia habuit plures Civitates in illis partibus, & hoc fecerunt Populi propter longas guerras, quibus erant consumpti. Et eo anno in Vigilia Sancti Jacobi per Dominum Urbanum VI. tunc in Luca existentem fit Episcopus Rhegii Dominus Ugolinus de Sesso ætatis annorum XXIII. & studuerat annis septem in Jure Civili. Et Frater Seraphinus, qui erat Episcopus, mittitur in Sardiniam ad Episcopatum Sanctæ Justæ; pauci valoris est tamen. Et quia iste Seraphinus fuit Episcopus malæ conditionis, & semper fuit in quæstionibus cum Clericis, quia eos quotidie derobabat, & vitam turpissimam ducebat; nam fuit prius de Ordine Minorum, postea Frater Albus, postea Monachus, & Canonicus Regularis, à se ipso tamen hos habitus assumebat; fuit Marcolphus, stipendiarius, pedester, & cavallarius, & multas proditiones facere procuravit; in aliquibus etiam locis stabat in loco mulierum inhonestarum, vel in tabernis cum taxillis, & nesciebat legere, nisi malè, numquam vel rarò locutus est veritatem, & concludendo, verè nescio mente concipere, quòd umquam cognoverim hominem tam corruptum omni vitio; & ejus nescitur progenies, quia positus ad Hospitale, & ibi nutritus, & stetit annis octo, vel circa, semper malè operando. Tamdem procuratu Clericorum Rhegii, & ad preces Domini Comitis Virtutum, Dominus Papa eum misit in Sardiniam. In recessu suo de Episcopatu Rhegii omnia derobavit usque ad scutellas: unde mandato Camerarii Domini nostri Papæ pluribus diebus tentus est sub custodia, & quia numquam solvit commune servitium, & exegit à Clericis, & semper in excommunicatione stetit, & celebravit, & consecravit Ecclesias, Ordinationes tenuit, & omnia fecit, Ecclesiam contemnendo, dummodo haberet pecuniam, non curabat de aliquo, nec habebat in domo familiam nisi pueros, & aliquas mulieres, super quibus omnibus accusatus fuit Papæ. Nam quodam die semel cepit plures Clericos in Ecclesia Majori, dum cantarent Missam de Tertiis cum effusione sanguinis, & extraxit ab eis florenos trecentum; ex quo Domina Regina de la Scala tunc Domina Rhegii eum multum & vituperosè reprehendit, & danarios istos voluit, & habuit. Et eo anno ultimo die Septembris Dominus Papa Urbanus VI. recessit à Luca, & ivit Pisas, ut eat Perusium contra voluntatem Florentinorum, qui noluerunt sibi dare passum, eo quia noluit incoronare Regem Apuliæ natum quondam Regis Caroli. Et eo anno tota æstate per Italiam fuit tanta terribilis mortalitas boum, quòd vix ex hoc genere semen remansit, unde homines oportuit laborare cum equis, & asinis, & jumentis. Et eo anno per duos menses quædam Societas stetit in villis circa Rhegium, omnia devastando, quod fuit magnum damnum Regiensibus. Et eo anno mense Octobris per D. Franciscum de Carraria Dominum Paduæ venditur D. Manfredinus de Saxolo pro ducatis quinque millibus, qui captus fuerat in bello inter Paduanos, & Veronenses, Aldroandino de Rangonibus ejus hosti, cujus patrem occidi fecerat, videlicet Gerardum de Rangonibus, qui Aldroandinus ipsum crudeliter occidit, antequam exiret de Diœcesi Paduæ, extrahendo primò sibi viscera, & ad collum ejus colligando, & omnem crudelitatis materiam in eum est expertus, ejusque brachia ad sua Castra portando, & super muros affigendo, quod fuit maxima infamia dicto Domino Paduæ, cùm ipse fuerit probus, & sapiens miles. Et eo anno die XVIII. Octobris horâ XVIII. gentes & exercitus Domini Comitis prælibati per proditionem custodum intraverunt Veronam per portam Sancti Maximi clam eis apertam; & tunc Populus ad arma currit clamando *Populus Populus*. Gentes autem prædictæ steterunt illo die & nocte sequenti cum timore maximo. Sed Guielminus de Bivelaqua Capitaneus dicti exercitus colloquium habuit cum Populo, & etiam cum Domino Antonio de la Scala tunc Veronæ & Vicentiæ Domino, & taliter concluserunt, quòd datum est dominium dicto Domino Comiti cum certis pactis; & Dominus Antonius prædictus tamquam juvenis & pavidus aufugit Venetias per navim cum matre, & uxore, & paucis famulis, & incognitus, ubi primò, clam tamen, destinaverat suam pecuniam, & magnam quantitatem thesaurorum, ultra quàm posset credi. Nam credebat multum Astrologis, & studebat in Astrologia, & semper reperiit, quòd non poterat dominari, ideo sibi eo modo providerat semper cumulando, & Venetias destinando. Die verò sequenti Populus Vicentiæ currit ad arma clamando *Populus Populus*, & expulerunt soldatos Domini de la Scala, & dederunt dominium dicto Domino Comiti cum certis suis pactis, inter quæ numquam eos ponat in manibus Domini Paduæ, cùm sint parati libentius comburere Civitatem, & filios, quàm ad ejus dominium pervenire; & hoc quia tempore motæ guerræ contra illum de la Scala per Dominum Comitem prælibatum ad petitionem dicti Domini Paduæ inter alia pacta erat, quòd Dominus Mediolani haberet Veronam, & Dominus Paduæ Vicentiam, de quo nunc conqueritur Dominus Paduæ petens Vicentiam. Respondetur, quòd dictæ Civitates non sunt bello devictæ, sed sponte datæ dicto Domino Mediolani, & sic eas intendit tenere; & statim positæ sunt in maxima libertate, & bonu statu.

MCCCLXXXVIII. die XXIII. Octobris moritur Dominus Nicolaus de Este Marchio Ferrariæ, & Dominus Ferrariæ ac Mutinæ. Hic fuit homo semper infirmus, & crudelis Dominus, & malus pro Civitate Rhegii; nam fuit ille, qui eam posuit in exterminio, & spoliatione. Et ei successit Dominus Albertus ejus frater, qui fuit homo humanus, & placabilis. Et die XXVIII. Aprilis hospitatus est dictus Dominus Albertus in Episcopatu Rhegii vadens Papiam ad visitandum Dominum Comitem, & ad componendum cum ipso bonam societatem, & amicitiam. Et eo anno mense Maji mandato dicti Domini Alberti Marchionis tempore noctis


ctis decapitatur Dominus Opizo Nepos dicti Domini Alberti cum matre ejus, quæ erat de domo illorum de Camino, propter proditionem attentatam per eos contra dictum Dominum Albertum; nam tractabant ipsum occidere, & accipere dominium suggestione Domini de Padua, & Florentinorum, ex eo quia dictus Dominus Albertus amicabatur multum Domino Comiti Virtutum Domino Mediolani. Et ipso anno fuit maxima & horribilis mortalitas in Rhegio, & per totam Italiam, in tantum quòd homines & mulieres fugiebant ad nemora, &. ad cavernas montium; & clarè apparebat, quòd non erat remedium, nisi aufugere, & vitare loca morbosa. Et eo anno mense Junii Dominus Mediolani diffidavit Dominum Franciscum de Carraria Dominum Paduæ, Trivisii, Feltri, Cividalis, Beluni, ac majoris partis Fori-Julii hac litera inferius annotata.

Fallimini, Magnifice Vir, si quid in depressionem, & excidium Status nostri, non in Italia solùm, sed in Germania, & Galliis, pluribus jam mensibus, non uno quidem, sed pluribus diversis callidis, & exquisitis modis, accuratissimè procurastis; nec minus, si qua in læsionem nostri honoris protulistis impudenter convicia, nostram non credidistis ad notitiam pervenisse. Sensimus quidem, etsi non omnia, de pluribus tamen multa, horrenda, & execranda nimis, quæ nisi manu palpassemus, nedum per vos fieri, vel proferri debere, verùm nec excogitari debuisse minimè putassemus, cùm talia sint, qualia quæ hostis in hoste non nisi insupportabilibus lacessitus injuriis moliri seu meditari deberet. Nos autem quales offensas vobis intulerimus, vel injurias ignoramus, nisi forsitan labentem corruentemque in præcipitium Statum vestrum tempore illo, quo cum Domino Antonio de la Scala concurrebatis acerrimo bello, dum prorsus omni spe alia destitutus ruinam vestram apertis oculis cernebatis, servasse, præcessisse, & multiplici favorum genere sublevasse, offensas, & injurias judicetis. Scitis, Magnifice Vir, nec nos ignoramus, quæ, quot, & qualia inter vos, & nos istis retroactis

A *temporibus agitata fuerint, quæ quidem sub tanto breviloquio constringi non possent, quia prolixior scriptura, quam nec tempus exigat, rediret in hoc. Reservatis reliquis, suis loco, & tempore concludenda, breviter duximus, & tutius arbitramur apertum & publicum, quàm simulatum, & insidiosum sub amici nomine hostem habere, guerram patentem præferre paci fictæ, & simulatæ, non aliud, quàm dolos, fraudes, vim, & insidias . . . . . . Proinde bellum vobis lapsa die trigesima hujus mensis Junii per præsentem indicimus, sperantes in Deo, quòd concurrente ad hoc potentia Illustris Ducalis Domini Venetorum, cum quibus nuper confœderati sumus contra improperatam, & indebitam ingra-*
B *titudinem vestram, justitiæ nostræ favebit, ac clamantium ad cœlum oppressorum subditorum vestrorum, quibus non compati certè non possumus, voces exaudiet.*

Causa hujus discordiæ fuit, quia quando Dominus Comes Virtutum obtinuit dominium Veronæ, & Vicentiæ, Dominus Paduæ conquestus est, quòd debebat habere Vicentiam. Sed Vicentini se dederunt pacto expresso, quòd numquam eos poneret in manibus Domini Paduæ. Unde iste Dominus Paduæ protulit convicia contra dictum Dominum Comitem, scribendo per Mundum, quòd erat proditor, & Comes sinè virtutibus. Ex quo Dominus Comes turbatus, &
C meritò, conligatus est cum Venetis, & Marchione Estensi, & illis de Foro-Julio, & Domino Mantuæ contra ipsum, & misit exercitum circa Paduam principio mensis Julii; & statim omnes Terras, quas habebat in Foro-Julio perdidit; & in principio mensis Octobris dictus exercitus intravit cum triumpho magno in Plebem de Sacho, & Veneti cum trecentis barchis armatorum venerunt. Quo facto Dominus Paduæ perdidit omnem suam spem, & incontinenti Dominus Franciscus Novellus de Carraria, qui erat in Castro Paduæ, dubitans de Populo . . . .

Cetera desiderantur.



MEMORIALE
HISTORICUM
RERUM BONONIENSIUM

Ab Anno MCIX. usque ad MCCCCXXVIII.

A U C T O R E

MATTHÆO DE GRIFFONIBUS

Nunc primùm profertur

EX MANUSCRIPTO CODICE BONONIENSI.

IN MATTHAEI GRIFFONIS MEMORIALE HISTORICUM

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUod nunc primum typis trado *Memoriale Historicum* de Rebus Bononiensium, debeo & mecum Eruditi debent amplissimo Viro Johanni Paulo Marchioni Pepuleo, tam nobilitate generis, quam singulari amore erga literas, earumque cultores, mihi multis nominibus commendando. Eam mihi impetravit Vir Clarissimus Johannes Josephus Ursius Marchio, aeque ac ille patria Bononiensis, & inter Eruditos jam editis Libris celebratissimus. In fronte Codicis, qui mihi visus est autographus, aliena manu inscriptum erat Auctoris nomen, nempe *Johannis Griffonis*. Verum in Historiae contextu meridiano Sole clarius elucet, conscripta haec omnino fuisse a *Matthaeo Griffone*, qui se non semel his gestis interserit, & se magnifice nominat. Fuit autem *Griffonum* Familia in Bononiensi Urbe, etsi fortasse non ex primoribus, saltem ex Nobilibus & patriciis. Eorum cura & aere jam Anno 1199. aedificatum fuit Bononiae *Hospitale S. Bernardi in Capella S. Margaritae*, ut heic legitur. Erat autem & eis sua Turris in Patria, quod praeclarae Familiae indicium olim fuit, atque haec Anno 1269. sponte corruit. Vetustiora quoque gesta hujusce gentis memorantur ab Auctore nostro, uti legere volentibus subinde patebit.

Ad ipsum Matthaeum quod attinet, eumdem habemus suarum rerum enarratorem, hoc est certissimum testem. Natus ille est Anno Christi 1351. ut ex his verbis intelligimus: *Anno MCCCLI. die XXIII. Junii in Vigilia Sancti Johannis Baptistæ natus fuit Matthaeus filius Guiducii de Griffonibus ex Domina Zanna ejus uxore, filia olim Matthaei de Crescentiis*. En igitur nomina Patris & Matris, simulque tempus nativitatis. Ad Annum 1384. haec itidem scribit: *Mense Januarii Matthaeus de Griffonibus duxit in uxorem Dominam Helenam filiam Antonii Codeca Mercatoris*; *& dicta die Peregrinus de Zambeccariis duxit in uxorem Dominam Ursinam neptem ipsius Antonii, & filiam olim Johannis Codeca*. Liberalibus disciplinis Matthaeum nostrum dedisse operam, satis arguunt Italici illi versus, quos ad Annum 1385. tamquam a se compositos innuere videtur. Anno 1387. *Corrector Societatis Notariorum* adlectus fuit; tum Anno 1389. in *Antianorum* ordinem cooptatus, quo tempore is nihil non egit, ut quosdam Cives a proscriptionis poena defenderet. Anno 1393. idem *missus fuit pro Ambasciatore Communis Bononiæ ad Dominum Papam Bonifacium IX. qui stabat in Perusio*. Anno 1397. egit *Potestatem Comitatus Imolae*: sequenti vero *Confalonerium Justitiae* in Patria sua Bononia. Accedit, quod Anno 1401. ad *Civitatem Florentiae* legatus est missus; & Anno 1403. dominante adhuc Bononiae Duce Mediolani, Scriptor hic noster exulare coactus fuit; sed brevi redux in Patriam, inter *Antianos* rursus locum tenuit. Denique restituta Romanae Ecclesiæ Bononia, Legatus Pontificius Anno 1408. Matthaeum una cum aliis sibi a Consiliis adscivit.

Quo Anno ejus mors contigerit, in calce Chronici a quodam, qui nonnulla adjecit, adnotatum est hisce verbis: *Anno MCCCCXXVI. die tertio Mensis Julii obiit famosissimus vir ac eloquentiae peritus, Matthaeus de Griffonibus, in laribus Palladis enutritus*; *& sepultus fuit ad Sanctum Franciscum, superextantibus filiis, videlicet Florianus, Luixius, Johannes, Franciscus, & Ludovicus*. Hæc autem Familia post Matthaei obitum ad illud potentiae culmen devenit, ut res novas molita dejecta fuerit:

rit: quod habent Historici Bononienses. Fuisse autem Matthaeum nostrum & morum honestate, & prudentia in agendis non mediocri praeditum, illud suadere potest, quod inter tot terribiles factiones atque tumultus, quibus eo tempore Bononia continuo paene motu fluctuabat, is omnium amicus, nullius odio exagitatus fuit (praeter quam paucorum mensium exilio) & ad publica supremaque Reipublicae Bononiensis officia semper adhibitus, atque in iis summa cum laude versatus. Sed & ipsa ejus Historia virum exhibet probum, res nobis tradentem sine odio, sine mordacitate, & ubique moderationis signa praeferentem, ut profecto nobis ac praesertim suatibus sit multo in honore habendus. An ejus Chronicon Cherubinus Ghirardaccius noverit, adhibueritque in contexenda Bononiensium Historia, incertum mihi. Eum non semel nominat, multaque refert, quae totidem verbis heic leguntur. Attamen illum numquam nominat veluti Historiarum Scriptorem. Immo ad Annum 1374. rem mirabilem narrat, quae ipsi Matthaeo contigit, & ab ipso memoriae tradita est in hoc eodem Chronico, sed narrat uti acceptam a *Johannis Sabbatini de Arientis*, ut puto, Historia, non autem ab Historico nostro; eumque eventum tribuit *Mathiae*, non *Matthaeo*, *de Griffonibus*. Auctor est ergo idem Matthaeus e vivis sublatam fuisse eo Anno Raphaëlam mulierem supra omnes formosissimam, quam ipse deperibat, atque eo impatientiae ac desperationis se venisse, ut lucem fugeret, & mortuam feminam quotidie vocitaret. Quum ecce eadem mulier se ipsi videndam obtulit, qualis erat olim vivens, & cum eo colloquuta est, praesentibus & spectantibus tribus Matthaei amicis. Tu reliqua vide. Liberum sit cuicumque de hoc casu sentire quod velit, eumque aut fabulis, aut vitiatae hominis phantasiae tribuere, quamquam Matthaeus, vir alioqui non obtusae aciei, non ludentis ad instar, sed serio rem describat, & testes hujusce rei nobiles & oculatos laudet. Quod contendo, ita eventum hunc describit Gherardaccius, ut satis ostendat, se ignorasse Chronicon hocce, ac propterea libentius Historiam hanc ab Eruditis excipiendam. Ceterum heic invenias *Mercatoribus*, *Beccariis*, sive lanionibus, *Campsoribus*, aliisque ejusmodi Artibus addictas olim Familias, quae nunc illustri Nobilitate splendent; & fortasse nonnemo vile sibi ducat ex Majoribus tam imum locum tenentibus originem traxisse. Sed animadvertendum est, quum olim in Italiae Urbibus regimen Reipublicae apud Populum & Artes foret, coactos fuisse ipsos Nobiles nomen dare eisdem Artibus, ut officiorum in Republica participes fierent. Atque id potissimum in Genuensi Civitate olim factum. Inde vero nihil nobilitati detrahebatur. Sed haec latius mihi erunt explicanda alibi, si Deus vitam dabit.

MAT-



MATTHÆI DE GRIFFONIBUS
MEMORIALE HISTORICUM
DE REBUS BONONIENSIUM.



Nno Domini MCIX. Turris Asinellorum Civitatis Bononiæ fuit completa.

MCXV. Obiit Comitissa Matelda, quę fuit filia Marchionis Bonifacii, & Beatrixiæ filiæ Henrici Tertii Imperatoris, & sepulta fuit in Comitatu Mantuæ.

MCXVI. Henricus Quartus Imperator confirmavit Bononiensibus omnia privilegia sua & jura. Sunt in Archivo Communis Bononiæ. Et remisit eis omnes offensiones, & injurias sibi factas per ipsos, & Commune Bononiæ occasione destructionis Rochæ, quam ipse Imperator habebat in Civitate Bononiæ.

MCXX. Quædam mulier peperit unum filium, qui habebat duo corpora, & duos vultus, videlicet unum vultum hominis à latere anteriori, & alium vultum canis à latere posteriori, & fuit reputatum magnum miraculum.

MCXXXI. Nonantulani dederunt se Communi Bononiæ.

MCXXXV. Populus Civitatis Mutinæ juravit Communi Bononiæ perpetuò non molestare Domnum Abbatem Nonantulæ.

MCXLI. Civitas Bononiæ arsit; & Ecclesia S. Petri Majoris combusta fuit in die S. Petri ad Vincula.

MCXLII. Magnum prœlium fuit inter Bononienses, & Mutinenses de mense Augusti. Tamen Bononienses habuerunt victoriam, & fuerunt mortui multi Mutinenses, & multi capti, & ducti Bononiam.

MCXLIV. Obiit Papa Innocentius. Eodem Anno Henricus de Cellola, & Homines de Savignano dederunt se Communi Bononiæ.

MCXLV. Obiit Papa Lucius de Domo Caccianimicorum, Civis Bononiæ, qui tunc vocabantur illi de l'Orso.

MCXLVII. Civitas Bononiæ combusta fuit in Septimana Sancta.

MCLIII. Imolenses dederunt se, & Civitatem Imolæ Communi Bononiæ.

MCLIV. Civitas Imolæ capta fuit à Bononiensibus, & destructi fuerunt muri Civitatis, & splanatæ omnes foveæ, & portatæ fuerunt Portæ ipsius Civitatis ad Civitatem Bononiæ.

MCLV. Federicus Imperator venit in Italiam, & destruxit Cortonam, & Spoletum, & ivit Romam; & fuit coronatus per Papam Adrianum. Et dicto anno visæ fuerunt in cœlo tres Lunæ, & in medio cujuslibet erat una crux, & postea infra modicum tempus visi fuerunt in cœlo tres Soles.

MCLVIII. Bononienses habuerunt Castrum Montis Bellii, & Castrum Oliveti.

MCLXII. Civitas Mediolani fuit destructa per Federicum Imperatorem, qui de ipsa fecit quatuor Burgos, & fecit unam legem, quòd volentes laborare, darent quartam partem Cameræ suæ de omni eo, quod laborantes lucrarentur.

MCLXIII. Civitas Bononiæ destructa fuit per

per Federicum Imperatorem prædictum.

MCLXIV. Dominus Guido de Canossa de Regio fuit Potestas Civitatis Bononiæ. Et nota, quòd ipse fuit primus Potestas, quem habuit Bononiæ. Dominus Bozo, qui erat Locumtenens Bononiæ pro dicto Federico Imperatore, fuit mortuus per Bononienses. Bononienses habuerunt Castrum Gissi die quartadecima Decembris.

MCLXVI. Obiit ille famosissimus, & excellentissimus Doctor Dominus Bulgarus de Bulgaris Civis Bononiensis, & sepultus fuit ad Sanctum Proculum.

MCLXVII. Mediolanenses ædificaverunt de novo Mediolanum, & Lombardi fecerunt Ligam ad invicem.

MCLXVIII. Magnum prœlium fuit inter Faventinos, & Bononienses inter flumen Senii, & Sanctum Proculum, in servitium Civitatis Ravennæ; & facta fuerunt pacta per Commune Bononiæ cum Imolensibus de facto Sancti Chassani. Et tunc Prendiparte, & Artemixius erant Consules Civitatis Bononiæ.

MCLXX. Civitas Faventiæ fuit obsessa per Bononienses, & facta fuit pax inter ipsos.

MCLXXIII. Bononienses habuerunt Carrocium.

MCLXXVIII. Capitanei de Albore dederunt Castrum Alboris Communi Bononiæ, quod erat prope Castrum S. Petri supra stratam ultra Selerum. Obiit ille famosissimus Doctor Dominus Guilielmus Durantis, qui fecit Speculum, & sepultus fuit in Ecclesia S. Petri Majoris. Et dicto anno Commune Bononiæ habuit Castrum Ciglani, & Rocham de Vigo.

MCLXXIX. Castrum Montis Bellii fuit arsum per Commune Bononiæ. Bononienses acceperunt Imolam, & splanaverunt muros, & foveas, & dederunt guastum, & fecerunt portari omnia blada Bononiam.

MCLXXXIV. Dominus Otolinus de Mandello de Mediolano fuit Potestas Bononiæ. Papa Lucius die octava Julii intravit Bononiam, & consecravit Ecclesiam S. Petri Majoris,

MCLXXXV. Imperator Federicus, & Pocaterra ejus filius intraverunt Bononiam, & tunc erant Consules Civitatis Bononiæ Buvalellus, Rodulphus de Guarino, & Spinellus de Carbonensibus, & fuit die secunda Februarii.

MCLXXXVI. Imperator Federicus mortuus est, & decessit in Antiochia, dum transiret unum flumen, in quo ipse necavit.

MCLXXXVII. Papa Gregorius consecravit Ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris Civitatis Bononiæ, qua die dictus Papa intravit in Bononiam, videlicet XVIII. Julii. Civitas Hierusalem, & multæ aliæ Civitates captæ fuerunt à Soldano Babyloniæ; & capti, & mortui fuerunt multi Christiani in prœlio. Henricus filius Federici Imperatoris prædicti successit Patri in Imperio, & habuit bonam pacem cum Lombardis.

MCLXXXVIII. Duo millia Bononiensium & ultra iverunt ultra mare pro recuperatione Terræ Sanctæ Ecclesiæ, & multi ex eis numquam reversi fuerunt, & obierunt ibi. Inter quos fuerunt infrascripti notabiles Cives, videlicet. Dominus Ursus de Cazanimicis. Dominus Facius de Galuciis. Dominus Stappa de Garisendis. Dominus Guido de Griffonibus. Dominus Petrus de Asinellis. Dominus Gualtreotus de Macagnanis. Dominus Parte de Prendipartibus. Dominus Zandonatus de Malavoltis. Dominus Pertegonus de Castello. Dominus Bacellerius de Bacelleriis. Dominus Torellus de Torellis. Dominus Ubertinus de Ghisileriis. Brancaleo de Carbonensibus. Artimisius de Artimisiis. Minus de Galuciis. Petrus de Ligapassaris. Albertus de Blanchittis. Johannes de Symopizolis. Bastianus de Raysiis. Guilielmus de Magarottis. Testa de Gozadinis. Nicolaus de Rodaldis. Thomaxius de Maranensibus. Albertus de Tenchárariis. Ludovicus de Nasinis, & multi alii, de quibus fuit magnus planctus in Bononia.

MCXCII. Dominus Gerardus Ghisle de Scanabichiis Episcopus Bononiæ fuit electus Potestas Bononiæ pro duobus annis. Et primo anno valde bene se habuit in officio; sed secundo anno fuit expulsus de regimine, quia malè se habuit.

MCXCIII. Contra voluntatem dicti Episcopi fuerunt electi infrascripti Consules Bononiæ, videlicet, Dominus Thomas de Tuschis; Dominus Albertus de Rustiganis; Dominus Oselitus Scogozaprovede; Dominus Guilielmus de Malavoltis; Dominus Petrus de Milanzolis, & quidam alii Cives. Eodem anno fuit magnum prœlium inter Consules, & Dominum Jacobum Alberti Agnesiæ; & dictus Dominus Jacobus fuit expulsus de Bononia, & turris sua fuit destructa.

MCXCIII. Fuit magnum prœlium in Bononia die primo Julii, in quo prœlio incisa fuit manus Petro de Scanabichiis in Cura S. Ambroxii, & multi fuerunt mortui, derobati, & vulnerati.

MCXCVII. Dominus Matthæus de Corrigio fuit Potestas Bononiæ, & tunc reddebatur jus in domo Bulgarorum. Eodem anno Homines de Corneta juraverunt obedire mandatis Communis Bononiæ.

MCXCVIII. Obiit Henricus Imperator. Bononienses ceperunt per vim Castrum Corciariæ, & Castrum Sassadelli Communitatis Imolensis. Eodem anno obiit Dominus Gerardus de Scanabichiis Episcopus Bononiæ, & fuit electus Episcopus Dominus Gerardus de Ariostis Civis Bononiensis. Eodem anno obiit Papa Cœlestinus, & successit sibi Innocentius Papa III. Obiit Dominus Pascipoverus de Pascipoveris, de quo tota Civitas Bononiæ valde doluit, quia erat homo valde bonus, & dilectus ab omnibus. Spinellus de Carbonensibus bagurdando cecidit ab equo, & subitò mortuus est super platea in die Paschatis roxatæ.

MCXCIX. Dominus Ubertus Vicecomes de Mediolano fuit Potestas Civitatis Bononiæ. Illi de Domo Griffonorum fecerunt sibi Hospitale S. Bernardi in Bononia in Capella S. Margaritæ. Eodem anno ninxit valde fortiter de mense Augusti in Bononia, & duravit tribus diebus magnum frigus, quod fuit reputatum magna novitas.

MCC. Dominus Rolandus de Russis de Parma fuit Potestas Bononiæ. Castrum Sancti Petri constructum fuit.

MCCII. Palatium Communis Bononiæ, ubi jus redditur, fuit constructum, & cecidit tur-

A turris Albergipti, & destruxit portam, & domos Asinellorum, & interfecit multas personas.

MCCIII. Castrum Plumacii ædificatum fuit, quod ante vocabatur Sanctus Colombanus.

MCCIX. Dominus Octo filius Ducis Saxoniæ die IV. Octobris fuit coronatus Imperator, eo quia Henricus Imperator fuit semper contra Ecclesiam Romanam, & ideo Papa Innocentius ipsum coronavit, ne Philippus frater dicti Henrici succederet Imperio. Et eodem anno Imperator prædictus confirmavit privilegia Communis Bononiæ.

MCCXI. Incœptum fuit prœlium inter Bononienses, & Pistorienses, in quo multi Bononienses mortui fuerunt ad Sambugam.
B Dominus Guilielmus de Pusterla de Mediolano fuit Potestas Bononiæ. Bononienses equitaverunt Duglolum in servitium Salinguerræ de Ferraria.

MCCXII. Bononienses cum magno exercitu equitarunt super Montem Sambuganum contra Pistorienses, & multos interfecerunt, & omnes alios duxerunt captos Bononiam.

MCCXIII. Dominus Gerardus de Ariostis de Bononia Episcopus Bononiensis renunciavit Episcopatum, & loco sui fuit factus Episcopus Dominus Henricus de la Fratta.

MCCXIV. Dominus Rodulphus Bergogaonus fuit Potestas Bononiæ.
C MCCXV. Dominus Guilielmus Rangonus de Mutina fuit Potestas Bononiæ.

MCCXVI. Viscontinus fuit Potestas Bononiæ.

MCCXVII. Dominus Guilielmus de Canossa de Regio fuit Potestas Bononiæ.

MCCXVIII. Castrum S. Pauli incœptum fuit fieri in Comitatu Bononiæ.

MCCXXII. Bononienses fecerunt exercitum contra Civitatem Imolæ, & multos interfecerunt, & obtinuerunt Civitatem, & fecerunt asportari Bononiam Portas Civitatis Imolæ, & omnes fossas splanari fecerunt. Eodem anno de mense Augusti apparuit in
D cœlo quædam stella in occidente cum magno splendore, & cum magna cauda, & terræmotus magnus fuit horâ prandii.

MCCXXIII. Sanctus Franciscus de Ordine Fratrum Minorum primò prædicavit in platea Communis Bononiæ. Dominus Ubertus de Ugine fuit Potestas Bononiæ. Papa Honorius, & Imperator Federicus cum Rege Johanne, & Marchione Estensi fuerunt Ferrariæ ad parlamentum super facto Crucis. In die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi fuit maximus terræmotus. Eodem anno fuit facta divisio Terrarum Comitatus Bononiæ per quarteria, scilicet Portæ novæ, Portæ Sterii, & Sancti Cassiani, quod modò vocatur Porta S. Petri, & Porta S. Proculi, &
E Porta Ravennatum, & de hoc apparet scriptura in Archivo Communis.

MCCXXIV. Dominus Guilielmus de Bona fuit Potestas Bononiæ. Dominus Johannes Rex Hierusalem cum ejus uxore intravit Bononiam. Sapina conducta fuit per stratam Castilionis in Bononia.

MCCXXV. Dominus Pax Bocatius fuit Potestas Bononiæ. Imperator Federicus interdixit Studium in Bononia, & præcepit Scholaribus studentibus Bononiæ, quòd recederent de Bononia, & irent ad studendum Neapoli. Eodem anno fuit maxima mortalitas in bobus, & talis, quòd ubi fuit, modici boves ibi remanserunt.

MCCXXVI. Dominus Gerardus Rangonus de Mutina fuit Potestas Bononiæ. Dictus Imperator venit Ravennam, & fecit ibi Pascha Resurrectionis Domini nostri. Postea venit Imolam: postea ivit Medicinam: postea transivit juxta S. Johannem in Persiceto, & hospitatus fuit ibi extra Castrum S. Johannis. Deinde ivit in Lombardiam, & per Dei gratiam nihil potuit facere de eo, quod habebat in corde. Et discessit de istis partibus, & ivit in Alamanniam. Eodem anno die octava Octobris Filia Regis Johannis obiit Bononiæ, & fuit sepulta in Ecclesia S. Petri Majoris. Bononienses miserunt Mantuam CCL. Equites, & L. Balisterios, expensis Communis Bononiæ in servitium Lombardorum.

MCCXXVII. Dominus Pinus de Surixana fuit Potestas Bononiæ. Campana magna Ecclesiæ S. Petri Majoris Bononiæ facta fuit. Magna fuit fames in Civitate Bononiæ, & per diversas partes, & valuit corba frumenti tres libras, & fabarum XLVIII. solidos, speltæ solidos XXXIV. & melegæ XXVIII. solidos. Eodem anno fuit magna mortalitas tam in divitibus, quàm in pauperibus personis. Antigratis Imperator mortuus est. Eodem anno Castrum Francum ædificatum fuit in Comitatu Bononiæ. Et tunc Mutinenses fecerunt Castrum Leonem ex opposito dicti Castri Franci.

MCCXXVIII. Dominus Ubertus Vicecomes de Mediolano fuit Potestas Civitatis Bononiæ. Magna discordia orta fuit, Bononiæ inter Magnates, & Populares, & hoc fuit propter proditionem, quam fecit Rolandus, Dominæ Cæciliæ, qui dicebeatur tradidisse Castrum Plumacii. Qui Rolandus in festo S. Cæciliæ mortuus fuit à Populo Bononiensi in Curia Communis Bononiæ cum magno furore. Et tunc Dominus Useppus de Tuschis fuit factus Præfectus Populi Bononiæ; cui Domino Useppo Dominus Potestas Bononiæ, & Magnates noluerunt dare Confalonum, neque Palatium. Et tunc Dominus Useppus noctis tempore cum magna multitudine Popularium ascenderunt Palatium, & fregerunt portas, & laceraverunt libros, & scripturas Palatii, & pulsaverunt campanas, & multa alia, & diversa fecerunt contra Potestatem, & Magnates. Et tunc incœpta fuit guerra inter Commune Bononiæ, & Mutinenses. Et Bononienses obsederunt Bazanum cum Carrocio, & ceperunt Plumacium. Et fuit prœlium de Strata ad S. Leonardum inter Bononienses, & Mutinenses.

MCCXXIX. Dominus Aliprandus Faba fuit Potestas Bononiæ. Eodem anno die quarto Septembris Castrum S. Cæsarii captum fuit per vim per Bononienses, & combustum fuit; & omnes, qui erant intus, mortui, seu capti fuerunt, videntibus Mutinensibus, Parmensibus, & Cremonensibus, qui ibi erant. Eodem anno Tregua facta fuit inter Commune Bononiæ, & prædicta Communia Lombardorum.

MCCXXX. Dominus Paganus de Preda fuit Potestas Bononiæ.

MCCXXXI. Dominus Federicus de Lavellolongo fuit Potestas Bononiæ. Dominus Ugo-

Ugolinus Presbyter fuit mortuus sub voltis Palatii Communis. Factæ fuerunt magnæ immunitates Artibus Lanæ, & Sirici. Villa & Contrata Altedi, & Minervii fuit concessa centum quinquaginta Familiis Lombardis per Commune Bononiæ pro duabus mille libris Bononiensibus, quæ Contrata prius dicebatur Vallis Comitum.

MCCXXXII. Castrum Francum incœptum fuit murari, & fortificari. Dominus Raynerius Zeno de Venetiis fuit Potestas Bononiæ. Mulinarii, & Vecturales omnes fuerunt scovati, sive fustigati propter eorum mala, & robarias, quas faciebant in Bononia. Et tunc omnes clamabant in Populo, *moriatur Pasqualis Landulfi*, quia erat Usurarius. Omnes libri maleficiorum combusti fuerunt, & lacerati. Eodem anno de mense Julii duo Planetæ in cœlo simul se junxerunt. Et de mense Augusti sequentis maxima & inæstimabilis quantitas grillorum supervenit, qui maximum damnum fecerunt in Comitatu Bononiensi, & maximè in saxolis.

MCCXXXIII. facta fuit concordia inter Commune Bononiæ, & Dominum Episcopum Bononiensem pro Terris Comitatus Bononiæ, de quibus quæstio erat inter eos; & apparet Laudum. Dominus Ubertus Vicecomes de Mediolano fuit Potestas Bononiæ.

MCCXXXIV. Dominus Guido Raulus de Faventia fuit Potestas Bononiæ, Fregnanum emtum fuit per Commune Bononiæ. Fuit tantum frigus, & in tantum gelavit Padus, quòd currus onerati transibant per Padum super glacie grossa. Et propter dictum frigus vites tam de plano, quàm de montaneis siccæ sunt; & in illo anno quasi nihil collectum fuit de vitibus, nec de ficubus, nec de olivis, quod fuit magnum damnum; & gelabat vinum in vassellis. Eodem anno completa fuit copertura Ecclesiæ Sancti Petri de Episcopatu Bononiæ per Magistrum Venturam.

MCCXXXV. facta fuerunt prima Extima in Civitate, & Comitatu Bononiæ tempore Domini Carneluaris de Mediolano tunc Potestatis Bononiæ. Quarteria Portæ Sancti Proculi, & Portæ Ravennæ equitaverunt contra Forlivium in servitium Faventinorum.

MCCXXXVI. Dominus Compagnonus de Pontremulo, & Dominus Ubertus Sardus fuerunt Potestates Bononiæ. Dominus Eccellinus de Romano de Trivisio habuit Vicentiam, & Paduam. Imperator Federicus habuit Civitatem Ferrariæ à Domino Salinguerra, & à Populo Ferrariæ.

MCCXXXVII. Dominus Ruffinus Guaschus fuit Potestas Bononiæ. Eodem anno de mense Novembris Bononienses ceperunt Castrum-Leonem, & ipsum destruxerunt. Mediolanenses conflicti fuerunt à Federico Imperatore apud Curtem-Novam, & accepit eis Carrocium. Bononienses ceperunt Pontem Navexellæ, & ibi fuit mortuus Rodulfinus Gatti. Mantuani recuperaverunt Marchariam in Vigilia Nativitatis Domini nostri. Imperator Federicus obsedit Montem Clarium.

MCCXXXVIII. Dominus Ubertus de Corrigio fuit Potestas Bononiæ. Civitas Faventiæ capta fuit per suos Comitatinos propter mortem Garattonis tunc occisi. Eodem anno

A Federicus Imperator ordinavit parlamentum in Ferraria, ad quod Comes Veronæ, & Marchio Estensis fuerunt convitati, & noluerunt ire ad ipsum parlamentum. Circula Civitatis Bononiæ palificata sunt, & captum fuit Castrum Ciliani per Commune Bononiæ; & eo anno Commune Bononiæ accepit Castrum Malgrati, & arsit ipsum. Federicus obsedit Civitatem Brixiæ. Eodem anno Comes Aghinolfus de Mutiliano cum toto suo exercitu captus fuit à Bononiensibus.

MCCXXXIX. Dominus Luscus de Ponte Caraxio fuit Potestas Bononiæ. Imperator cepit Castra Plumacii, & Alegracoris, &
B fuit conflictus Bononiensium apud Vignolam à Mutinensibus, & Parmensibus. Eodem anno die Veneris, quarta Junii Sol obscuratus fuit horâ Nonæ, & Cœlum visum fuit stellatum. Eodem anno Castrum Montis Turturi fuit captum per Bononienses, quod erat Mutinensium; & tunc Bononienses iverunt Mutinam, & per vim ceperunt Burgos Mutinæ, & ipsos combusserunt. Domnus Papa Gregorius excommunicavit Federicum Imperatorem.

MCCXL. Dominns Raynerius Zeno de Venetiis fuit Potestas Bononiæ. Bononienses, Venetiani, & Mantuani obsederunt Civitatem Ferrariæ, & capto Salinguerra habuerunt Ferrariam per concordiam, & hoc
C fuit de mense Maji. Et fuit ibi de mense Junii Dominus Legatus Curiæ Romanæ, & Marchio Estensis, & composuerunt cum Salinguerra, qui ivit Venetias cum Domino Duce Venetiarum ad morandum Venetiis. Imperator obsedit Faventiam, & habuit ipsam, & postea habuit Civitatem Ravennæ. Dominus Henricus Episcopus Bononiæ renunciavit Episcopatui, & loco ejus fuit electus Dominus Octavianus.

MCCXLI. Salicatæ Civitatis Bononiæ factæ fuerunt de lapidibus, quæ ante erant de codalis.

MCCXLII. Castrum Uselini fuit constructum, & ædificatum, Dominus Ubertus Vi-
D cecomes fuit Potestas Bononiæ. Rex Henricus obsedit Castrum Roncarelli Comitatus Placentiæ. Facta fuit pax inter illos de Pepolis, & illos de Tetalasinis de mense Decembris in die Sanctæ Luciæ.

MCCXLIII. Dominus Azzo de Pirovallo fuit Potestas Bononiæ. Bononienses acceperunt Roffenum; & Dominus Azzo de Fregnano, qui ipsum rebellaverat contra Commune Bononiæ, fuit strascinatus, & decapitatus cum multis aliis suis sociis, & hoc fuit die sexto Octobris. Cardinalis Sinibaldus de Flisco de Janua fuit factus Papa, & vocatus Papa Innocentius Quartus. Guiducius Domini Bonifacii fuit mortuus die VI. exeunte
E Augusto. Et dicta de causa fuit decapitatus Ameus in Curia Communis post tres dies; & dicta de causa duodecim Cives de melioribus utriusque partis fuerunt confinati, & missi Mediolanum.

MCCXLIV. Dominus Arduinus Confalonerius de Placentia fuit Potestas Bononiæ. Regimina Communis Bononiæ fecerunt fieri multas paces inter Cives, inter quas fecerunt fieri pacem inter Dalfinos, & Malatachos: inter Torellos, & illos de Andalò: inter Griffones, & prædictos de Andalò: inter Artimisios, & illos de Castro Brittonum: in-

inter Gallucios, & Carbonenses; & inter quamplures alios, & fecerunt multas parentelas simul.

MCCXLV. Federicus Imperator fuit depositus per Dominum Papam Innocentium Quartum. Pars Guelforum de Civitate Florentiæ fuit expulsa: Et tunc dictus Imperator Federicus intravit ipsam Civitatem. Eodem anno dictus Federicus Imperator fecit exercitum contra Civitatem Mediolani. Dominus Philippus de Ugonibus de Brixia fuit Potestas Bononiæ. Imperator Federicus voluit capere Brixiam, & simulavit velle ire Veronam pro ducenda sorore Ducis Austriæ in uxorem, & tunc pars Brixiæ fuit expulsa, & venit Bononiam. Et assignata fuerunt eis molendina de Tuvatis pro eorum expensis.

MCCXLVI. Palatium novum Communis Bononiæ fuit constructum. Perusini conflicti fuerunt à dicto Federico olim Imperatore. Castrum Scaregalaxini fuit constructum. Rex Henricus expulit de Parma partem Bernardi de Russis, & congregavit exercitum contra Placentinos. Mutinenses, & Parmenses sibi ad invicem restituerunt captivos. Florentini se submiserunt prædicto Federico olim Imperatori.

MCCXLVII. Dominus Guido Vicecomes de Mediolano fuit Potestas Bononiæ. Bononienses obsederunt Castrum Bazani, quod erat Mutinensium, & ipsum Castrum totaliter destruxerunt, & hoc fuit in die Festi S. Isaïæ; & Rex Henricus, & Eccellinus de Romano erant in auxilium Mutinensium. Federicus Imperator obsedit Civitatem Parmæ, & fecit ibi Civitatem, quæ vocata fuit Victoria.

MCCXLVIII. Parmenses acceperunt dictam Civitatem, quæ vocabatur Victoria, & ipsam totam destruxerunt; & dictus Federicus fugit ad Burgum S. Domnini. Bononienses cum magno exercitu de mense Majii iverunt in Romandiolam, & recuperaverunt totam Romandiolam ad partem Ecclesiæ. Item ceperunt S. Cæsarium, & Bazanum, & Nonantulam, quæ erant Mutinensium. Eodem anno Ghibellini de Florentia dederunt Federico Imperatori Civitatem Florentiæ.

MCCXLIX. Dominus Philippus de Ugonibus fuit Potestas Civitatis Bononiæ. Bononienses ceperunt Regem Hentium filium Federici Imperatoris, cum magna quantitate Militum Cremonensium, & Teutonicorum. Et hoc fuit die sexto exeunte mense Maji juxta S. Lazarum de Mutina, & omnes fuerunt carcerati in Bononia. Eodem anno de mense Septembris Bononienses obsederunt Mutinam, & cum uno mangano projecerunt unum asinum vivum in Mutinam. Et die Mercurii quatuor Temporum prope Pascha Nativitatis sequentis, facta fuit pax inter dictos Bononienses, & Mutinenses. Manfredi de Faventia intraverunt Civitatem Faventiæ, quæ tunc erat sub custodia Bononiensium; & dicta de causa fuerunt condemnati pro mala custodia multi Bononienses existentes in dicta Civitate ad Portam de Ponte.

MCCL. Dominus Rizardus de Villa fuit Potestas Bononiæ. Eodem anno Imperator Federicus decessit in die S. Luciæ. Et tunc omnes de parte Guelfa de Florentia, qui expulsi erant, redierunt Florentiam. Ecclesia S. Apollinaris, quæ erat in Curia Communis Bononiæ, destructa fuit, & ejus loco fuit permutata Ecclesia S. Ambrosii. Eodem anno Christiani, inter quos erat Rex Franciæ, & Frater suus, fuerunt conflicti à Saracenis, & mortui circa XXX. millia, & Rex Francorum cum aliis XX. mille Christianis se redemerunt centum millibus marchis argenti, & habuit Damiatam.

MCCLI. Dominus Bonifacius de Salis fuit Potestas Bononiæ. Papa Innocentius, qui vocabatur Sinibaldus de Flisco, dum veniret à Concilio facto in Leone super Rhodanum, intravit Civitatem Bononiæ; & tunc die VIII. Octobris consecravit Ecclesiam S. Dominici de Bononia. Et ejus precibus Bosius de Doaria, qui erat de carceratis cum Rege Hentio, fuit de carceribus relaxatus, & per Commune Bononiæ liberatus.

MCCLII. Dominus Brancaleonus de Andalò Civis Bononiensis ivit pro Senatore Urbis Romæ. Eccellinus de Romano Dominus Paduæ fecit mori multos nobiles viros, inter quos fuerunt filii, & nepotes Guilielmi de Carturio.

MCCLIII. Dominus Petrus Grillus, & Dominus Alamannus de la Turre fuerunt Potestates Bononiæ. Raynerius Confalonerius fuit decapitatus. Eodem anno Petrus de Asinellis fuit bannitus, & bona ejus confiscata, quia evasit de carceribus unum carceratum cum Rege Hentio. Eodem anno quidam projecit in puteo S. Agnetis unum suum nepotem: quapropter captus fuit, & positus fuit nudus in una vegete plena clodis puntatis, & ductus volgendo vegetem usque ad locum, ubi fuit decapitatus.

MCCLIV. Dominus Ubertinus de Ugino fuit Potestas Bononiæ. Eo anno Bononienses obsederunt Cerviam, & habuerunt eam. Duæ voltæ Ecclesiæ Fratrum Minorum Sancti Francisci ceciderunt, & occiderunt multas mulieres, & personas tam masculos, quàm fœminas; & Campanile Sancti Petri de plumbo fuit coopertum.

MCCLV. Dominus Rizardus de Villa fuit Potestas Bononiæ, & Dominus Jordanus de Lucino fuit Capitaneus Populi Bononiensis, & fuit primus Capitaneus, qui fuit in Bononia. Quædam duæ malæ mulieres, scilicet Morbia, & Imeldina fuerunt combustæ, eo quia affacturaverant, & cum affacturamentis interfecerant Dominam Ghixelam uxorem Domini Nicolai de Baccelleriis. Civitas Bononiæ fuit excommunicata per quemdam Capellanum Domini Papæ, occasione Domini Brancaleonis de Andalò. Capella Potestatis Bononiæ, & Serralia ex utraque parte facta fuerunt. Dominus Ugolinus Capretius de Lambertinis interfecit Dominam Mambiliam ejus uxorem. Tridentini rebellaverunt se Eccellino Tyranno, & dictus Eccellinus Tyrannus occidi fecit Giramontem fratrem suum, & Eccellinum ejus nepotem filium unius suæ sororis.

MCCLVI. Dominus Manfredus de Marengo fuit Potestas Bononiæ, & Dominus Bonifacius de Suraxina de Brixia fuit Capitaneus Populi Bononiensis. Eccellinus de Romano obsedit Civitatem Mantuæ, & non obtinuit. Et tunc ipso Eccellino existente circum Mantuam Dominus Archiepiscopus Ra-

Ravennæ ivit Paduam, & accepit Paduam Eccellino. Quod ſentiens Eccellinus, comburi, & mori fecit duodecim mille Paduanos, quos ſecum habebat, quia non potuit recuperare Paduam. Griffolinus factus fuit Dominus Civitatis Brixiæ, & expulſa eſt pars Eccleſiæ. Bontraverſus Socer Eccellini interfectus fuit. Bononienſes miſerunt Mantuam CCL. Milites, & CL. Baliſtarios contra Eccellinum Tyrannum, qui tunc Mantuam obſidebat. Eodem anno Caſtrum Bagnacavalli venit ad mandata Communis Bononiæ. Et tunc Commune Bononiæ ad dicta loca, videlicet Forlivium, Faventiam, & Bagnacavallum mandavit Poteſtates. Jacobus Capellinus de Bononia fuit mortuus à filiis ſuis propriis, ipſo jacente in lecto ſuo cum uxore ſua. Bononienſes emerunt terrenum ubi eſt Rocha Tauxignani. Eodem anno Eccellinus de Romano exercitum contra Paduam ordinavit, & nihil facere potuit. Arengheria novi Palatii Communis Bononiæ facta fuit.

MCCLVII. Dominus Bonaccurſius de Surixana fuit Poteſtas Bononiæ. Turris Cornachina deſtructa fuit, & combuſta Bononiæ. Eodem anno Serralia Stratæ majoris, Barbariæ, Portæſterii, & S. Mariæ Majoris fuerunt deſtructa per Commune Bononiæ. Societates Armorum Civitatis Bononiæ equitaverunt ad Caſtrum Cunii, & ipſum habuerunt, & combuſſerunt. Eodem anno Commune Bononiæ condemnavit Commune Imolæ in libris quatuor milia Bononienſibus, eo quia arſerant Caſtrum Montis Caduni. Dominus Paulus de Zambraxiis fuit electus Poteſtas Anconæ. Gallucii incœperunt fieri facere in curia ſua unam Turrim, & dicto anno fuerunt facta triginta columbaria de ipſa Turri.

MCCLVIII. magnum prœlium fuit in Bononia inter Jeremienſes, & Lambertacios; inter Carbonenſes, & Gallucios; inter Artimiſios, & illos de Caſtro Bertonum; inter Lambertinos, & Scanabichios, & inter quamplures alias Domos. Eodem anno facta fuit pax inter illos de Pretis ex una parte, & filios olim Petri Beccarii ex alia, de morte dicti Petri, quem interfecerunt illi de Domo de Pretis. Dominus Raymondinus de Janua Scholaris fuit decapitatus die Dominica in Veſperis V. Aprilis ſuper platea Communis Bononiæ, eo quia vulneravit Nicolaum Petri de Leonibus Conſalonerium Populi Bononienſis. Dictus tamen Nicolaus evaſit de dicto vulnere, & doluit quòd Scholaris moreretur; ſed nullo modo potuit obviare morti ſuæ. Dominus Albertus de Dalfinis die primo Junii duxit in uxorem filiam Eccellini de Torellis. Et hoc occaſione pacis factæ inter prædictos Eccellinum, & Dominum Albertum, qui erant primò inimici. Dominus Albertus de Grego fuit Poteſtas Bononiæ. Eodem anno Eccellinus de Romano cum ſua gente, & Cremonenſibus, & Palavicinis conflixit partem Brixienſem, & gentes Eccleſiæ, & cepit Legatum, & multos alios de Mantua, & habuit Brixiam.

MCCLIX. Dominus Jacobinus Rangonus fuit Poteſtas Bononiæ. Eccellinus de Romano ſolus habet Civitatem Brixiæ, excluſo Palavicino, & Cremonenſibus. Dominus Marchio Eſtenſis, Marchiani, Ferrarienſes,

A Paduani, & Comes S. Boniſacii fecerunt concordium ad invicem cum Marchione Palavicino, Cremonenſibus, & Domino Boſio de Dovaria. Et omnes uniti ad invicem fecerunt magnum exercitum contra Brixiam, & Eccellinum. Et dum ipſi eſſent ad campum, Dominus Eccellinus ad petitionem quorumdam proditorum de Mediolano cum ſua gente ivit Mediolanum causâ illud intrandi, & habendi. Et ivit uſque ad Vicomercatum, & cùm Mediolanenſes hoc ſenſerunt, poſuerunt remedium, ne aliquid ſiniſtrum poſſet eis occurrere. Et illico Cremonenſes, Mantuani, Marchio Eſtenſis, & Marchio Palavicinus, & Paduani, & Ferrarienſes cum B magno eorum exercitu equitaverunt versùs dictum Eccellinum, & ipſum invenerunt ad pontem Caſſani, & prœliaverunt dictum pontem. Ad quod prœlium traxit dictus Eccellinus ad defenſionem pontis, & fuit acriter vulneratus. Qui Eccellinus ſentiens ſe vulneratum, præcepit gentibus, quòd tranſirent flumen Addæ, & dum tranſirent, exercitus Cremonenſium, & Amicorum ſuorum ſe oppoſuerunt eis, & incœperunt magnum prœlium die XXVII. Septembris, & in ipſo prœlio Eccellinus fuit vulneratus, & captus, & ductus fuit ad exercitum. Poſtea fuit portatus ad Soncinum, & ibi mortuus fuit, & ſepultus, relictis Verona, Vicentia, Padua, Tri- C vixio, Feltro, Tridento, Brixia, & Caſtris Cenetæ. Eodem anno Florentini conflicti fuerunt à Senenſibus ad Montem-apertum. Eodem anno Dominus Guiducius de Ramponibus fuit electus Poteſtas Civitatis Senarum.

MCCLX. Lanfrancus Uſuſmaris fuit Poteſtas Bononiæ. Carbonenſes, & Gallucii in die Paſchatis Reſurrectionis poſt prandium in via à trivio Carbonenſium uſque ad crucem Sanctorum prœliaverunt ad invicem, in quo prœlio multi mortui fuerunt. Et dicta de cauſa fuerunt condemnati, & ſolutæ fuerunt condemnationes. Et ſimiliter fuit prœlium inter Lambertinos, & Scanabicos, & D inter Artimiſios, & illos de Caſtro Britonum. Eodem anno facta fuit pax inter illos de Lobia ex una parte, & Rambalducium de Fratta ex alia parte; inter Petrum Bergadanum de Abaiſio, & filium Alixerii; & inter Gallucios, & Carbonenſes, & factæ parentelæ ad invicem inter eos pro bona pace melius conſervanda. Eodem anno Ugolinus Bonjohannis de Saragocia, & Ugolinus de Forlivio occaſione monetæ falſæ arſi fuerunt. Dominus Guilielmus Guidonis Zagni Miles die ultimo Junii fuit valde honorificè ſepultus cum baldachino, & aliis in Eccleſia S. Jacobi de Sapina. Eodem anno de menſe Julii fuit prœlium inter Bernardum de Raſineis, & E ſuos ex parte una, & Johannem de Caſtellinis, & ſuos ex alia parte, & fuit de nocte in Strata S. Vitalis. Eodem Anno Frater Jacobus Epiſcopus Bononienſis, & filius Guidonis Boncambii, ſubitò cecidit de domo ſua de Maſſematico, & mortuus fuit, & portatus Bononiam. Cujus loco fuit electus Epiſcopus Bononiæ Dominus Octavianus de Ubaldinis. Dominus Niſus de Gariſendis, Zimignanus de Balduinis, Polionus de Gozadinis, Dominus Rambertus de Ghiſileriis miſſi fuerunt Ambaxiatores ad Dominum Papam de menſe Auguſti pro parte Communis Bo-

Bononiæ, & dictus Zimignanus eundo decessit.

MCCLXI. Dominus Matthæus de Corrigio fuit Potestas Bononiæ. Consacratum fuit Altare S. Petri per Dominum Cardinalem Octavianum, & Archiepiscopum Ravennatem, Episcopum Barensem, & tredecim alios Episcopos, & quilibet ipsorum dedit ipsi Altari Indulgentiam unius anni, & quadraginta dierum, & durat quindecim diebus. Dominus Johannes, filius olim Domini Guidonis de Griffonibus fuit conventuatus in Legibus, & Decretalibus, & eadem die duxit in uxorem Dominam Doctam, filiam Antonii Arditionis Lazari de Blanchettis, & factum fuit magnum festum occasione ipsius Conventus, hoc fuit die tertio Martii. Eodem anno in festo S. Mariæ mense Martii Ordo Militiæ Fratrum Beatæ Mariæ inchoatus fuit per Fratrem Lodorenghum de Andalò, Gruamontem dictum Cazanimici, & Ugolinum Capretum de Lambertinis, Milites, & alios Milites Lombardos. Cujus Ordinis fuit ordinator Dominus Peregrinus de Castello. Eodem anno Dominus Matthiolus de Galluciis decessit. Talamacius Jacobini Capellini, qui fecerat mori patrem suum jacentem in lecto cum uxore sua, fuit suspensus cum mazza, & capellina ad collum, & fuit prælatatus, & combustus, & ejus pulvis projecta ad ventum. Et Bonaventura Talamacii fuit causa faciendi capi dictum Talamacium. Et Commune Bononiæ promisit sibi dicta occasione solvere CC. libras Bononienses. Tamen de ipsa pecunia nihil fuit sibi datum, considerata sua proditione, quia Talamacius multum confidebat de ipso Bonaventura: Mortuus fuit Peregrinus Guilielmi sub porticu domus suæ; & nullus potuit scire, quis fuerit, qui ipsum occiderit; tamen multi de ipsa morte culpati fuerunt. Factæ fuerunt multæ robariæ in Bononia tempore noctis per quosdam Juvenes Nobiles malæ conditionis, & nullus poterat cogitare quis esset. Sed accidit, quòd ipsi una nocte fregerunt stationem Lamandini Speciarii, & Landucii de Garzonibus Speciarii, quæ erant invicem contiguæ, & certas alias stationes, & finaliter Dominus Matthæus Potestas tantum fecit, quòd habuit malefactores, videlicet infrascriptos, Romeum, & Petrum de Tetalaxinis, Albertum de Scogozaprevedis, Dalfinum de Asinellis, Turam Calzolarium. Et omnes fuerunt suspensi.

MCCLXII. Dominus Andreas Zeno de Venetiis fuit Potestas Bononiæ. Societas Battutorum Bononiæ cum cereis, & una purpure iverunt ad S. Jeminianum de Mutina. Et Antiani, & Populus, ac Episcopus Mutinæ venerunt eis obviam usque ad Castrum Leonem cum magno honore. Et duxerunt ipsos in Civitatem Mutinæ, & ostenderunt eis brachium S. Jeminiani, cujus ostensionis causa quædam Domina, quæ erat dæmoniata, videntibus omnibus, fuit illico liberata. Eodem anno Dominus Henricus Sacrista S. Petri, & Bernardinus ejus nepos mortui fuerunt, & Sacristia fuit derobata pecuniis, & multis aliis rebus argenteis. Cujus occasione septem Malefactores capti fuerunt, quorum quatuor strascinati, & combusti fuerunt; unus projecit se de Palatio Episcopi, & mortuus est, alii duo carcerati fugerunt, propter quorum fugam quidam familiaris Domini Episcopi, qui custodiebat ipsos, positus fuit ad tormentum, & super tondolo mortuus est. Stephanus, filius Andreæ Regis Ungariæ, & Beatrixiæ de Domo Estensi, duxit in uxorem Dominam Traversanam Guilielmi Traversarii nobilissimi Civis Civitatis Ravennæ, quia de Regno Ungariæ nihil poterat obtinere.

MCCLXIII. Dominus Jacobus Tavernerius de Parma fuit Potestas Bononiæ. Bononienses fecerunt exercitum super Imolam, quia Imolenses expulerant partem Jeremiensem, & ibi steterunt ad exercitum octo diebus. Et tunc Imolenses venerunt ad mandata Communis Bononiæ. Et foveæ, & serralia, quæ facta fuerant de voluntate partis Lambertaciorum, splanata fuerunt: & similiter Castrum, quod fieri fecerat ibi Imperator Federicus à latere mane. Et tunc Dominus Ugutio de Arientis Judex de Bononia mortuus fuit. Facta fuit pax inter Guiducium de Prendipartibus ex una parte, & Sabadinos ex parte altera in Ecclesia S. Thomæ de Brayna. Dominus Ugucio de Arientis à Comite Maghinardo de Panico, & quibusdam de Gozadinis mortuus fuit. Qua de causa Partes traxerunt ad arma. Et tunc Dominus Lodorengus de Andalò fuit datus in socium Domino Potestati Bononiæ, ne Potestas timeret facere officium suum. Et tunc missi sunt ad confinia per Comitatum Bononiensem ducenti homines & ultra inter Milites, Judices, & Populares Bononiæ. Pars Britiorum de Imola expulsa fuit de Imola, & cum eis expulsus fuit Dominus Jacobinus Pizolus de Prendipartibus, tunc Potestas Imolæ. Qua de causa de Bononia iverunt Imolam duo millia Cives. Sed Pinus noluit eis restituere Civitatem, & destruxit domos, & turres alterius partis, & ideo factus fuit exercitus contra Imolam per Commune Bononiæ. Commune Bononiæ misit ad Regem Franciæ quatuor Ambaxiatores honorabiles Cives, videlicet duos Milites, & duos Domicellos. Hi sunt Dominus Alexander de Asinellis Miles, Dominus Janinus de Prendipartibus Miles, Petrus Guelfi de Griffonibus, & Johannes de Boccadecanis, Domicelli. Qui Ambaxiatores fuerunt honorificè recepti à Domino Rege, & Rex fecit Milites prædictos Petrum Guelfum, & Johannem, & donavit eis equos, & alia multa.

MCCLXIV. Dominus Andriolus Zeno de Venetiis fuit Potestas Bononiæ. Dominus Azo Marchio Estensis decessit, & Opizo Estensis ejus nepos successit sibi. Eodem Anno Imolenses supposuerunt se Communi Bononiæ cum pacto, quòd Potestas Bononiensis esset Potestas Imolæ, & Imolenses tenerentur dare eidem Potestati quingentas libras Bononienses de salario.

MCCLXV. Dominus Guilielmus de Sesso, & Dominus Philippus Beligno de Venetiis fuerunt Potestas Bononiæ. Lambertini interfecerunt Scanabechum de Scanabechis, qua de causa destructæ fuerunt domus Domini Guilielmi, & Domini Brandelixii de Lambertinis. Pars de Robertis de Regio expulsit partem illorum de Sesso de Civitate Rhegii. Officium memorialium Communi Bononiæ inventum fuit die primo mensis Maji, & ordinatores ipsius Officii fuerunt duo Cives Bo-

Bononiæ, videlicet Dominus Castellanus Guidonis Domini Hostiæ de Catellanis, Dominus Frater Lodorengus de Andalò, Milites, & prudentes Cives Bononiæ: quod fuit valde utile Bononiensibus. Eodem anno de mense Decembris Dominus Petrus Paulus de Ramponibus fuit factus Miles per Regem Franciæ, & ivit pro Potestate Civitatis Paduæ.

MCCLXVI. Dominus Johannes Dandulo de Venetiis fuit Potestas Bononiæ. Guido Heganus de Venetiis fuit combustus in Bononia propter monetam falsam. Eodem anno de mense Novembris Petrus Guelfus de Griffonibus, fuit electus Potestas Civitatis Senarum. Obiit Dominus Neapoleonus de Gozadinis, & duo sui filii in quindecim diebus, & dictum fuit, quòd fuerunt tossicati per unam suam novercam.

MCCLXVII. Dominus Johannes Dandulo prædictus fuit Potestas Bononiæ. Societas Calzolariorum de Bononia acceperunt de manibus Domini Potestatis Carolum Nascimbenis Calzolarium detentum, occasione mortis Paretini de Butrio, quem dictus Carolus invenerat cum uxore. Et dictâ de causa magnus rumor fuit, & positus fuit ignis in Palatio Potestatis, & dictus Potestas fuit expulsus de regimine. Et Antiani fecerunt regimen Civitatis XXII. diebus. Magnum prœlium fuit inter Scanabichos, & Lambertinos die Dominica XIII. Martii, & multi interfecti fuerunt, & multi vulnerati, inter quos vulneratus & mortuus fuit Dominus Bartholomæus Guidonis Zagni, & sepultus ad S. Jacobum de Sapina. Qua de causa pro faciendo vindictam, Mutinenses, Rhegini, Ferrarienses, Parmenses, & Romandioli voluerunt venire Bononiam. Et tunc Commune Bononiæ dedit arbitrium Antianis, & Potestati, qui fecerunt facere guardias ad domos dictarum partium per Societates Armorum octo diebus continuis, & miserunt Lambertinos ad confinia Mantuæ, & Scanabichos ad confinia Florentiæ. Et tunc datum fuit arbitrium Domino Lodorengo de Andalò, Domino Catellano de Catellanis Militibus, qui fieri fecerunt pacem inter Lambertinos, & Scanabichos, & inter Gozadinos, & Arientos, & inter Principes, & Filios Domini Bartholomæi Guidonis Zagni, inter Ursos, & Chalamatones, inter illos de S. Georgio, & Blanchittos, & Picigottos, & multos alios Cives, & fecerunt multas parentelas, & cancellari omnes bannitos. Qua de causa Bartholomæus de Butrigariis tunc Antianus, & Magarotti, quia auxilium dederant condemnatis, & quidam alii de Strata S. Vitalis, qui auxilium dederant ad evadendum, fuerunt condemnati in MDCCC. libras Bononienses, inter quos fuerunt Ugolinus, & Albertucius de Asinellis. Unde quasi tota Civitas fuit destructa, & Potestas Bononiæ renuntiavit officio, & recessit de mense Maji; & tunc electus fuit Potestas Bononiæ pro uno anno Dominus Rech Domini Alamanni de Turri, & Dominus Guidescus de Pontecharali in Capitaneum Populi. Eodem anno, & tempore Nerius Raynerius de Galluciis, Petrizolus Justi Guerci, dictus Pariano, interfecerunt quemdam de S. Martino in Campo Fori: qua de causa banniti fuerunt, & domus eorum fuerunt combustæ, & condemnati fuerunt in MM. libras Bononienses.

MCCLXVIII. Conradinus fuit conflictus à Rege Carolo, & habuit incisum caput, cum multis aliis Baronibus. Et tunc Regina Margarita uxor dicti Regis Caroli transivit per Civitatem Bononiæ, & fuit valde honorata in Bononia. Obiit Innocentius Papa IV. Dominus Albertus de Cazanimicis venit ad verba injuriosa cum Guidone suo nepote, filio Domini Gruamontis de Cazanimicis fratris sui, & vocavit filios suos Veneticum, & Cazamnimicum, & præcepit eis, quòd interficerent Dominum Guidonem. Et tunc dictus Cazanimicus cum uno gladio percussit, & interfecit dictum Guidonem, qui Guido sepultus fuit ad Ecclesiam S. Petri Episcopatus Bononiæ. Eodem anno Carolus fecit decapitari Conradinum, Ducem de Storich, Comitem Gerardum de Pisis in Neapoli, & ibi sepulti fuerunt. Dominus Nicolaus de Azoguidis dedit filiam suam in uxorem Alberto de Papazonibus filio olim Domini Papazonis. Dominus Pinus de Basacomatre accepit in uxorem quamdam viduam filiam Balduini de Asinellis, quæ primò fuerat uxor Andalò de Macagnanis. De mense Aprilis Albertus de Carbonensibus in uno tripudio, quòd fiebat in Curia Domini Magarotti, pervenit ad rixam cum Jannino de Galluciis, & in ipsa rixa dictus Janninus fuit per dictum Albertum acriter vulneratus, & portatus ad domum pro mortuo. Et quidam de Magarottis habens pro malo, quòd hoc fuerat factum ibi, percussit dictum Albertum in facie, de quo fuit magnus rumor in Bononia dicta die. Tamen dictus Janninus evasit de dicto vulnere. Quædam Comitissa de illis, quæ fiunt die primo Maji, erat facta sub porticu Pauli Calzolarii in Saragocia, & habebat unam pulchram bursam cinctam. Et tunc aliqui Juvenes transeuntes proinde fuerunt culpati, quòd acceperant sibi dictam bursam, qua de causa Petrus de Masimilla pater dictæ Comitissæ insultavit dictos Juvenes, & vulneravit unum ex eis, qui vocabatur Johannes Tarasoculus. Qua de causa omnes capti fuerunt, unde repertum fuit verum, quòd ipsi fuerint illi, qui accepissent bursam dictæ Comitissæ. Eodem anno de mense Maii Dominus Crescentius de Crescentiis, & Dominus Paulus de Tebaldis iverunt pro Ambaxiatoribus Communis Bononiæ ad Civitatem Venetiarum. Et Dominus Crescentius obiit in Venetiis, & fuit asportatus Bononiam ad sepeliendum, & fuit sepultus valde honorificè ad S. Franciscum cum Baldachino, & aliis honoribus, quia erat Miles valde honorabilis, & discretus. Et postea per paucos dies, considerato, quòd Dominus Crescentius mortuus erat in servitio Communis Bononiæ, Commune Bononiæ solvit totam expensam suæ sepulturæ, & fecerunt Militem filium suum majorem Philippinum de Crescentiis.

MCCLXIX. Dominus Albertus de Fontana de Placentia fuit Potestas Bononiæ. Factum fuit Palatium novum Antianorum Communis Bononiæ, & Turris campanarum Populi. Robertus de la Fratta in Palatio Domini Potestatis pervenit ad verba inhonesta cum Potestate, ex quo dictus Robertus voluit percutere Potestatem, qua de causa Rober-

bertus fuit exosus Antianis, & præceptum fuit sibi, quòd pro honore Potestatis non staret in Bononia durante officio dicti Potestatis, nec ipse, nec aliquis masculus de sua familia; & ob id ipse ivit ad standum in rure durante officio dicti Potestatis, & postea fuit reversus Bononiam. In quodam tripudio, quod fiebat in domo de Ramponibus ad festum filii Domini Bechi Ramponi, qui acceperat in uxorem filiam Scappæ de Scappis, fuit magnus rumor, quia Bertolinus de Beccadellis voluit accipere manum Gurono de Sala, qui erat juxta unam Dominam in tripudio, & tunc ille de Sala percussit Bertolinum de Beccadellis in facie cum uno gladio una magna percussione. Ex quo fuit ibi magnus rumor inter Beccadellos, & aliquos de Sala, qui erant ad dictum festum; & traxit ibi Dominus Potestas, & sedavit dictum rumorem, & capi fecit dictum Guronem, qui stetit captus circa unum mensem. Dominus Rizardus de Villa Capitaneus Populi Bononiæ fuit expulsus de officio propter condemnationes, quas ipse fecerat de Saraceno de Lambertinis, & multis aliis, eo quod dictus Saracenus iverat ad domos de Vandolis in Strata Castilionis, & per vim unus ex eis surripuit Abbatissam. Et etiam quia dictus Saracenus petebat sibi donari mille libras Bononienses de avere Communis Bononiæ, & jam dicebatur esse reformatum, quòd haberet libras sexcentum; sed Antiani dicebant, quòd hæc provisio non processerat de ipsorum voluntate. Ob quam causam Massa Populi se congregavit in Ecclesia Sancti Petri, & deliberaverunt, quòd deberet expelli de Capitanaria dictus Dominus Rizardus de Villa, & quòd nullus de sua progenie umquam posset habere regimen in Bononia. Et similiter fuit cassus Dominus Savarixius ejus nepos, qui erat electus novus Capitaneus Populi Bononiæ. Eodem Anno dum Potestas Bononiæ vellet facere certas condemnationes legi in Consilio, quas jam fecerat de quibusdam, rumor magnus fuit in Platea Communis, & gentes incœperunt clamare: *moriatur latro Potestas*. Et tunc Dominus Comacius de Galuciis vênit in Platea cum una banderia, dicens, quòd volebat defendere Commune Bononiæ. Et tunc convocatæ fuerunt Societates sono campanæ, & aliquæ Societates venerunt, & aliquæ non; & Potestas recessit de Arengo, & non fuit ausus morari ibi; & gentes volebant frangere portas Palatii, causâ interficiendi Potestatem; & ipsum interfecissent, si invenire potuissent. Eodem anno de mense Decembris cecidit Turris Domini Guidonis de Griffonibus, quæ Turris erat super cantone, quod vadit ad Monasterium S. Margaritæ ex opposito domus altæ Draghi de Griffonibus, & projecit in terram domum Palmiroli, & domum Gerarducii de Torellis. Quæ Turris erat alta duodecim columbatiis minus quàm Turris Catelanorum. Et fuit mirum, quòd non interfecit aliquam personam, nisi unum Carratorem, quem interfecit, & etiam interfecit boves suos; & dictus Carrator vocabatur Paulus Spadacinta de S. Johanne in Persiceto.

MCCLXX. Dominus Guido de Corrigio fuit Potestas Bononiæ. Comes Guido Salvaticus filius Comitis Rogerii de Mutiliano die primo Martii dum iret de Bononia versùs Romandiolam, inter S. Lazarum, & Pontem Idicis, captus fuit per Ubaldinum de Loglano, & Vinciguerram filium bastardum Comitis Milidoxii de Lamola. Et per vim ligatus fuit, & ductus usque ad terram Genæ. Et cùm Potestas hoc sensit, subitò clamari fecit, quòd omnes milites Civitatis sequerentur militem, & Banderiam Potestatis, & sic secuti fuerunt, & ipsum Comitem Guidonem redemerunt de ipsorum manibus. Quidam Ambaxiator Communis Cæsenæ vênit Bononiam, & quando recessit de Bononia, Dominus Guido Domini Bartholomæi Guidozagni fecit ipsum insultari per tres assassinos juxta domos Cruciferorum; & pervento hoc ad notitiam Potestatis, misit familiam suam, & capti fuerunt dicti Assassini ad Castenaxium, & fuerunt ducti Bononiam, & fecit amputari eis unum pedem pro quolibet eorum. Castrum Primarii, quod est in introitu Padi ad mare, fuit ædificatum per Commune Bononiæ. Eodem anno de mense Junii Dominus Comacius de Galuciis miles duxit in uxorem pro Jano filio suo Misinam filiam & heredem olim D. Guilielmi de Guidozagnis, pro qua habuit ultra septem millia librarum Bononiensium pro dote in pulchris possessionibus. Et occasione nuptiarum factum fuit pulchrum festum, & fuerunt infrascripti quindecim Bagurdatores, videlicet: Janus de Galuciis sponsus, Bertolinus de Galuciis, Opizo de Galuciis, Alexander de Torellis, Pinus de Guastavillanis, Griffonus de Griffonibus, Ravignanus de Balduinis, Ubertinus de Ghisileriis, Minus de Garisendis, Minus de Beccadellis, Bennus de Gozadinis, Dongevalle de Ariostis, Becharinus de Beccariis, Catellanus de Catellanis, & Paulus de Bacelleriis.

MCCLXXI. Dominus Lanfrancus de Janua fuit Potestas Bononiæ. Philippus Rex Franciæ, dum veniret de ultra mare, transivit per Bononiam, & multum fuit à Bononiensibus honoratus. Bononienses dederunt conflictum plusquam MCC. hominibus de Venetiis ad Castrum Primarii; & dicti Venetiani perdiderunt multas personas, & tot & tantas res, quòd valebant ultra viginti mille libras Bononiensium. Facta fuerunt ordinamenta Populi cum vexillo Justitiæ; & fuit splanatum Castrum Savignani cum omnibus Castris, quæ erant citra Scoltennam, secundùm pacta, quæ erant inter Bononiam, & Mutinam. Dominus Tebaldus de Vicecomitibus de Placentia fuit factus Papa, & vocatus Gregorius X. Eodem anno destructæ fuerunt domus Domini Soldani de Galuciis propter mortem Philippini de Societate Branchæ, tam in Civitate Bononiæ, quàm in Villa Funi. Et subsequenter factum fuit interdictum omnibus Magnatibus, quòd non possent ire in rure, nec ascendere Palatium, propter mala opera Magnatum, quæ faciebant quotidie contra Populares, accipiendo sibi mulieres, & multa alia mala faciendo, quæ videbantur intolerabilia.

MCCLXXII. Dominus Luchinus de Gataluxis de Janua fuit Potestas Bononiæ. Rex Hentius filius Federici Imperatoris, qui detentus erat in carceribus Bononiæ, obiit morte naturali in carcere Communis Bononiæ die XIV. mensis Martii; qui steterat vigin-

tiduobus annis, & novem mensibus, & viginti diebus in carceribus. Et fuit balsamatus, & sepultus ad Ecclesiam S. Dominici de Bononia cum maximo honore expensis Communis Bononiæ. Quidam Mercatores derobati fuerunt in quodam busco vocato *Herbaverde*, quod est juxta confinia, & turrem Comitum Albertorum de Magono, per quemdam de dictis Comitibus. Qua de causa Dominus Potestas cum duabus Societatibus iverunt ad Castrum Piglani dictorum Comitum, & ceperunt, & destruxerunt illud, & etiâm Castra Bargatiæ, Castiglum de Gatti, & Bruscoli. Et dum dictus Potestas esset in Piglano, ipse fecit citari Comites Guilielmum, Neapoleonem, & Alexandrum de dictis Comitibus, quòd venirent ad mandata Communis Bononiæ, aliàs ponerentur in banno pro homicidio. Eodem anno Alberghettus de Pepolis filius olim Domini Johannis de Pepolis super Plazola S. Stephani interfecit Bonettum de Andalò, & vulneravit famulum ipsius Bonetti, & incontinenti aufugit in Ferrariam, & stetit in Ferraria. Et quia pater, & alii de Pepolis erant magni, & potentes, ac divites, omnes de Domo de Andalò deliberaverunt facere pacem de morte ipsius Bonetti, de qua pace illi de Pepolis modicum curabant; tamen facta fuit dicta pax, quam omnes communiter vocabant esse pacem caninam.

MCCLXXIII. Dominus Guidescus de Pontecarali fuit Potestas Bononiæ, & Dominus Jacobus Lanzavecchia de Alexandria fuit Capitaneus Populi Bononiensis. Bononienses fecerunt exercitum contra Forlivium de mense Maji; & dum essent in dicto exercitu, Rex Inghilterræ, qui veniebat de ultra mare, vênit, & fecit multos Milites in ipso exercitu. Eodem anno multi & multi banniti & condemnati fuerunt propter multa mala, quæ fiebant; inter quos fuit Ursellus, filius bastardus Domini Jacobi de Cazanimicis, & Flamenghinus Blanchi Corezarii, quia malo modo interfecerant quemdam puerum, filium Peregrini de Guilielmis, ad preces Johannis de Guilielmis fratris dicti pueri propter invidiam, volendo quòd mater sua redimeret eum. Eodem anno de mense Novembris obiit Dominus Jacobus de Samaritanis, & sepultus fuit ad S. Franciscum.

MCCLXXIV. Dominus Guilielmus de Posterla de Mediolano fuit Potestas Bononiæ. Eodem Anno Pars Ghibellinorum, & Lambertaciorum de Bononia fuit expulsa de Civitate Bononiæ die secundo Junii, & fugerunt Faventiam, & fuerunt expulsi à Parte Guelfa, & à toto Populo Bononiensi. Qui Ghibellini expulsi fuerunt ultra duodecim mille homines. Et hæc fuit prima expulsio partis Lambertaciorum. Et modus fuit iste; quia de mense Aprilis ordinatum fuerat, quòd apud Forlivium fieret exercitus, & pars Lambertaciorum dolebat de exercitu, & pars Jeremiensis gaudebat. Et ob id incœptum fuit prœlium in Platea inter Guelfos, & Ghibellinos, & Populus traxit ad arma. Et Lambertacii ascenderunt domos suas, & projiciebant lapides Populo: de quo Populus turbatus fuit valde. Et accessit Populus ad Potestatem, dicendo, quòd securè faceret justitiam, & officium suum. Tunc Potestas fecit destrui quatuor domos de parte Lambertaciorum, & duas de parte Jeremiensium. Et ob id utraque Pars fecit magna guarnimenta. Et tunc Societas Branchæ, & Societas Griffonis cœperunt manutenere Populum, & Commune, & iverunt ad custodiendam Portam S. Felicis, quia dicebatur, quòd guarnimenta partis Jeremiensium de Lombardia deberent intrare per illam Portam; quæ guarnimenta intrare volebant per Portam S. Isaiæ. Et tunc dictæ Societates iverunt eis obviam extra Portam, & prœliatæ fuerunt cum eis in tantum, quòd dicta guarnimenta conflicta fuerunt, & multi capti, & mortui fuerunt. Et tunc Comes Maghinardus de Panico, qui venerat ad habitandum in Ecclesia S. Isaiæ, jam ceperat plures domos in Contrata S. Isaiæ, & Pradelli; & timens de dictis Societatibus, aufugit, & quamplures de suis mortui fuerunt. Comes autem Ugolinus de Panico, qui erat contrarius dicti Comitis Maghinardi, & ceperat Serraglium Saragotiæ, & quamplures domos de Saragotia, fuit etiam infugatus per quasdam alias Societates Bononiæ; & plures de suis mortui, & vulnerati fuerunt, & dictum Serraglium arserunt, & multas domos derobaverunt. Guarnimenta verò partis Lambertaciorum, venientia de Romandiola, ceperunt Imolam, Faventiam, & Solarolum, & venerunt usque ad Castrum S. Petri, faciendo maxima damna; & cùm audiverunt, quòd guarnimenta partis Jeremiensis recesserant, incontinenti redierunt Faventiam cum pluribus captis de Faventia, quos secum duxerunt Forlivium, inter quos mortuus fuit quidam magnus & potens Civis Faventinus, qui vocabatur Beltade. Et pro dictis damnis datis dati fuerunt obsides Communi Bononiæ, qui pro utraque parte dati fuerunt in guardiam Societati Branchæ, de qua Societate multum confidebant ambæ Partes, & debebant duci ad Castrum Francum, usque dum Imola, Faventia, & Solarolum restituta essent Communi Bononiæ, ac etiam Forlivium, secundùm pacta antiqua. Et sic dati fuerunt dicti obsides, & ducti ad Castrum Francum, ubi diu steterunt. Et extractum fuit Carrocium extra in Platea cum magno gaudio, causâ eundi Faventiam, & Forlivium ad exercitum. Et tunc insultatum fuit Carrocium, & custodientes illud, & incœptum fuit magnum prœlium inter partes, videlicet Lambertacios, & Jeremienses; & pars Lambertaciorum perdidit, & fuit expulsa de Civitate Bononiæ. In qua expulsione multi & multi Ghibellini mortui & vulnerati fuerunt. Et tunc Dominus Potestas Bononiæ, & Dominus Capitaneus Populi expulsi fuerunt de regimine. Et Dominus Rolandinus Putaglus de Parma vênit Bononiam loco Potestatis. Et inter alios mortuos fuerunt Dominus Peregrinus de Rustiganis, Dominus Magarottus de Magarottis, Dominus Bonifacius de Ariostis & in fuga facta contra Lambertacios multi mortui & suffocati fuerunt, inter quos fuerunt Dominus Castellanus de Andalò, & Domina Castoria ejus uxor, & multi alii, & etiam multi alii citati & carcerati fuerunt, & bona sua confiscata fuerunt.

MCCLXXV. Dominus Nicolaus de Baluganis de Exio fuit Potestas Bononiæ, & Dominus Malatesta de Malatestis de Arimino fuit

fuit Capitaneus Populi. Eodem anno de mense Aprilis in die S. Gregorii magnum prœlium fuit inter Bononienses intrinsecos ex una parte, & Bononienses Ghibellinos expulsos ex alia parte ad Pontem S. Proculi. Et Bononienses fugati fuerunt per dictos Ghibellinos, & multi capti usque ad rivum Sanguinarium; & quando recesserunt, Bononienses ipsi interfecerunt prope rastellum Faventiæ quadraginta Faventinos. De mense autem Junii sequentis Bononienses cum magno exercitu de novo iverunt Faventiam, & hospitati fuerunt juxta Pontem S. Proculi, & fecerunt magna damna in illis contratis in bladis & aliis. Sed die XIII. Junii Faventini, & Forlivenses, & Comes de Monteferetro cum tota Mutiliana, & cum omnibus Ghibellinis expulsis de Bononia, venerunt contra Bononienses, & ipsos insultaverunt, & conflixerunt Populum, quia equites dimiserunt pedites; tamen pedites se reduxerunt apud Carrocium, & cum balistis fecerunt magnum damnum Ghibellinis, & multos eorum interfecerunt. Tamen finaliter Ghibellini obtinuerunt, & mortui fuerunt ibi circa duo mille Bononienses, & capti fuerunt circa ter mille currus. Bononienses perdiderunt Cerviam propter defectum Plevalis de Stupa Civis Bononiensis, Capitanei Castri Cerviæ, qui Plevale fuit proditor contra Bononiam, & pro pecunia dedit ipsum Castrum Forliviensibus. Lambertacii expulsi acceperunt multa Castra, Communis Bononiæ, videlicet Castrum Leonem, [illegible], Bisanum, Loglanum, & multa alia. Dominus Landulfus Abbas Nonantulæ mortuus fuit à filio Curtapellis de Nonantula, & Gorico Domini Ugolini de Savignano de Mutina.

MCCLXXVI. Dominus Rizardus de Belvaro, Dominus de Duroforti, qui dicebatur Rizardus de Belvedere, erat Miles Domini Regis Caroli, & fuit factus Potestas Bononiæ pro conservando partem Guelfam, & obiit in Bononia die XV. Octobris tempore sui regiminis, & sepultus fuit in primo claustro Ecclesiæ S. Francisci expensis Communis Bononiæ. Bononienses fecerunt exercitum ad Castra Belvederis, Castri Leonis, Montisfortis, & Predacoloriæ. Et in Predacoloria capti fuerunt decem Banniti expulsi, quos Bannitos Commune Bononiæ poni fecit in Palatio Domini Potestatis in quadam camera, quæ tunc postea ab inde citra nominata fuit Predacolora, ubi dicti Banniti capti carcerati fuerunt. Commune Bononiæ recuperavit & habuit Castrum Loglani, & Castrum Bixani ab Ubaldino de Loglano pro libris MMMMD. Bononiensium, quas sibi dedit Commune Bononiæ. Et tunc dictus Ubaldinus juravit partem Guelfam in Consilio Populi Bononiensis per publicum Instrumentum. Et tunc Jacobinus Panzachia, fumans Terræ Roncastaldi, fuit mediator de concordio, & dicta de causa fuit factus Civis Bononiæ, & extractus de Fumantaria. Eodem anno de mense Junii Domnus Jacobinus, filius Andreoli Pelacani fuit positus in gaiba, eo quia ipse interfecit Domnum Peregrinum de Paderno, & causa fuit, quia ambo dicti Presbyteri procurabant habere Ecclesiam S. Nicolai de Villola. Et dum ipsi Presbyteri essent sub porticu domus Ser Guidonis de Griffonibus, & fratrum suorum Patronorum ipsius Ecclesiæ, ipsi Presbyteri venerunt ad verba insimul. Ex quo dictus Domnus Jacobinus cum uno gladio à pane interfecit dictum Domnum Peregrinum; & unus ex filiis dicti Ser Guidonis, qui erat magnus homo in Populo, fecit ipsum capi, & duci in forciam Domini Episcopi Bononiæ. Qui Dominus Episcopus ipsum poni fecit in gaiba, in qua stetit quadraginta octo diebus, & ibi mortuus fuit. Et tunc dicti de Griffonibus patroni elegerunt unum Presbyterum consanguineum dicti Domni Peregrini ad dictam Ecclesiam S. Nicolai. Dominus Castellanus de Andalò, qui steterat in carceribus Bononiæ duobus annis, & duobus mensibus, obiit in dictis carceribus, & sepultus fuit in Ecclesia S. Dominici de Bononia. Dominus Rambertus de Guidonibus duxit in uxorem filiam Domini Cazanimici de Cazanimicis die octavo mensis Novembris, & dicta die conventuavit se in Legibus, & factus fuit Doctor per dictum Dominum Cazanimicum ejus Socerum, & factum fuit pulchrum festum dicta de causa, & cùm fuit conventuatus duxit ipsam Dominam Mutinæ ad domum suam.

MCCLXXVII. Dominus Stoldus de Rubeis de Florentia fuit Potestas Bononiæ. Bononienses euntes Ravennam de mense Junii fuerunt conflicti à Lambertaciis expulsis prope Faventiam, in quo conflictu Dominus Jacobinus de Prendipartibus fuit mortuus à Guidone de Acharixiis de Faventia, & capti fuerunt circa ducenti de Bononiensibus, quos habuerunt Lambertacii. Bastardinus de Griffonibus, qui erat juvenis valde rixosus, interfecit Militem Domini Potestatis super Plazola S. Salvatoris, & aufugit in Monasterio S. Francisci; & dictum fuit, quòd Fratres vestierunt ipsum ad modum Fratris Minoris, & duxerunt ipsum extra. Et multi doluerunt, quòd evaderet, quia erat nimis malus homo. Fuit maxima quantitas cavallettarum volantium per aërem, quæ omnia cibaria imbrattaverunt.

MCCLXXVIII. Vênit ad Civitatem Bononiæ quidam Frater Laurentius de Ordine Fratrum Prædicatorum pro parte Domini Papæ, ad tractandam concordiam inter partem Jeremiensem, & partem Lambertaciorum. Et statim fuit factum compromissum in ipsum per ambas Partes, & facti fuerunt duo Syndici ad parendum laudo dando per ipsum Fratrem Laurentium. Eodem Anno Bononienses dederunt Domino Papæ Civitatem, & Comitatum Bononiæ, salvis juribus, quæ habebant in Romandiola, & sic firmatum fuit.

MCCLXXIX. Dominus Papa Nicolaus elegit Dominum Bertoldum de Ursinis ejus fratrem, Comitem Romandiolæ, & etiam fecit ipsum Potestatem Bononiæ, & sic confirmatus fuit per Bononienses. Et in Bononia erat Dominus Stoldus Jacob suus Locumtenens, & Vicarius. Eodem anno de mense Maji Comes Maghinardus de Panico mortuus fuit. Facta fuit pax inter Manfredos de Faventia, & Acharixios de dicta Terra, qui de Manfredis erant tunc expulsi de Faventia. Facta fuit pax inter Ghibellinos expulsos de Bononia, & Guelfos regentes. Et occasione dictæ pacis Ghibellini redierunt Bono-

noniam de voluntate Guelforum die XXVII. Septembris. Lambertacii iterum & de novo fuerunt omnes expulsi de Bononia die XXI. Decembris. Et hoc fuit propter suum defectum, & propter suam superbiam; quia cùm ipsi viderunt se reversos, ipsi incœperunt habere tantam superbiam, quod erat nimis; & dicebant, quòd volebant medietatem omnium Officiorum & honorum totius Communitatis; & quotidie susurrabant, & minabantur Guelfis. Itaque Pars Guelforum non potuit sufferre tantam superbiam, & finaliter ipsi expulerunt, & robaverunt omnes ipsos Ghibellinos, & fuit error secundus pejor priore. Et tunc fuit maximus rumor in Bononia, ex quo multi Ghibellini interfecti fuerunt. Dominus Matthiolus de Griffonibus Civis Bononiæ fuit electus Potestas Civitatis Senarum, & obiit illo anno. Combusta fuit Tixia Tricola, eo quia fecerat malias, & affacturaverat uxorem Petri de Tenchararíis, ex qua affacturatione ipsa decessit.

MCCLXXX. Dominus Comes Bertoldus de Ursinis, frater Domini Papæ, fuit Potestas Bononiæ. Dominus Papa Nicolaus de Ursinis obiit de mense Augusti. Civitas Faventiæ capta & habita fuit per Bononienses die XIII. Decembris. Et fuit eis data per Tebaldellum Saraxini de Zambraxiis de Faventia, qui Tebaldellus fuit factus Civis Bononiæ in Consilio Populi in anno Domini MCCXCII. ipse, & frater suus Zambraxius, & Guido de Zambraxiis, & omnes de domo sua. Et causa fuit ista, quia Lambertacii expulsi de Bononia, morantes in Faventia, abstulerunt unum porcum Tebaldello, & minabantur sibi quotidie facere pejus. Et tunc Tebaldellus propter illud despectum misit subitò Bononiensibus formam clavium Portarum Faventiæ. Et subitò Pars Guelforum de Bononia venerunt Faventiam cum clavibus cum maxima quantitate gentium, & intraverunt Faventiam, & ceperunt ipsam, & interfecerunt omnes de Parte Lambertaciorum, quos habere potuerunt. Itaque omnes mortui, vel fugati fuerunt; & omnes clavigæ, & andronæ de Faventia erant plenæ Ghibellinorum mortuorum. Et in perpetuam memoriam dicti porcelli ordinatum fuit in Populo Bononiensi, quòd semper omni anno in Bononia curreretur unum bravium in die S. Bertoli per Stratam Majorem, in quo bravio esset semper unus porcus arrostitus amore Tebaldelli de Zambraxiis de Faventia. Silta troni percussit Turrim Catellanorum, & certas alias turres, & interfecit Candinum Calzolarium de Sozonome de Saragocia, & ejus uxorem.

MCCLXXXI. Dominus Stoldus Jacob fuit Potestas Civitatis Bononiæ. Dominus Ugolinus de Rubeis fuit Capitaneus Populi Bononiensis. Dominus Bertoldus de Ursinis, de quo supra fuit mentio, ivit Romam, & duxit secum quadraginta obsides de Parte Lambertaciorum de Bononia, & restituit obsides Partis Jeremiensium pro libris quindecim mille Bononiensium. Guelfi de Faventia debellati fuerunt à Ghibellinis de Forlivio apud Durbechum de mense Martii. Gallici die primo Maji fuerunt conflicti apud Forlivium, & tunc Dominus Johannes de Apia de Francia erat Capitaneus dictorum Gallicorum.

A

B

C

D

E

MCCLXXXII. Commune Bononiæ fecit fumantes Comitatus, & emit omnes servos, & ancillas ab omnibus Nobilibus Civitatis Bononiæ pro pretio unius starii frumenti pro quolibet, qui habebat boves, & unius quartarolæ pro quolibet de zappa. Et tunc factæ fuerunt Potestariæ de Sacco, quæ anno quolibet de mense Novembris mittebantur ad brevia in Consilio vocum quatuor millium Civitatis Bononiæ, & quilibet de dicto Consilio, cui ad fortunam contingebat una ex dictis Potestariis, habebat illo anno à quocumque fumante illius Villæ unum starium frumenti ab illo de bobus, & unam quartarolam frumenti ab illo de zappa. Et per istum bonum modum Commune Bononiæ extraxit suos Comitatinos de servitute, & de manibus Nobilium Civitatis Bononiæ, quorum ipsi fumantes erant fideles, & servi.

MCCLXXXIII. Dominus Nicolucius de Esio fuit Potestas Bononiæ. Dominus Johannes de Passarolo fuit Capitaneus Populi Bononiensis. Dominus Azo Marchio Estensis, filius Domini Marchionis Opizonis, duxit in uxorem Dominam Johannam de Ursinis de Roma, nobilissimam Dominam, & duxit ipsam in Ferrariam. Civitas Forlivii venit ad mandata Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & fuerunt splanatæ fossæ dictæ Civitatis. Et tunc omnes Ghibellini Civitatis Bononiæ, qui erant in Forlivio, expulsi fuerunt de Forlivio.

MCCLXXXIV. Dominus Gerardus de Bustichis, Dominus Comes Thaddæus fuerunt Capitanei Populi Bononiensis, unus pro primis sex mensibus, & alter pro secundis. Johannes Palastrellus fuit Potestas Bononiæ pro primis sex mensibus. Tebaldus de Bruxatis de Brixia fuit Potestas Bononiæ pro secundis. Carolus filius Regis Caroli, qui erat Princeps, captus fuit ab exercitu Regis Petri de Aragona; & Commune Bononiæ misit in auxilium ipsius Caroli quatuorcentum pedites. Dominus Albertus de Rangonibus de Mutina fuit factus Miles super Platea Communis Bononiæ, & Dominus Gerardus Potestas Bononiæ fecit ipsum Militem, & cùm ipse fuit factus, ivit in officio pro Potestate Civitatis Pisarum.

MCCLXXXV. Rex Carolus obiit die V. Januarii, de cujus morte fuit facta magna lamentatio in Bononia, quia valde diligebatur ab omnibus Guelfis Bononiæ. Papa Martinus decessit die XXV. Martii, & loco sui successit Papa Honorius de Sabellis de Roma. Aldobrandus de Arguglosis de Forlivio mortuus fuit a Tullis de Calbulo de Forlivio in die Paschatis Resurrectionis. Dominus Veneticus de Cazanimicis duxit in uxorem filiam Domini Pacis de Pacibus Doctoris die XVI. Aprilis. Positus fuit primus lapis in ædificando Ecclesiam Fratrum S. Jacobi Stratæ S. Donati, quæ erat primò ad S. Jacobum de Sapina.

MCCLXXXVI. Platea Communis Bononiæ fuit ampliata, & fuit destructa Ecclesia S. Mariæ de Rustiganis, quæ erat in Platea, & loco ipsius Ecclesiæ fuit facta una Crux cooperta, & alta cum capello. Ampliatum fuit Trivium Portæ Ravennatis; & Commune Bononiæ emit domos, quæ ibi erant à Pascipovero de Pascipoveris, ab heredibus Jacobini Bugloni, à Blanchettis, Garisendis, Pari-

Parixiis, Vatalianis, & aliis; & chartæ sunt ad Cameram Actorum. Manfredi de Faventia, & Maghinardus de Sosenana acceperunt Faventiam, & expulerunt gentes Ecclesiæ, quæ erant in Faventia. Henricus de Mezovillanis fuit Potestas Civitatis Rhegii. Populus Bononiensis ivit cum magno furore ad domum Domini Ramberti de Bacelleriis, & destruxerunt totam ipsam domum, & similiter domos suas de Argele, & dederunt sibi guastum in possessionibus suis; & hoc fuit occasione mortis Guilielmi de Guaraldis de Terra Centi.

MCCLXXXVII. Dominus Bartholomæus de Madiis de Brixia fuit Potestas Bononiæ; & eodem anno facti fuerunt muri cum merlis ad omnes Portas Civitatis Bononiæ. Rangoni de Mutina, & Pars sua, & Populus Mutinensium dederunt Civitatem Mutinæ Domino Opizoni Estensi Marchioni de Ferraria. Civitas Tripoli capta fuit à Saracenis. Factum fuit primum molendinum in Bononia juxta Campum-Fori.

MCCLXXXVIII. Portus Macagnani factus fuit per Commune Bononiæ; & Commune Bononiæ emit ripas Canalis ab Hospitali Bifulchæ; & Instrumenta sunt ad Cameram Actorum Bononiæ. Comacius de Tignano mortuus fuit à Chilino suo fratre.

MCCLXXXIX. Dominus Lambertus de Bacelleriis de Bononia fuit strascinatus, & suspensus per gulam, eo quia voluit interficere Dominum Opizonem Estensem Marchionem de Ferraria. Fuit rumor in Bononia, eo quia Potestas nolebat stare ad syndicatum; & dum recedere vellet de Bononia, projecti fuerunt sibi multi lapides, & fuit in magno periculo mortis. Tamen recessit, & sociatus fuit usque ad Pontem Rheni, & familia sua fuit detenta. Tamen omnes fuerunt postea absoluti à Syndicatu.

MCCXC. Dominus Raynaldus de Cancelleriis de Pistorio fuit Potestas Bononiæ. Bernardinus de Scottis de Placentia fuit Capitaneus. Eodem Anno die ultimo Julii domus Henrici de Mezovillanis fuit combusta. Stasius, & Rambertus Domini Guidonis de Polenta ceperunt Dominum Stephanum de Colonna Comitem Romandiolæ, & filios suos. Dominus Peregrinus de Simopizolis fuit factus Miles; & Dominus Albericus suus pater cinxit sibi spatam; & Dominus Albertus de Asinellis, & Dominus Petrus de Frullanis de Bononia posuerunt sibi sperones. Castrum Gissi, & omnia bona Domini Largoni de Gisso fuerunt destructa tam in Bononia, quàm in Comitatu, occasione homicidii commisit per Albertum ejus filium in personam Thomasini de Gisso. Bononienses ceperunt Imolam, & splanaverunt foveas, & omnes turres ipsius.

MCCXCI. Dominus Antonius de Fosarago fuit Potestas Bononiæ. Dominus Massæus de Madiis de Brixia fuit Capitaneus Populi. Campana grossa Populi Bononiensis facta fuit, & posita fuit super turrim Domini Capitanei Populi. Venit maxima tempestas grandinum à cœlo pluentium, quæ destruxit omnia blada, & uvas per totam montaneam Vallis Rheni. Eodem anno de mense Novembri in die Festi S. Catharinæ fuit unus magnus rumor in Contrata Saragociæ ad domum illorum de Albergatis, ubi tripudiabatur; & quidam Scholaris forensis volebat per vim accipere manum Nicolao de Albergatis, qui tripudiabat cum quadam pulchra Domina prope ipsam; & dictus Nicolaus dedit unam alapam illi Scholari, propter quod fuit magnus rumor in tota illa Contrata; & traxit ad rumorem familia Domini Capitanei, & duxerunt Nicolaum, & illum Scholarem, & certos alios ad Capitaneum. Sed cùm Capitaneus audivit, quòd Sholaris habebat tortum, ipse fecit facere pacem ad invicem, & ipsos ambos relaxavit.

MCCXCII. Dominus Ruffus de Toxinghis de Florentia fuit Potestas Bononiæ. Dominus Guido de Chuzano cum tribus suis filiis, & decemocto suis amicis fuerunt capti in Castro Samodiæ, & fuerunt ducti Bononiam. Qui Dominus Guido, & Columbus ejus filius infra duos dies fuerunt decapitati in Platea, quia erant banniti. Et postea per aliquot dies, omnes alii capti decapitati fuerunt, salvo quòd alii duo filii dicti Domini Guidonis. Dominus Basacomatre de Basacomatribus Potestas Civitatis Faventiæ pro Communi Bononiæ fuit expulsus de Faventia per Cives Faventinos, & per Maghinardum de Sosenana, & per illos de Polenta, & per filium Domini Malatestæ de Malatestis de Arimino. Et tunc Bononienses perdiderunt dominium Civitatis Faventiæ. Dominus Marchio Azo Estensis de Ferraria habuit dominium Civitatis Mutinæ; & jura sunt in Sacristia Fratrum Minorum.

MCCXCIII. Dominus Ottolinus de Mandello de Mediolano fuit Potestas Bononiæ. Palatium Communis Bononiæ, quod positum est à latere sero Plateæ, incœptum fuit. Dominus Petrus de Gardinis, & Dominus Catellanus de Simopizolis fuerunt facti Milites. Dominus Marchio de Ferraria misit Bononiam ad donandum unum leonem. Mortuus fuit Dominus Usbergus Judex, & dicta de causa fuit destructa domus Maghinardi, & Alberti de Galuciis, quæ erant in curtili Galuciorum, & alia sua domus ad Castrum Britonum, quia ipsi interfecerunt dictum Dominum Usbergum.

MCCXCIV. Dominus Johannes de Lucino de Cumo fuit Potestas Bononiæ. Dominus Marchio Azo Estensis, & Marchio Franciscus facti fuerunt Milites. Et postea fecerunt Milites infrascriptos, videlicet: Dominum Ugolinum de Garisendis: Dominum Lambertinum de Lambertinis: Dominum Gotium de Lambertinis: Dominum Simonem de Lambertinis: Dominum Guilielmum de Cazanimicis: Dominum Opizonem de Peula: Dominum Tucimannum de Malavoltis, & quamplures alios forenses. Dominus Guiducius de Malavoltis fuit factus Miles, & ivit pro Potestate Imolæ. Castrum Capreni pervenit ad manus Communis Bononiæ pro XVI. mille & CC. libris Bononiensium, quas habuit à Communi Bononiæ Ubaldinus de Ubaldinis de Musello.

MCCXCV. Fuit magna fertilitas, & abundantia vini & frumenti: Itaque valebat corbis frumenti soldos sex, & vinum soldos septem, & soldos sex, & soldos quinque, & soldos quatuor. Illi de Manfredis, & Comites de Cunio cum suis amicis fuerunt expulsi de Faventia per Ma-

Maghinardum de Sosenana, Acharixios, & Zambraxios de Faventia. Eodem anno mortui fuerunt Manfredus, & Alberghettus de Manfredis de Faventia ab Ugolino, & Francisco de Manfredis, præsente Fratre Alberico de Manfredis, & ideo dicitur proverbium *de le frutte di Fra Alberigo*. Dominus Matthæus de Blanchittis fuit electus Potestas Civitatis Senarum.

MCCXCVI. Pars Lambertaciorum, & Maghinardus, & Alidosius de Linario cum magna comitiva ceperunt Imolam Bononiensibus, & fuerunt conflicti quatuor mille pedites, & equites de quarterio Portæ S. Petri Civitatis Bononiensis, qui erant in Imola, & hoc fuit die primo mensis Aprilis. Item die prædicta Dominus Marchio Azo de Ferraria venit de Mutina cum magno exercitu, & ivit ad Bazanum, & illud reædificari fecit in vituperium Communis Bononiæ. Et tunc Bononienses equitaverunt Mutinam; & dictus Marchio sentiens hoc aufugit de campo cum modico honore, & gens sua recepit magnum damnum. Dominus Nordolus de Nordolis de Imola, qui expulsus erat de Imola, unà cum aliis extrinsecis Imolæ, & cum stipendiariis Communis Bononiæ, accepit Castrum Massæ Comitatus Imolæ, & dedit illud Communi Bononiæ. Eodem anno die XXV. Septembris Bononienses equitaverunt versus Mutinam, & fecerunt magnum damnum Mutinensibus, & in reversione sua in die S. Michaëlis ceperunt Castrum Savignani, & mortui fuerunt quasi omnes, qui erant in dicto Castro.

MCCXCVII. Comites de Panico, & Albertus Domini Antonii de Galuciis interfecerunt Dominum Dalfinum Domini Michaëlis Prioris juxta Pontesellum S. Arcangeli in Bononia; & propter illum Dominum Dalfinum, & ab ejus nomine illi de Dalfinis nominati fuerunt postea de Dalfinis, ubi primò vocabantur illi de Priore. Et ob illam mortem non potest ædificari aliquid super illo casamento, quod est prope Pontesellum S. Archangeli. Facta fuit concordia per Bononienses cum Comite Alberto Comitis Alexandri de Mangone, qui vendidit Communi Bononiæ Castrum Bargatiæ. Eodem anno die XIII. Julii Commune Bononiæ misit tres Ambaxiatores ad Dominum nostrum Papam, indutos de eodem panno expensis Communis Bononiæ. Qui Ambaxiatores fuerunt infrascripti, videlicet: Dominus Albertus de Cazanimicis Miles: Dominus Andreas de Albirolis, Doctor: & Guilielmus de Griffonibus.

MCCXCVIII. Dominus Nordolus de Nordolis de Imola fuit decapitatus in Platea Communis Bononiæ, eo quia volebat accipere Communi Bononiæ Castrum Massæ, quod dederat Communi Bononiæ. Raule de Zambraxiis de Faventia mortuus fuit prope Barbianum à gente Comitis Malvixini de Bagnacavallo. Marchio Estensis misit diffidando Commune Bononiæ, & misit sibi guantum battagliæ. Et tunc Bononienses cum magno gaudio sine alicujus alterius auxilio equitaverunt ultra Plumacium super territorio Mutinæ, & fecerunt splanari omnes passus. Quo audito Marchio, qui exierat de Mutina cum suo exercitu, recessit de campo, & intravit Mutinam. Reversus est, & cancellatus de banno Bastardinus Domini Andalò de Griffonibus, qui erat expulsus pro morte Militis Domini Potestatis Bononiæ. Obiit Galucina de Galuciis, juvenis valde pulcherrima, & Domicella, de qua omnes doluerunt.

MCCXCIX. Facta fuit pax inter Bononienses, & Dominum Marchionem Estensem mediantibus Ambaxiatoribus Florentinorum; & factum fuit compromissum de ipsa parte per dictas partes in dictos Ambaxiatores, & aperti fuerunt subitò omnes passus, & omnes carcerati utriusque partis relaxati fuerunt. Factum fuit compromissum, laudum, & pax inter Bononienses Guelfos intrinsecos ex una parte, & Ghibellinos expulsos ex altera, & multi redierunt; & arbitri fuerunt Dominus Massæus Vicecomes de Mediolano, & Dominus Canis de la Scala de Verona. Dominus Florianus de Garisendis de Bononia fuit electus Potestas Mediolani, quod officium acceptavit, sed obiit ante principium dicti officii. Itaque non potuit ire ad officium, & de ipsius morte omnes valde doluerunt, eo quia erat valde bonus Miles, & homo sapiens, & bonæ conscientiæ, & famæ. Eodem anno in Vigilia Nativitatis Dominus Papa Bonifacius VIII. protulit sententiam super quæstione, quæ erat inter Commune Bononiæ ex una parte, & Dominum Marchionem Estensem ex alia, & Commune Mutinæ de Castris Bazani, Savignani, & aliis Terris promissis Communi Bononiæ; & jura sunt in Archivo publico Communis Bononiæ, & in Sacristia Fratrum Minorum.

MCCC. Frater Nicolaus de Guidonibus de Mutina filius Genannis Spurii de Guidonibus, qui erat de Ordine Fratrum Minorum, & erat valde bonus Prædicator, obiit morte subitanea, quia cecidit mortuus in terram, dum iret per claustrum S. Francisci, & hoc fuit die VII. Januarii. Et die sequenti, dum alii Fratres portarent ipsum ad sepeliendum, ipse levavit unam manum, & extraxit scapellarium de capite unius ex Fratribus, qui portabant eum; & tunc ille Frater propter timorem cecidit tramortitus; & dictus Frater Nicolaus revixit, & vixit postea per duodecim annos ultra; & dicebat, quòd viderat magnalia, & multa nova de quampluribus, qui mortui erant, jam erat longum tempus. Civitas Eugubii accepta fuit Guelphis per Ghibellinos, qui intraverant intus per modum peregrinorum. Tamen ipsi modico tempore tenuerunt eam; nam post quadraginta dies, vel circa perdiderunt eam, operante potentia Papæ Bonifacii tunc regnantis, qui isto anno fecit Jubilæum. Eodem anno de mense prædicto Januarii primo die, Laudum, quod latum fuit per Papam Bonifacium, in quo die XXIV. Decembris laudavit, Bazanum, & Savignanum esse Communis Bononiæ, hodie fuit publicatum ad arengheriam Communis Bononiæ.

MCCCI. Commune Bononiæ misit Mediolanum centum milites à duobus equis pro quolibet in servitium Domini Matthæi Vicecomitis Mediolani &c., pro duobus mensibus. Comes Albertus de Mangone fuit factus Capitaneus Montaneæ Bononiensis. Carolus Senzaterra, frater Regis Franciæ, dum iret Romam, venit Bononiam, & Bononienses fecerunt sibi maximum honorem, & tunc pro

pro sui honore facti fuerunt septem Milites, videlicet; Dominus Peregrinus de Galuciis: Dominus Blancus de Galuciis: Dominus Philippus de Asinellis, ætatis duodecim annorum: Dominus Jacobus de Bacelleriis: Dominus Jacobus de Tebaldis: Dominus Albertus de Asinellis: Dominus Franciscus de Bentivoglis.

MCCCII. Obiit Maghinardus de Sosesana die Lunæ XVI. Augusti, & sepultus fuit in habitu Fratrum Vallisumbrosæ. Zordanus, & Bernardus de Boccadeferris prope pontem Lavini fuerunt insultati à Jacobo de Judicibus de Plumacio, & ante domum Alberti de Calanchis ad Burgum Panicalis mortuus fuit dictus Zordanus.

MCCCIII. Obiit Dominus Papa Bonifacius de mense Septembris in Roma, anno nono sui Pontificatus. Expulsi, confinati, & banniti fuerunt multi Cives Bononienses de Bononia pro parte Marchesana, & destructæ fuerunt quamplures domus, & Turres eorum. Et Commune Bononiæ fecit palanchari Castrum Unzolæ, & duxerunt aquam in foveas Castri à fontana de Pozadello. Et incisum fuit caput Castellano de Plantavignis in Curia Communis. Obiit, & sepultus fuit Dominus Antonius de Galuciis, Miles valde honoratus, dilectus à Civibus Bononiæ, & cum maximo honore sepultus ad S. Dominicum; ad cujus exequias fuerunt omnia Regimina Civitatis Bononiæ, & Homines Societatum; & usque tunc numquam visum fuit fieri majorem honorem alicui alteri sepulturæ: hoc fuit die octava Julii. Eodem anno in die S. Jacobi de mense Julii Dominus Comacius, & Dominus Ubaldinus, fratres, & filii dicti olim Domini Antonii de Galuciis fuerunt facti Milites à Communi Bononiæ in Curia dicti Communis; & dictus Dominus Ubaldinus fuit etiam doctoratus in Legibus, & accepit in uxorem Dominam Claram, filiam Domini Fulchi de Pacibus.

MCCCIV. Philippus de Vianova Capellæ S. Margaritæ interfectus fuit, qua de causa destructæ fuerunt domus Sanguinei, & Michaëlis de Ceula, & omnia alia eorum bona. Commune Rhegii misit duo Quarteria Forlivium in servitium Communis Forlivii. Dominus Ingilfredus de Padua fuit Potestas Bononiæ, & Dominus Rambertus de Rambertis de Ferraria fuit Capitaneus. Dominus Marcus de Albergatis fuit electus Potestas Civitatis Parmæ. Fuit maxima pluvia in Bononia, quæ incœpit die XXII. mensis Aprilis, & duravit usque ad XVII. diem mensis Maji. Eodem anno & mense Baldinus Comes bastardus de Panico fuit decapitatus unà cum duobus de Luninaxio, & duobus de Venola pro quadam proditione in Campo Fori.

MCCCV. Dominus Marchio Azzo Estensis de Ferraria duxit in uxorem Dominam Beatrixiam, filiam Regis Caroli de Francia. Eodem anno de mense Maji pluit continuò duobus diebus, & duabus noctibus, qua de causa Navigium inundavit domos S. Felicis, & una pars Sassi Grosinæ ruit, ita quòd occidit Eremitam, qui ibi habitabat. Dominus Henricus de Mezovillanis fuit Potestas Civitatis Pisarum. Duo Quarteria Civitatis Bononiæ, videlicet illi de Porta Ravignana, & S. Proculi, equitaverunt ad Pontem S. Ambrosii, & ceperunt ipsum Pontem. Eodem anno de mense Novembris Potestas Bononiæ, & tota militia cum equitatoribus, & equabus Comitatus iverunt ad Castrum Marani de Campiglia, & ceperunt illud, & ædificaverunt unum aliud Castrum juxta Pontem S. Ambrosii à sero aquæ. Fuit eodem Anno Secta Fratris Dulcini, qui primò voluit comburi, quàm pœnitere.

MCCCVI. Dominus Simon de Parma, Potestas Bononiæ, Antiani Communis Bononiæ, Buxinus Proconsul Notariorum, & Dominicus Lixignolus, Defensor Communis pro viginti Societatibus Artium, & armorum Civitatis Bononiensis, miserunt pro omnibus Defensoribus veteribus, quia dicebatur quòd Ghibellini procurabant facere novitatem in Bononia; inter quos Defensores Julianus de Forbicibus, & Johannes de Sancto Rosello requisiti fuerunt à Domino Potestate, & Regiminibus de dicto negotio, si aliquid sciebant. Qui Julianus confessus fuit, quòd ipse unà cum Domino Umadano de Simopizolis, & de voluntate aliorum, qui tunc regnabant in Bononia, iverunt pro Ambaxiatoribus ad Civitatem Mantuæ, & Veronæ, causâ ordinandi tractatum faciendi cavalcatam super territorio Domini Marchionis Ferrariæ, quod minimè fecerunt, immo tractaverunt venire ad Civitatem Rhegii, & accipere Rhegium, & expellere de Rhegio Partem Ecclesiæ. Et illi de Romandiola debebant venire Bononiam, & expellere de Bononia Partem Ecclesiæ, videlicet Partem Guelpham. Et principales hujus tractatus fuerunt Dominus Bonincontrus de Hospitali Judex, Dominus Paulus de Corvis, & Franciscus Guilielmi de Guastavillanis, cum multis aliis de Parte Lambertaciorum. Et tunc Populus Bononiæ cucurrit ad Plateam, clamando, & dicendo: *Moriantur Proditores: mittatis ipsos Proditores inferius; aliàs nos comburemus Palatium, & interficiemus omnes vos*. Et tunc Antiani ceperunt prædictos Julianum de Forbicibus, & Johannem de S. Rosillo, & cum chordis, sive funibus affogare volebant ipsos infra, ut nullo modo aliquis perpenderet de eis. Tunc Proconsul Notariorum vocari fecit per Bannitorem totum Populum, ut ipsi audirent confessionem ipsorum, ut melius evadere possent. Sed fuerunt aliqui, qui perpenderunt de facto, & obviaverunt eis, & prædictos Julianum, & Johannem incontinenti crudeliter occiderunt; & cùm fuerunt mortui, pueri diviserunt membra eorum, & portaverunt ipsa cum uncinis ligata ad domos dictorum mortuorum, & per Civitatem strascinaverunt. Hoc facto, Dominus Potestas poni fecit unam candelam accensam ad Arengheriam, & citari fecit prædictos Dominum Bonincontrum, Paulum de Corvis, & Franciscum de Guastavillanis, qui non venerunt. Et tunc Populus accessit ad domos eorum, & multorum aliorum de Parte Lambertaciorum, & ipsos robaverunt, & expulerunt de Bononia. Inter quos accesserunt ad domos Domini Jacobi, & Johannis de Ugnano, qui erant de Parte Ecclesiæ; sed quia Beceadelli erant sui inimici, derobati fuerunt, & combustæ fuerunt domus eorum. Postea die vigesimo Maji Dominus Jacobus de Bacelleriis, Albertus de Galuciis, Archipresbyter S. Laurentii, Paganinus Tordinus, & Dolfus Comites de Panico, citati fuerunt, ut

ut venirent ad mandata Communis Bononiæ, quia faciebant guarnimenta causâ veniendi contra Commune Bononiæ; & ipsi noluerunt modo aliquo comparere, & ideo banniti fuerunt, exceptis domibus Domini Jacobi de Bacelleriis, qui comparuit, & paruit mandatis Communis Bononiæ. Et dum dictus Archipresbyter exiret Bononia, quia nolebat stare mandatis Communis Bononiæ, ipse obviavit Militi Domini Potestatis, qui veniebat de Casaliclo de Rheno, causâ destruendi guarnimenta eorum, & ducebat secum tres captos, dictus Archipresbyter unà cum Dolfo de Panico insultavit eum, & acceperunt sibi dictos tres captos. Nocte verò sequenti illi de Boccadeferris accesserunt ad domos inimicorum suorum de Plumacio, & occiderunt duos ex eis, & combusserunt sex domos, & ipsos omnes derobaverunt. Qua de causa dictus Miles Domini Potestatis unà cum Societatibus Lombardorum, & Piliparioriorum iverunt Plumacium, & omnes domos, & fortilitia ipsorum Boccadeferrorum combusserunt; & omnes ipsi fuerunt à Communi Bononiæ banniti dicta de causa. Eodem anno dictus Dominus Jacobus de Bacelleriis de voluntate Societatum Communis Bononiæ fuit restitutus, & rebannitus, & reversus ad Civitatem Bononiæ. Dexius de Chuzano mortuus fuit ad S. Fabianum à Franchutio de Rocha, & à Guercio de Chuzano in vindictam Gualterii de Chuzano. Bononienses obsederunt Turrim Cavallinam, quæ erat Comitis Jacobi de Panico Canonici Bononiensis, quæ Turris erat à latere superiori montis S. Mariæ, & combusserunt ipsam Turrim, salvis personis in ea tunc existentibus. Eodem anno centum Homines equites unà cum centum quinquaginta peditibus, dum sociarent Mucinum Dominum Lamoschachia, qui ibat pro Capitaneo Montaneæ, ad quod officium erat electus à Strata superiori supra, insultati fuerunt prope Panicum à Comite Rodulpho Paganino filio Comitis Mostardæ de Panico, & convicti fuerunt, & magna pars ipsorum mortui fuerunt, inter quos mortui fuerunt Dominus Thomas Domini Lambertini de Ramponibus Miles, Mucinus de Moschachia, unus de Lambertinis, unus de Domo de Vezo, & plures alii. Qua de causa omnes de Panico, filii Maghinardi, ac etiam illi Magardini de Bargatia cum aliis de Domo sua, & multi alii eorum sequaces fuerunt pro proditoribus & rebellibus in banno Communis Bononiæ positi & descripti. Duo Quarteria, videlicet S. Petri, & Steri iverunt ad reforzandum Castrum Panici, quod pridie destruxerant, & dimiserunt ibi quinquaginta equites, & sexcentum pedites, quorum Capitanei fuerunt Jacobus Zordani de Boccadeferris, & Jacobus Domini Dalfini Prioris de Dalfinis, Francutius de Focha, Guercius de Chuzano. Eodem anno Bononienses restituerunt Mutinensibus Pontem S. Ambrosii de gratia speciali, quod eis acceperant, & splanari fecerunt Castrum, quod ibi fecerant, & palancatum, & butifredum portari fecerunt ad Castrum Francum, & hæc omnia fuerunt de mense Augusti.

MCCCVII. Dominus Gerardus Domini Pacis de Bustichis de Florentia fuit Potestas Civitatis Bononiæ pro primis sex mensibus, & confirmatus fuit etiam pro secundis. Eodem anno die VI. Januarii Comites de Panico venerunt ad Castrum-novum, & illud derobaverunt, & venerunt ad Montem Cantaglæ, & illum fortificaverunt, & tenuerunt contra Commune Bononiæ. Et dum erant obsessi per Commune Bononiæ usque ad XXVI. Aprilis, isto medio, videlicet die XXVIIII. Januarii Mostarda Maghinardi de dictis Comitibus fuit decapitatus in platea Communis Bononiæ. Mutinenses de utraque parte ad invicem prœliaverunt, & Pars Guelfa, videlicet Buschetti, & de Savignano, qui noviter redierant, expulsi fuerunt. Quod sentiens Populus Bononiensis equitavit versùs Mutinam, sed ivit tardè, & ob id equitaverunt versùs Nonantulam. Et illi, qui eam tenebant, dederunt ipsam Communi Bononiæ cum omnibus suis juribus, & jurisdictionibus pro tribus millibus libris Bononiensium; & jura sunt in Archivo Communis Bononiæ in Camera Actorum Populi Bononiensis. Eodem anno de mense Maji multi infirmi venerunt ad S. Stephanum, & biberunt de aqua putei S. Petronii in S. Stephano existentis, & sanati fuerunt, lavantes se de aqua prædicta.

MCCCVIII. Dominus Bertoldus de Malpiglis de S. Miniato fuit Potestas Bononiæ. Eodem anno die XXV. Januarii Dominus Azo Marchio Estensis ivit ad balnea Paduæ propter quamdam infirmitatem, & die XXIX. dicti mensis Januarii decessit, & Dominus Freschus ejus filius remansit post eum Dominus Ferrariæ. Qui Dominus Freschus de mense Martii dicti anni fecit decapitari Dominum Ubertum Baldoane intimum amicum dicti Domini Marchionis Azonis, & sex alios, & ipsos projici fecit in Padum. Dominus Ugolinus Comes de Panico mortuus est, & sepultus valde honorificè ad locum Fratrum Prædicatorum. Pars Ecclesiæ, qui erant expulsi de Regio, redierunt in ipsam Civitatem. Ugo de Medicina fuit mortuus à nepotibus suis ad Medicinam. Supradictus Azo Marchio Estensis ante ejus mortem fecit testamentum, in quo testamento reliquit Communi Bononiæ totum Territorium à mane Scoltennæ existens, & instituit sibi heredem Fulchum ejus nepotem. Hoc apparet ad Cameram Actorum, & in Monasterio Fratrum S. Francisci de Bononia.

MCCCIX. Venetiani emerunt Civitatem Ferrariæ à Fulcho nepote olim Domini Azonis Marchionis Estensis, & eam pro parte habuerunt. Qua de causa Dominus Legatus fecit equitare Bononienses contra Civitatem Ferrariæ, qui Bononienses recuperaverunt Ferrariam, & interfecerunt multos Venetos, qui Veneti sepulti fuerunt juxta muros Ferrariæ ad Mottam Gavardi. Tordinus Comes de Panico, qui unà cum Dolfo Comite de Panico occupabant Castrum Stagni, videntes se obsessos à gentibus Communis Bononiæ, & nullo modo posse se defendere, timentes appendi per gulam, noctis tempore fugerunt, & dictum Castrum pro meliori Bononiensibus dimiserunt.

MCCCXI. Dominus Julianus Cambii de Bononia Legum Doctor decessit die Mercurii secundo Februarii. Illi de la Turre de Mediolano fuerunt expulsi de dicta Terra. Foveæ Civitatis Bononiæ cavatæ fuerunt per Comitatinos. Dominus Henricus de Lucimborgo

borgo electus fuit Imperator, & coronatus fuit in Civitate Mediolani Corona de ferro, & uxor sua fuit coronata Corona de argento. Qui Imperator accepit dominium Mediolani Domino Guidoni de la Turre, qui erat Dominus dictæ Civitatis. Paulus de la Fontana Notarius fuit interfectus, & indutus de stamegna fuit combustus propter multas falsitates, quas commiserat.

MCCCXII. Henricus Imperator factus, fuit coronatus Romæ die Festi S. Petri de mense Junii in Ecclesia S. Johannis Lateranensis. Imperator de mense Maji movit se de Pisis, & ivit Viterbium, & postea subitò ivit Romam, & intravit per Pontemmollem, invito Domino Johanne, Fratre Regis Roberti, & Marescalcus Florentiæ ivit contra eum Romam, & etiam Bononienses miserunt CC. milites, & CCC. pedites, & frustra. Et caput dictarum gentium Bononiensium erat Dominus Guilielmus de Guidozagnis, Civis Bononiæ, qui obiit in dicta andata in Urbe veteri, & ob id Bartholomæus filius dicti Domini Guillelmi fuit factus Miles Bononiæ, & ivit loco Patris pro Potestate Rhegii, ad quod officium erat electus dictus Dominus Guilielmus suus Pater. Et quando fuit factus Miles, Commune Bononiæ donavit sibi mille libras Bononiensium. Dominus Gregorius, & Frater ejus, qui erant Consortes Domini Episcopi Bononiensis, accesserunt ad Plebem de Pinu, causa accipiendi tenutam dictæ Plebis, quæ tunc vacabat per mortem Archipresbyteri ipsius Plebis. Et tunc Capitanei de Vizano interfecerunt ipsos, ne acciperent tenutam dictæ Plebis; & de ipsorum morte fuit magnus dolor in tota Bononia.

MCCCXIII. De mense Februarii Dominus Raymundus de Spello, qui fuerat Comes Romandiolæ pro Domino Papa, & nunc erat Marchio Marchiæ Anconæ, discessit de Bononia cum magna comitiva; & dum esset in Comitatu Mutinæ, & cum ipso erat Dominus Franciscus de la Turri, fuit insultatus à Mutinensibus, & interfectus à Paganino Comite de Panico, & à Guidinello, & Scrinerio de Magreto cum majori parte suæ gentis, & derobatus de omnibus bonis, & rebus, quæ habebat secum, ultra septuaginta millia Ducatorum, quos portabat Domino Papæ; & portatum fuit corpus suum ad Sanctum Dominicum Fratrum Prædicatorum de Bononia, & ibi fuit sepultus, indutus scarlato cum magno honore. Imperator prædictus decessit de mense Augusti apud Bonconventum Comitatus Senarum, & dictum fuit, quòd unus Frater Prædicator toxicavit ipsum in Hostia, dando sibi Corpus Christi; & ob id gens Domini Imperatoris multos Fratres dicti Ordinis interfecit. Decessit Matthæus de Ramponibus morte naturali, & ex eo remanserunt duo filii, videlicet Guiducius, & Guilielmus.

MCCCXIV. Dominus Bernardus de Cornigio de Perusio fuit Potestas Civitatis Bononiæ pro primis mensibus. Albertus Azonis de Galuciis, qui erat homo pessimæ conditionis, & multa mala gerebat, fuit captus ad quamdam Plebem prope Fagnanum Sceleris Comitatus Imolæ per familiam dicti Potestatis: & dictus Azo de Galuciis Pater suus, & Albericus de Galuciis fuerunt personaliter ad faciendum capi ipsum, & ad præsentandum ipsum Bononiæ, quo præsentato incontinenti fuit decapitatus in platea Communis Bononiæ. Dominus Pelaglus de Pelaglis de S. Miniato fuit Capitaneus Populi Bononiensis. Dominus Ugolinus de Liazariis fuit factus Miles ad S. Nicolaum de Albaris, quia debebat ire in officio pro Potestate Civitatis Rhegii. Dominus Jacobus de Pontecarali de Brixia fuit Potestas Bononiæ pro secundis sex mensibus. Dominus Fulcus de Pacibus se doctoravit, & fuit factus Miles.

MCCCXV. Dominus Gualtirotus de Marchixiis de Monticulo fuit Potestas Bononiæ pro primis sex mensibus. Dominus Bartholomæus de Sala fuit factus Miles à Domino Catellano de Malavoltis Milite, & illico ivit in regimine ad Civitatem Senarum. Dominus Philippus de Guazalotis de Prato fuit Capitaneus Bononiæ in Calendis Aprilis. Dominus Franciscus de Lambertinis, qui erat pro Ambaxiatore Communis Bononiæ ad Regem Robertum, fuit factus Miles per dictum Regem Robertum de mense Aprilis. Dominus Philippus Rex Franciæ fuit mortuus in una sylva ab uno porco salvatico. Et Carolus suus filius primogenitus successit sibi in Regno. Dominus Tebaldus de Castronovo de Perusio fuit Potestas Bononiæ pro secundis sex mensibus. Eodem anno die primo Augusti obiit Magister Johannes de Grifsonibus Doctor Medicinæ, & sepultus fuit ad S. Dominicum.

MCCCXVI. Eodem anno Dominus Andreas de Rocha de Assisio fuit Potestas Bononiæ pro primis mensibus. Dominus Pantaleo de Padua Capitaneus. Fuit magnus rumor in Bononia, quia filius Domini Ugolini de Garisendis interfecit Fabrinum Fabrum: qua de causa Societas Fabrorum, & Societas Traversarum de Barbaria destruxerunt domos de Garisendis. Et quia Romæus de Pepolis voluit defendere malefactorem, fuit ferè expulsus de Bononia. Dominus Lolus de Guilielmis de Assisio fuit Potestas Bononiæ pro secundis mensibus, & Dominus Miliadosius de Buzacarinis de Padua fuit Capitaneus Populi. Commune Bononiæ misit infrascriptos Cives ad Civitatem Ferrariæ in auxilium, videlicet Dominum Bartholomæum de Guidozagnis pro Potestate Ferrariæ: Dominum Bornium de Samaritanis: Dominum Franciscum de Ghisleriis: Dominum Lanzam de Garisendis: Dominum Albertum Bruxæ de Cazanimicis: Blancolinum Brunini Blanchicosæ, cum CCC. equitibus.

MCCCXVII. Dominus Nicolaus Domini Bandini de Senis fuit Potestas Bononiæ pro primis mensibus. Dominus Guido Savina de Foliano de Rhegio fuit Capitaneus. Marchio Ferrariæ cum adjutorio Bononiensium, & illorum de Buchinpanis de Ferraria expulit Vicarium Domini Regis Roberti extra Civitatem Ferrariæ, & accepit dominium pro se; & hoc fecerunt Marchiones filii Marchionis Aldrovandini.

MCCCXVIII. Dominus Georgius de Ferro fuit Potestas Bononiæ pro primis mensibus. Dominus Azo de Gragnana fuit Capitaneus. Gentilinus de Sala fuit decapitatus in Platea Communis Bononiæ pro proditione, eo quia volebat tradere Castrum Cre-

val-

valcorii Domino Cani de la Scala Domino Veronæ, quod Castrum erat Communis Bononiæ. Dominus Albertinus de Canossa de Rhegio fuit Potestas Bononiæ pro secundis mensibus. Dominus Testa de Tornaquinciis de Florentia fuit Capitaneus Populi Bononiensis pro secundis mensibus. Dominus Papa Johannes fecit magnos processus contra Dominum Matthæum Vicecomitem Dominum Mediolani, & filium suum, eo quia occupabant Civitates Mediolani, Novariæ, Vercellæ, Alexandriæ, Papiæ, Pergami, & Placentiæ. Et misit contra eos Dominum Bertrandum de Pozetto, & Dominum Philippum de Valois filium patrui Domini Regis Franciæ, sed postea in Franciam fuit reversus. Dictus Dominus Papa fecit graves processus contra Raynaldum, & Opizonem Marchiones Estenses, quia occupabant Civitatem Ferrariæ contra voluntatem Ecclesiæ Romanæ. Castrum Consilicis, Montagnanæ, & Castrum Esti pervenerunt ad manus Domini Canis de la Scala de Verona, quæ Castra prius erant Communis Paduæ. Commune Paduæ perdidit Castrum Rhodigii, quod pervenit ad manus Marchionis Estensis propter parvum & debilem animum, quem habuit Guidobertus de Capitibusvachæ de Padua, qui tunc erat Capitaneus dicti Castri pro Communi Paduæ. Civitas Paduæ fuit à suis Civibus derobata, & expulsi fuerunt Guelfi de ipsa Civitate.

MCCCXIX. Dominus Guido de Camilla de Janua fuit Potestas Bononiæ pro primis mensibus. Dominus Guelfus de Puglisiis de Prato fuit Capitaneus Populi pro primis. Qui Dominus Guido Potestas in nocte Veneris sancti, dum esset in officio suæ Potestariæ, aufugit vituperosè de Bononia cum aliquibus de sua familia, & ivit versùs Saonam ad Castrucium, & ad Dominum Imperatorem. Et dicta de causa fuit depictus vituperosè in Palatio; & Dominus Bertolinus de la Turre de Rhegio ejus Vicarius complevit officium Potestariæ pro eo. Dominus Gerardus de Robertis de Tripoli de Rhegio fuit Potestas Bononiæ pro secundis. Dominus Jacobus de Orighis de Aquila fuit Capitaneus pro secundis. Dictus Dominus Potestas de mandato Communis Bononiæ fecit destrui domos Francisci de Ghisileriis, eo quia interfecit, & dedit auxilium, & consilium contra illos de Raysio. Natus fuit Jacobus, filius Magistri Nicolai de Vianova Capellæ S. Margaritæ, & hoc fuit de mense Martii.

MCCCXX. Dominus Zonus de Tebaldis de Civitate Castelli fuit Potestas Bononiæ pro primis. Dominus Jacobus de Pontecarali de Brixia fuit Capitaneus pro primis. Dominus Razante de Foraboschis de Florentia fuit Potestas pro secundis. Dominus Nellus de Tholomæis de Senis fuit Capitaneus Populi pro secundis. Fuit rumor in Bononia inter Romæum de Pepolis ex una parte, & multos alios viros ex alia parte. Eodem anno fuit alius rumor Bononiæ, eo quia Dominus Bambarolus de Bambarolis, Proconsul Societatis Notariorum, nolebat aliquo modo, quòd Capitaneus Populi confirmaretur in officio, & Romæus de Pepolis volebat omnino, quòd ipse confirmaretur.

Sequitur expulsio Romæi de Pepolis.

MCCCXXI. Dominus Justinellus de Firmo fuit Potestas Bononiæ pro primis sex mensibus. Dominus Petrus de Forixiis de Pistorio fuit Capitaneus, & mortuus est in officio, & sepultus ad S. Franciscum. Dictus Dominus Potestas capi fecit Turolam de Albirolis Notarium propter aliquam falsitatem; de qua ipse culpabatur, & etiam cepit certos alios homines, de quibus dictus Potestas volebat facere justitiam. Et Romæus de Pepolis cum suis amicis volebat adjuvare dictum Turolam, & alios, quos credebat non esse culpabiles; immo perpendebat, quòd hoc eis fieri volebat potiùs per partialitatem, quàm per fallum aliquod, quod fecissent. Et illi de Beccadellis, de Rodaldis, de Boateriis, de Sabadinis, & multi alii de Parte Maltraversa procurabant mortem illorum captorum in despectum dicti Romæi de Pepolis. Et loco dicti Domini Petri Capitanei defuncti successit, & electus fuit Dominus Fulcerius de Calbulo de Forlivio, qui fuit Capitaneus Populi. Eodem anno dictus Dominus Justinellus Potestas fecit capi unum Scholarem, vocatum, Dominus Jacobus de Valentia, & plures alios Scholares ultramontanos, eo quia dictus Dominus Jacobus de Valentia unà cum pluribus Scholaribus armata manu violenter volebant, & voluerunt rapere quamdam filiam Chilini de Zagnonibus de Argede, neptem Domini Johannis Andreæ Doctoris; de quo perpendit quidam puer filius dicti Chilini, qui vocabatur Zorginus, & dixit dicto Chilino ejus patri. Et nisi fuissent boni vicini dicti Chilini, qui adjuvaverunt ipsum, filia sua rapiebatur per dictum Scholarem. Tunc dictus Potestas capi fecit dictum Scholarem, & fecit ipsum decapitari, & meritò. Et Romæus de Pepolis fecit totum, quod potuit, ut dictus Scholaris evaderet; & de hoc dictus Romæus valde displicebat omnibus bonis hominibus Civitatis Bononiæ, & maximè illis de Parte Maltraversa, quia dictus Chilinus licèt esset vilis conditionis, tamen erat Maltraversus homo. Dictus Potestas fecit mori multos bannitos Communis Bononiæ, & inter alios fecit mori Guerinum de Varignana, & Cosam de Gozadinis, qui interfecerant Franciscum Domini Beni de Varignana, & fuit principium mali Civitatis Bononiæ. Dominus Albicellus de Bondelmontibus de Florentia fuit Potestas Bononiæ, & non stetit in officio nisi decem diebus, quia erat juvenis, & tenebat nimis Partem Scacchesiam Romæi de Pepolis, nec sciebat facere honesto modo; & faciebat tali modo, quòd ipse reputabatur esse magìs Scacchensis, quam Romæus de Pepolis. Eodem anno die XVII. Julii Romæus de Pepolis, & Filii sui fuerunt expulsi de Civitate Bononiæ; & dictus Dominus Albicellus de Bondelmontibus Potestas etiam fuit expulsus. Et tunc Fuxius de Monzono de Bononia fuit factus Potestas Bononiæ, & stetit solùm tribus diebus in officio; & postea factus fuit Potestas Dominus Azante de Foraboschis de Florentia, & Folcerius de Calbulo fuit Capitaneus. Eodem millesimo die XXVI. Julii Beninus Restani fuit suspensus ad furorem Populi ad Turrim Communis Bononiæ, qui erat magnus Civis.

MCCCXXII. Dominus Nicolaus de Carraria

raria de Padua fuit Poteſtas Bononiæ pro primis ſex menſibus. Dominus Guido de Polenta de Ravenna fuit Capitaneus Populi Bononienſis. Dominus Raynaldus de Caruſio fuit factus Epiſcopus Civitatis Bononiæ. Fuerunt facti multi confinati de Bononia de domo de Gozadinis, & de aliis propter aliquas novitates de Maſſa Lombardorum, & aliis de cauſis. Romæus de Pepolis cum omnibus expulſis de parte ſua, & cum multis de Romandiola, & de Ferraria, & cum tractatu aliquorum Bononienſium de Parte Scacchefia, venerunt tempore noctis Bononiam cum Teſta de Gozadinis, cauſâ intrandi per Portam Stratæ Majoris. Et tunc Regimina Civitatis ſenſerunt hoc, & miſerunt Poteſtatem Bononiæ cum gentibus, & cum Civibus, & expulerunt ipſos omnes, & multos ceperunt, & aliquos ſuſpenderunt per gulam ad Pontem Foſſæ Cavallinæ, ubi reperierunt ipſas gentes. Et tunc dicta de cauſa multi confinati fuerunt de Bononia, & Thomas filius Leonis de Leonibus fuit decapitatus; & inter alios fuit confinatus Antonius de Griffonibus, & fuiſſet decapitatus, niſi fuiſſet Dominus Guido de Zapolino, Socer ipſius Antonii, cui facta fuit gratia perſonæ ipſius Antonii ſui generi, qui fuit confinatus ad Saſſumferratum, ubi non ſtetit, niſi uno menſe, & fuit reverſus, quia repertus fuit non eſſe aliquo modo culpabilis de prædictis.

MCCCXXIV. Dominus Zanatius de Salimbenis de Placentia fuit Poteſtas Bononiæ pro primis ſex menſibus. Dominus Ingramus de Malpiglis de S. Miniato fuit Capitaneus pro primis. Lippus de Manticis de Strata Majori fuit decapitatus, eo quia ivit in quodam guarnimento in Comitatu contra Commune Bononiæ cum illis de Vizano. Dominus Albertus de Pelajis de S. Geminiano fuit Poteſtas Bononiæ pro ſecundis menſibus. Dominus Franciſcus de Bardis de Florentia fuit Capitaneus Populi pro dictis ſecundis menſibus. Eodem anno in die S. Michaëlis Caſtrum Montisbellii acceptum fuit Communi Bononiæ per Dominum Paſſarinum tractatu Ugolini Surdi, qui habuit quæſtionem cum Scarpello, & Becho de Montebellio. De menſe Auguſti Dominus Laygonus de Baſacomatribus, & Dominus Jacobus ejus frater fuerunt doctorati. Fuit ſtraſcinatus famulus Muzoli de Galuciis, quia interfecit dictum Muzolum.

MCCCXXV. Dominus Jacobus de Confaloneriis de Placentia fuit Poteſtas Bononiæ pro primis ſex menſibus. Dominus Rizardus de Ugonibus de Brixia fuit Capitaneus Populi pro primis. Prædicti Poteſtas, & Capitaneus cum tota militia, & duobus Quarteriis Populi Bononienſis equitaverunt versùs Mutinam, & incœperunt guerram cum Domino Paſſarino, & omnibus ſuis amicis, & cum Marchionibus de Ferraria, & cum Domino Mediolani; & dictum fuit, quòd hoc intervenit, quia aliqui Cives fecerunt hoc malitiosè, cauſâ ponendi Commune Bononiæ in brigam, ut expulſi de Bononia redirent; & dictum fuit, quòd Bariſellus Bononiæ habuit in hoc magnam culpam. Dominus Angelus de S. Elpidio fuit Poteſtas Bononiæ pro ſecundis menſibus. Dominus Fulcerius de Calbulo fuit Capitaneus. De menſe Auguſti Florentini conflicti fuerunt apud

A Altumpaſſum. Eodem anno de menſe Auguſti fuit conflictus de Zapolino datus Bononienſibus.

Conflictus Zapolini.

Eodem anno de menſe Auguſti Poteſtas, & Capitaneus Civitatis Bononiæ cum tota militia Communis Bononiæ, & cum duobus Quarteriis Populi Bononienſis, iverunt Mutinam inter duos canales. Mutinæ, cauſâ deſtruendi aquas Panarii, & ibi ſteterunt per quindecim dies. Et poſtea in feſto S. Bartholomæi prædicti Dominus Poteſtas, & Capitaneus cum tota eorum militia, & cum Populo Bononienſi, & cum omnibus amicis, & ſequacibus ſuis de Florentia, & de Ro-

B mandiola, & aliis circumſtantiis, & bene quingentis ſtipendiariis equitaverunt versùs Mutinam ad Caſtrum Francum, ad Plumacium, ad Bazanum, & versùs Montembellium, eo quia Caſtrum Montisbellii per proditionem Capitanei captum fuit per Ugolinum de Zogolis de dicto Caſtro, & filios ſuos cum aliis de dicto Caſtro ex defectu Capitaneorum dicti Caſtri, qui malè cuſtodiebant illud. Qui Capitanei fuerunt dicta de cauſa decapitati, videlicet Bertolucius de Pacibus, & Jacobus de Tolomæis de Burgo Galleriæ, tamquam proditores Communis Bononiæ. Et ſubitò Bononienſes iverunt ad dictum Caſtrum, & juxta partes dicti Caſtri

C Montisbellii, ſemper dictum Caſtrum fortiter prœliantes. Et ſubitò ſupervenit ille peſſimus & maledictus Dominus Paſſarinus, Dominus Canis de la Scala, Dominus Azo Vicecomes Mediolani, & Raynaldus Marchio Ferrariæ cum omnibus de Mutina, de Mantua, de Ferraria, & multi milites Teutonici dicti Azonis, & equitaverunt versùs exercitum Bononienſem cauſâ defendendi ſuos, qui erant in dicto Caſtro contra Bononienſes. Et Dominus Canis de la Scala diſceſſit, & ivit Veronam. Et Bononienſes erant cum omnibus eorum amicis de Florentia, & de Romandiola; & Dominus Malateſtinus de Malateſtis de Arimino factus fuit Capitaneus

D generalis guerræ totius exercitus Bononienſis. Et dum gens exercitus Bononienſis ſtaret circa foveam Muzæ in Podio Bazani, nec inimici poſſent ſuccurrere Montembellium, & ponere in ipſo victualia, tunc dictus Dominus Paſſarinus cum omnibus ſuis amicis, & cum omnibus Scacchenſibus expulſis de Bononia, & filii Romæi de Pepolis, & Teſta de Gozadinis expulſus, cum omnibus expulſis de Bononia tam Scacchenſibus, quàm etiam Ghibellinis expulſis de Bononia, de Florentia, & de Lombardia, cum Azone Vicecomite, & Raynaldo Marchione Ferrariæ, & omnibus illis de Fregnano, & filio Manfredini Raſtaldi, & Bertucio de Gui-

E glia, & multis aliis versùs partes Seravallis juxta Zapolinum in flumine Volgoli, die XVI. Novembris Bononienſes inſultati fuerunt, & conflicti omnes tam equites, quàm pedites, ex quo mille & ultra mortui fuerunt & totidem capti de gente Bononienſium. Inter quos fuerunt poſiti, & carcerati in carceribus Mutinæ bene octingenti, & Dominus Malateſtinus, Dominus Poteſtas, Angelus de S. Elpidio, Dominus Saſſolus de Saſſolo, Matthæus de Creſcentiis, Piczonus ejus frater, Muſottus, duo alii de Sabadinis, Antonius Sandri de Griffonibus, Pau-

lus de Malvitiis, Gerardus de Zambeccariis, Ser Thomas de Torellis, & fratres suus, & multi alii boni Cives insimul in una Turri de Mutina; qui fuerunt numero viginti sex notabiles ibi in ipsa Turri carcerati per undecim septimanas. Et ferè Bononia tunc perdita fuit. Nam ipsi combusserunt Bazanum, & Crespelanum, & venerunt usque ad Pontem Rheni, & destruxerunt illud.

MCCCXXVII. Reverendissimus Pater & Dominus Dominus Beltrandus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, qui erat Parmæ, fuit unanimiter & concorditer per Consilia & totum Populum Bononiæ electus & vocatus Dominus Generalis Civitatis, Comitatus, & Districtus Bononiensis. Et Bononienses miserunt sibi solemnes Ambaxiatores, ut veniret Bononiam. Qui Dominus Legatus, auditis dictis Ambaxiatoribus, in die Festi S. Agathæ, die V. mensis Februarii, intravit feliciter Civitatem Bononiæ valde honorificè, quia omnes tam masculi, quàm fœminæ cridabant: *Vivat Legatus*. Et obviam sibi missum fuit Carrocium cum decem Militibus Bononiensibus, & ducentis Bagurdatoribus, noviter indutis ad unum intaglium. Et fuit factum tantum festum, quod nescirem nec ore dicere, nec cum calamo denotare. Hæc fuit salvatio Civitatis Bononiæ, quia Civitas Bononiæ est Terra S. Romanæ Ecclesiæ, nec umquam bene gubernari posset, nisi sub titulo Sanctæ Matris Ecclesiæ, quam sublimem conservare dignetur ille, per quem omnia facta sunt. Eodem anno Dominus Ludovicus, qui vocabatur Bavarus, ivit Romam causâ se coronandi, & fecerat se coronari in Mediolano de mense Aprilis. Et fecit novum Papam, nomine Nicolaus; qui Dominus Papa fecit Cardinales; qui Imperator, Papa, & Cardinales fuerunt excommunicati, & dictus Papa fuit captus, & ductus Avinionem ad Dominum Papam Johannem post aliquod tempus. Præfatus Dominus Cardinalis & Legatus elegit in Rectorem Civitatis Bononiæ Dominum Marsilium de Rubeis, qui incontinenti fecit bonum regimen. Et finitis tribus mensibus dictus Dominus Legatus fecit alium Rectorem Civitatis Bononiæ, videlicet Dominum Guidonem Savinam de Fogliano, qui auctoritate dicti Domini Legati erat Vicecapitaneus Bononiæ. Dominus Albertacius de Bisdominis de Placentia fuit Rector Civitatis Bononiæ. Dominus Nicolaus de Cartariis de Rhegio fuit Vicecapitaneus. Præfatus Dominus Cardinalis Legatus factus fuit Episcopus Ostiensis, & Velletrensis, & fuit honorificè consecratus, & factus fuit ei maximus honor per totam Civitatem Bononiæ. Civitas Imolæ data fuit prædicto Domino Legato; & dicto anno dictus Dominus Legatus fecit murari Civitatem Bononiæ tamen sinè merlis; & fecit fieri Clusam Rheni de lapidibus. Eodem anno de mense Augusti Bitinus de Cavagli cum aliquibus Civibus, & aliquibus expulsis habuit tractatum expellendi Dominum Legatum de Bononia. Qua de causa destructa fuit domus dicti Bitini, & multi confinati fuerunt, & Bitinus fuit bannitus de patria. Petrus de Riciis, & Bertolus Venturolæ de Albirolis fuerunt decapitati dicta de causa.

MCCCXXVIII. Dominus Paulus de Aldigeriis de Parma fuit Rector Civitatis Bononiæ. Dominus Verzusius de Lando de Placentia decessit Bononiæ, & fuit sepultus Bononiæ ad Monasterium Fratrum Minorum S. Francisci. Dominus Albertacius de Albertaciis de Parma fuit Vicecapitaneus Civitatis Bononiæ. Dominus Passerinus de Bonacossis de Mantua decessit. Eodem anno die XVII. Junii Ludovicus Bavarus se de facto fecit Romæ coronari, qui de mense Julii sequentis, tractatu Papæ Johannis, & Regis Roberti, fuit expulsus de Roma. Tunc apud Pisciam Comitatus Lucæ mortuus est Galeacius Vicecomes de Mediolano, quem Dominus Bavarus captum ducebat. Eodem anno de mense Augusti Castrucius de Interminellis de Luca mortuus est, & dimisit filiis suis dominium Civitatum Lucæ, Pisarum, Pistorii, & Lunæ. Eodem anno de mense Augusti Guido Feltrinus, & Philippinus de Gonzaga, mortuo Domino Passarino, & Franciscbino ejus filio, acceperunt pro se dominium Civitatis Mantuæ. Omnes de domo de Rubeis de Parma, cum auxilio amicorum suorum acceperunt Civitatem Parmæ Domino Legato. Dominus Canis de la Scala de Verona habuit dominium Civitatis Paduæ, auctore Domino Marsilio de Carraria. Præfatus Dominus Legatus die XVII. mensis Martii restituit omnes Bononienses expulsos, videlicet Partem Romæi de Pepolis, & omnes alios expulsos, & restituit eis omnia sua bona, exceptis Ghibellinis antiquis. Eodem anno, & mense præfatus Dominus Legatus fecit exercitum contra Forlivienses, & contra Ravennates, & ibi steterunt spatio quindecim dierum, & fecerunt magna damna. Tamdem ipsa Communia venerunt ad obedientiam, & mandata dicti Domini Cardinalis.

MCCCXIX. Dominus Blasius de Tornaquincis de Florentia fuit Rector Civitatis Bononiæ. Dominus Thomas de Cartariis Vicecapitaneus. Dominus Bavarus Imperator venit de Roma, & deposuit Filios Castrucii de Luca, & ivit in Lombardiam ad Mutinenses, Rheginos, & Parmenses. Dominus Legatus Ostiensis, habita fide digna, & veridica informatione de aliquibus Maltraversis, qui tractatum habebant contra ipsum, & contra Statum Ecclesiæ, & suum, fecit capi, & decapitari, & mori infrascriptos, quorum nomina sunt hæc, videlicet: Dominus Guido Musotti de Sabadinis de Bononia, Alberghitinus Francisci de Manfredis de Faventia, Nicolaus de Frullanis, Masolinus de Guastavillanis: isti quatuor fuerunt decapitati. Archipresbyter de Galuciis, filius bastardus olim Domini Antonii de Galuciis positus fuit in gaiba, & ibi crudeliter mortuus fuit, & sepultus ad S. Dominicum. Antoniolus filius dicti Archipresbyteri de Galuciis fuit etiam dicta de causa decapitatus. Hector Comes de Panico aufugit, quia fuisset similiter decapitatus. Johannes de Vidoctis Civis Bononiæ fuit etiam decapitatus occasione dicti tractatus. Dominus Legatus fecit multos Cives confinari, & multos tormentari. Facta fuerunt Extima de novo generalia in Civitate Bononiæ. Dominus Bartholomæus de Manceptis de Burgo Sancti Sepulchri fuit Rector Bononiæ. Dominus Franciscus de Terzanis de Parma fuit Vicecapi-

A capitaneus, & Judex. Dominus Legatus misit pro Rolando de Rubeis, & aliquibus de Rhegio, ostendens velle facere pacem, & fecit eos capi, & poni in carceribus, & tenuit ipsos valde malo modo cum maxima proditione carceratos. Dominus Beltramonus de Balso, frater Regis Roberti, & Dominus Gabiassus cum multis aliis bonis de Parte Ecclesiæ, fuerunt conflicti in Comitatu Mutinæ, & ferè omnes capti in Mutina, & loco dicti Rolandi de Rubeis postmodum relaxati.

MCCCXXX. Dominus Brandelisius de Picolominis de Senis fuit Rector Bononiæ, pro primis sex mensibus. Dominus Nicola B de Eugubio fuit Vicecapitaneus. Dominus Passarinus de la Turri de Mediolano fuit Rector pro secundis mensibus.

MCCCXXXI. de mense Martii Dominus Cardinalis Ostiensis pro defensione Status Ecclesiæ, & sui, incœpit fieri facere unum pulchrum Castellum, cum pulchris muris, foveis, Ecclesia, & aliis in Bononia ad Portam Galleriæ, juxta Campum Fori, & unum aliud Castellum in Civitate Imolæ. Rolandus de Rubeis, qui captus erat Bononiæ, per dictum Legatum fuit relaxatus de carceribus Domini Legati, loco Domini Beltramoni, qui erat captus Mutinæ. Dominus Johannes Rex Bohemiæ vênit Lombardiam, causâ pa- C cificandi ipsam totam. Et habuit Brixiam, Cremonam, Pergamum, Parmam, Rhegium, Mutinam, & quasi omnes Civitates, & fecit pacem cum eis, & omnes expulsos de ipsis Civitatibus reverti fecit cum pace. Et posuit ibi Vicarios loco sui. Et fecit venire Carolum filium suum in Parma vice sui, cum Comite Sabaudiæ, & Marchione Montisferrati, & multos alios Barones. Et tunc misit Domino Legato Bononiæ, quòd veniret Plumacium, & Rex cum multis Baronibus, & multis de Lombardia, & Dominus Legatus cum multis Nobilibus de Bononia, de Romandiola, & de Tuscia in Plumacio in domo Nicolai de Boccadeferris insimul D comederunt, dormiverunt, & pacem fecerunt invicem, cùm fuerit voluntas Domini nostri Papæ. Dominus Paulus de Codeguerris de Parma fuit Rector Bononiæ pro secundis mensibus. Dominus Burigardus David de Arimino fuit Vicecapitaneus Civitatis Bononiæ. Eodem anno de mense Julii Dominus Cardinalis Ostiensis accepit pro Ecclesia Civitatem Arimini de manibus Malatestarum, & Dominus Ferantinus, & filius ejus Dominus Malatestinus de Malatestis dicta de causa exierunt dictam Civitatem, & intraverunt in Castris suis, & Dominus Malatesta fuit contra prædictos de Domo sua. Eodem anno de mense Augusti præfatus Do- E minus Legatus fecit exercitum contra Forlivienses, eo quia nolebant sibi obedire, & dare sibi dominium Civitatis; & misit Forlivium omnes suos Stipendiarios, & duo Quarteria Populi Bononiensis, qui dederunt magnum guastum Forliviensibus, incidendo omnia usque ad Portas Forlivii. Et ædificaverunt unum Castrum prope Forlivium ad S. Martinum, & steterunt ibi quindecim diebus, & posuit ibi campum suum, & caput gentium erat unus Civis Bononiæ. Eodem anno de mense Novembris facta fuit pax inter dictum Dominum Legatum, & illos de Ordelaffis, & Commune Forlivii; & Dominus Legatus posuit ibi Rectorem. Eodem anno, & mense firmatum fuit in Consilio generali Populi Bononiensis, quòd Civitas Bononiæ esset perpetuò Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ob hoc miserunt Ambaxiatores ad Papam cum pleno mandato, videlicet Dominum Rolandinum de Galuciis Militem, & Dominum Thomam de Formaglinis Legum Doctorem.

MCCCXXXII. Dominus Alamannus de Oppizis de Luca fuit Rector Bononiæ pro primis sex mensibus. Dominus Petrus Garimberto de Placentia fuit Vicecapitaneus pro sex mensibus. Præfatus Dominus Cardinalis & Legatus convocavit ad se Dominum Marchionem Ferrariæ, & multos Ambaxiatores, & Prælatos, & Dominos de Tuscia, de Romandiola, & de Marchia, causâ adventus Domini Ludovici, qui vocabatur Bavarus, qui se dicebat esse Imperatorem, & Bohemiæ Regem, & septem alios Reges de partibus Alamanniæ cum Rege Philippo de Valois Rege Franciæ, qui simul juraverant insimul pacem in Italia, & ire ad Papam Johannem Summum Pontificem, ut consentiret adventui Regis Bavari, & Regis Bohemiæ, Domini Italiæ, in passagium Terræ Sanctæ. Præfatus Dominus Cardinalis die X. Januarii misit Marchionibus Ferrariæ, eo quia Dominus Papa misit literas authenticas in bona forma continentes absolutionem, quam faciebat Dominus Papa eisdem Marchionibus de excommunicatione, & pœnis, & de redditu Argentæ & omnium fructuum, & de omni eo, quod fecerant, quando acceperant Ferrariam contra Ecclesiam. Et die sequenti XI. Januarii Marchio Oppizo, filius dicti Marchionis Aldrovandini, procurator Fratrum suorum, videlicet Raynaldi, & Nicolai, & Dominus Cardinalis fecit sibi absolutionem de omnibus pleno modo, & fecit sibi in manibus ipsius Domini Legati reddere Castrum Argentæ. Et dedit Domino Marchioni Oppizoni Civitatem Ferrariæ pro decem annis suo nomine, & nomine dictorum Fratrum suorum pro Vicariis S. Romanæ Ecclesiæ, pro cujus censu promiserunt sibi dare anno quolibet decem millia Ducatorum auri. Ambaxiatores Domini Legati, & Communis Bononiæ existentes in Curia Romana apud Papam, videlicet Dominus Rolandinus de Galuciis, & Dominus Thomas de Formaglinis, miserunt literas Domino Legato, & Communi Bononiæ, continentes in effectu, quòd Dominus Papa, & omnes Cardinales, & tota Curia Romana volebant venire ad habitandum in Bononia, tamquam in Civitate, quia Dominus Papa reputabat esse Cameram Ecclesiæ; & de hoc fuit factum magnum festum, & magna lætitia per totum Populum, & Civitatem Bononiæ, & per omnes Artes; & præconizatum fuit Bononiæ publicè & alta voce de adventu Domini nostri Papæ in Bononia. Eodem anno die VII. Februarii venerunt adhuc literæ Papales Communi Bononiæ, quòd adventus Domini Papæ in Bononia erat obtentus, & deliberatus in Consistorio. Eodem anno die XXII. Februarii Dominus Legatus vênit honorificè sociatus cum Episcopis, Prælatis, & aliis Nobilibus in Palatio Domini Potestatis super Arengheria, & super Platea erat quasi totus Populus,

pulus, coram quo fuerunt publicatæ literæ Domini Papæ, notificantes suum adventum ad standum Bononiæ. Et illic famosissimus Doctor Bononiensis, qui in Mundo non habebat similem, ipsas literas ore proprio declaravit, videlicet Dominus Johannes Andreæ. Eodem anno die X. Martii præfatus Dominus Legatus ivit Romandiolam, eo quia factus fuit Comes Romandiolæ, & cum ipso iverunt multi notabiles Cives Bononiæ, & ivit in Civitate Faventiæ; & tunc Dominus Sinibaldus de Ordelaffis de Forlivio, & Franciscus ejus filius, & omnes alii de Ordelaffis cum omnibus Forliviensibus venerunt ad mandata Domini Legati, & Ecclesiæ, & Communis Bononiæ; & incontinenti intravit Civitatem Forlivii honorificè, & habuit omnes Civitates Romandiolæ in bona pace. Dictus Dominus Legatus factus fuit pro Ecclesia Marchio Marchiæ Anconæ, & misit ibi gentes suas, & paravit se ire cum multis bonis hominibus de Bononia, & de Lombardia: Dominus Mastinus de la Scala de Verona, & Marchiones Ferrariæ, & Dominus Ludovicus de Gonzaga Dominus Mantuæ per proditionem acceperunt Civitatem Brixiæ per manus proditorum Brixiensium, & per pecuniam habuerunt Castrum Brixiæ, & interfecerunt multos Ghibellinos Brixiæ contra voluntatem Domini Regis Bohemiæ. Dominus Cardinalis Pelagrue, nepos Domini Papæ Clementis, decessit, & vocabatur Arnaldus. Eodem anno mortuus est Episcopus Bononiæ Dominus Stephanus Agoneto in S. Petro. Mortuus est & Comes Rogerius de Zovadola de Romandiola. Mortuus est Dominus Fulgossus de Papia Marchio, & Thesaurarius totius Marchiæ Anconitanæ, & sepultus fuit Bononiæ in Sancto Dominico. Florentini iverunt in exercitum ad Civitatem Lucæ cum Spinetta Marchione de Malaspinis. Dominus Azzo de Vicecomitibus Mediolani, illi de la Scala, de Ferraria, & Mantua iverunt ad obsidendum Civitatem Pergamum, & dictus Dominus Azzo habuit Pergamum contra Dominum Regem Bohemiæ. Ingramus de Gorzano de Mutina accepit Castrum Gorzani contra Mutinenses, & multi Mutinenses mortui fuerunt, qui venerant ad contradicendum, & vitandum prædicta. Dominus Bindatius de Ricasoli de Florentia fuit Rector Bononiæ pro secundis sex mensibus. Dominus Ugucio de Ursellis Judex de Forlivio fuit Vicecapitaneus. Dominus Rolandinus de Galuciis, & Dominus Thomas de Formaglinis, Ambaxiatores Communis Bononiæ Avinioni ad Dominum Papam, reversi sunt, & apportaverunt literas adventus Domini Papæ ad habitandum in Civitate Bononiæ. Eodem anno de mense Novembris decapitatus fuit Bitinus Contis de Cavagli Notarius, qui, ut supra apparet in MCCCXXVII., dum esset Proconsul Societatis Notariorum, fuit bannitus, eo quia fuit proditor, & habuit tractatum contra Dominum Legatum accipere sibi Bononiam, & interficere ipsum; & modò venit Bononiam, & manifestavit multos Cives esse culpabiles cum eo, quorum nomina sunt hæc, videlicet: Lovatinus Jacobini Spavaldi Notarius; Petrus Angelelli Notarius, ambo confinati: Thomas Garnelvarii de Pertis Notarius confinatus & condemnatus: Calorius Poni de Gozadinis fuit confinatus: Zordinus de Blanchis fuit confinatus: Dominus Thaddæus de Pepolis fuit detentus, & die sequenti repertus sinè culpa aliqua relaxatus. Eodem anno die XXV. Novembris Dominus Carolus, filius primogenitus Domini Johannis Regis Bohemiæ, Dominus multarum Civitatum Lombardiæ, ivit & exivit cum Domino Marsilio, & Petro de Rubeis de Parma, & cum illis de Fogliano, & Manfredo de Piis de Mutina, Vicario dictæ Civitatis, cum DC. equitibus, & quinquemille peditibus equitaverunt versùs Castrum S. Felicis in Massa, eo quia Marchiones Ferrariæ, cum illis de Verona, & de Mantua, & cum gentibus Domini Azonis Vicecomitis obsidebant dictum Castrum. Et Dominus Legatus Bononiæ misit Ambaxiatores dicto Domino Carolo, volens cessare prœlium inter eos, & misit quingentos equites, & quatuor mille pedites versùs Castrum Francum. Qui Dominus Carolus conflixit, interfecit, & cepit quasi omnes de Ferraria. Fuerunt etiam de aliis capti, & mortui ultra duo millia, inter quos capti fuerunt Dominus Johannes de Campo Sancti Petri de Padua Capitaneus totius exercitus Guilielmus de Scanabichis de Bononia, Cosa Comes de Panico de Bononia. Eodem anno die XXIII. Novembris facta fuit electio Consilii quatuor millium Civitatis Bononiæ pro quatuor annis venturis inchoandis in MCCCXXXIII. tempore præfati Domini Beltrandi Cardinalis & Legati. Eodem anno de mense Novembris Dominus Sescalcus D. Regis Roberti accepit Civitatem Tortonæ à Marchione Montisferrati, qui ipsam tenebat pro Domino Rege Bohemiæ, & habuit ipsam per proditionem. Eodem anno de mense Decembris Dominus Legatus misit pro Domino Thaddæo de Pepolis, pro Domino Bornio de Samaritanis, pro Andalò de Griffonibus, & pro Domino Brandelixio de Gozadinis, fingendo quòd volebat esse in colloquio cum ipsis, & fecit ipsos detineri in Castello suo propè Portam Galleriæ. Et cùm Cives senserunt hoc, subitò fuit elevatus magnus rumor in Bononia, & dictus Dominus Legatus fuit in periculo perdendi Statum suum, quia reverà prædicti detenti nihil fecerant, nisi quòd ipse habebat ipsos odio, quia ipsi erant valde potentes in Bononia; & steterunt detenti forsan sex horis, & postea fuerunt relaxati. Et dictum fuit, quòd ipse fecit capi dictum Andalò, quia erat valde suus amicus, ne tres alii haberent suspicionem.

MCCCXXXIII. Dominus Raynaldus de Scafulo fuit Rector Bononiæ pro primis sex mensibus. Dominus Bernardus de Scottis de Placentia fuit Vicecapitaneus. Dominus Legatus misit omnes stipendiarios suos, & duo Quarteria Populi Bononiæ, & quatuor mille pedites, & quatuorcentum equites de melioribus Civibus Bononiæ, & multos alios de Comitatu Bononiæ, & de Romandiola contra Marchionem Ferrariæ, & Ferrarienses. Et incontinenti ceperunt omnes Turres & Villas citra Padum, comburendo, & devastando, & omnia mala faciendo, & postea venerunt extra Argentam super Territorio Ferrariæ in Villa Consandali, & conflixerunt gentes Ferrarienses, & ceperunt Nicolaum Marchionem, fratrem Marchionum Raynaldi, & Opizonis, filiorum Marchionis

nis Aldrovandini. Et positus fuit in carceribus in quadam caiba in Palatio novo de Blado Communis Bononiæ. Hoc facto Dominus Legatus misit dictas suas gentes ad obsidendum Civitatem Ferrariæ, & posuerunt se Bononienses in Burgo S. Leonardi, continuè prœliando Civitatem per terram & per aquam, & ibi steterunt per duos menses. Quibus sic ad campum manentibus, supervenerunt in auxilium Marchionis illi de la Scala de Verona, illi de Gonzaga Mantuæ, illi Domini Azonis Vicecomitis Mediolani, & gens Florentinorum, & conflixerunt omnes gentes Domini Legati, Ecclesiæ, & Communis Bononiæ, quasi omnes interficiendo, & capiendo, & multi suffocati fuerunt in Pado. Et causa dictæ discordiæ fuit, quia Marchiones volebant facere quemdam foveam pro fortificatione Territorii Ferrariensis. Capti autem fuerunt in dicto conflictu quamplures, inter quos capti fuerunt Comes de Arminiaco Capitaneus totius gentis Ecclesiæ, alii de Malatestis, de Polenta, de Forlivio, de Ravenna, de Faventia, de Imola. Qui omnes fuerunt Domini suarum Civitatum de Romandiola, qui carcerati fuerunt, & post longam carcerationem se redemerunt, & relaxati fuerunt, & cùm fuerunt ad domos suas, iterum dominium acceperunt suarum Terrarum, se rebellantes Legato. Et primò illi de Forlivio, postea Ariminum, postea Ravenna, & Cervia, & alii. Et Marchiones postea Argentam, quam Cardinali obsidem dederant. Rex Bohemiæ die XXVII. Februarii venit in Lombardiam in Placentia, & in Parma cum MM. equitibus, & cum multis Baronibus de Francia, & Alamannia de voluntate Domini Papæ, Domini Imperatoris, & Regis Franciæ, & Domini Legati Bononiæ. Et equitaverunt Papiam, & fortificaverunt Castrum Papiæ pro se, & destruxerunt totum Comitatum Papiæ, Mediolani, & Pergami contra Dominum Azonem Vicecomitem, qui prædictas Civitates occupabat, & obtinuit cum illis de la Scala, Verona, & Marchionibus Ferrariæ. Eodem anno de mense Maji dictus Dominus Rex cum suis gentibus pro parte sua, & Dominus Azo Vicecomes cum illis de la Scala, & Florentinis cum MMM. equitibus fuerunt in campo Mediolani causâ prœliandi ad invicem. Et viso dicto Rege in campo, separaverunt se sine aliquo bello, petentes treuguam, quæ facta fuit usque ad festum S. Martini. Die V. Junii dictus Dominus Rex Bohemiæ venit Bononiam cum MM. equitibus ex magna causa, & fuit cum Domino Legato in colloquio; postea discessit, & rediit in Lombardiam Parmæ, & postea equitavit Civitatem Lucæ, timens perdere illam. Buzonus de Bernardis de Ancona fuit Vicecapitaneus Bononiæ pro secundis mensibus, & Dominus Raynaldus de Scafulo fuit Rector. De mense Junii fuit nix in partibus montanis prope Civitatem Bononiæ. De mense Julii dictus Dominus Rector fecit decapitari Dominam Catherinam Zanetti de Bentevoglis, uxorem Muzolini de Bacelleriis, eo quia ipsa venenavit & toxicavit dictum Muzolinum ejus maritum, de qua venenatione dictus Muzolinus mortuus fuit. Dictus Dominus Rex Bohemiæ unà cum Rolando de Rubeis de Parma, Domino Manfredo de Piis de Mutina, Domino Poncino de Cremona, Domino Guilielmo de Fogliano de Rhegio, venerunt Bononiam, & fecerunt ligam & societatem cum Domino Legato contra omnes inimicos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & dicti Regis Bohemiæ. Franciscus Sinibaldi de Ordelaffis de Forlivio cum amicis suis intravit secretè in Forlivio, & accepit Forlivium Domino Legato Bononiæ, & hoc fuit de mense Septembris. De dicto mense Septembris omnes de Malatestis, & Dominus Malatesta, & Dominus Malatestinus cum amicis suis acceperunt Civitatem Arimini Domino Legato malo modo, & contra ipsius Domini Cardinalis voluntatem. Eodem mense mortuus est Bononiæ Reverendus Pater Dominus Guido de Robertis de Rhegio, Archiepiscopus Ravennæ. Civitates Cerviæ, Cæsenæ, Foripopuli, & Ravennæ se rebellaverunt contra Dominum Legatum, & Ecclesiam Romanam. Eodem anno & mense fuit magnus rumor in Bononia in Platea inter famulum Rectoris, & Domini Marescalchi, & quasi tota Civitas traxit ad arma; qua de causa Dominus Cardinalis cassavit Dominum Raynaldum de Scafulo Rectorem, & fecit alium Rectorem, videlicet Dominum Johanninum de Fulgossis de Placentia per tres menses. Eodem anno de mense Octobris Rex Bohemiæ recessit de Bononia cum aliquibus gentibus de Lombardia, & ivit Alamanniam, rediturus, ut asseruit. Dominus Episcopus Bononiæ, Nepos Domini Legati, cum magna comitiva militum de Bononia, & multis stipendiariis, iverunt versus Faventiam, causâ succurrendi Castrum Cæsenæ contra illos de Malatestis, & Franciscum de Ordelaffis, & Ostasium, qui erant omnes rebelles Ecclesiæ, & dicti Domini Legati. Fuit tanta & tanta pluvia, & tales troni die ac nocte de mense Novembris, & duravit spatio XV. dierum Florentiæ, quòd flumen Arni tam fortiter crevit, quòd destruxit multas domos, homines, animalia, ac mercatores, Castra, & Palatia; & tertia pars Florentiæ fuit destructa, & etiam per Comitatum Florentiæ & Pisciæ aliquod damnum fecit. Et dictum fuit communiter per omnes, quòd hoc fuit judicium Dei propter magna peccata Florentinorum, & maximè propter horrendum & ineffabile peccatum sodomiticum, quod fortiter regnat in eis. Decapitatus fuit Landus filius Nordoli de Nordolis de Imola.

MCCCXXXIV. de mense Januarii Dominus Mastinus de la Scala cum illis de Corrigio, de Parma, & illis de Mantua, & de Ferraria, cum MM. equitibus venerunt in Comitatu Parmæ, & fecerunt unum Castrum magnum, sicut una Civitas, ad Bresellum juxta Padum. Tunc illi Domini de Rubeis de Parma, illi de Fogliano, Dominus Manfredus de Piis, illi de Mantua, cum gentibus suis, Ecclesiæ, & Domini Legati, volentes contradicere, fecerunt guarnimentum, & nihil fecerunt. De mense Februarii Dominus Legatus de consilio suo misit omnes stipendiarios milites & pedites ad faciendum unum Castrum juxta Turrim Pontonariæ versus Ferrariam citra Padum versus Sanctum Martinum, & fecerunt quasi totum, sed malè processit. Marchiones Ferrariæ cum amicis suis de Lombardia,

bardia, de Romandiola, & de Tuscia, acceperunt per vim Argentam. Die XVII. Martii Dominus Beltrandus Cardinalis & Legatus prædictus die Jovis olivarum XVII. Martii post nonam in modica hora fuit privatus & expulsus de dominio Civitatis Bononiæ, & totius ejus, quod ipse dominabatur; & multi de suis suæ linguæ occisi & mortui fuerunt, & derobati tam Clerici, quàm Laici, inter quos fuerunt Dominus Archiepiscopus de Embruno, Dominus Episcopus Bononiæ, Mariscalcus ipsius Domini Legati, & multi alii notabiles. Et negotium sic se habuit. Nam propter malos & inhonestos modos suos, & familiarium suorum, & totius suæ Curiæ, & collectas, caristias, & guerras, quibus Civitas Bononiensis erat quotidie oppressa & gravata, & verecundias, quæ fiebant Dominabus, uxoribus, & filiabus bonorum Virorum Civitatis Bononiæ, tam volentibus, quàm vetantibus, Dominus Brandelixius de Gozadinis, Collatius de Beccadellis, Guidestus de Boateriis, & multi alii similes Cives Bononienses cum tractatu Marchionum de Ferraria, & Dominorum de Romandiola, & multarum aliarum partium, ascenderunt Palatium Communis Bononiæ, armati cum spatis nudis in manibus, & super arengheria Palatii cridando alta voce: *Viva el Povolo, e mora lo Legato*. Tunc Populus audiens vocem illorum Magnatum traxit ad arma, & tota illa die omnes clamaverunt similiter: *Vivat Populus, & moriatur Legatus*. Et fregerunt carceres Communis Bononiæ, & imposuerunt ignem in Palatio Bladi, ubi morabatur Marescalcus, & ibi multi fuerunt mortui, & omnes deprædati fuerunt. Et tunc Dominus Legatus erat in Castro suo, quod fecerat fieri juxta Portam Galleriæ, & cum eo reclusi erant omnes stipendiarii. Populus autem accessit ad dictum Castrum, & cum salvamento Domini Legati, & omnium suorum in Castro existentium, post unam diem dederunt Castrum Populo Bononiensi; & equites Domini Legati, & pedites venerunt ad ipsum de exercitu, ubi erant, & multos de Comitatu Bononiæ interfecerunt, quia volebant eos derobare. Postea verò dictus Dominus Legatus tractatu Florentinorum recessit de dicto Castro cum gente sua, & ivit Florentiam, & Florentini ipsum conduxerunt Florentiam. Et postea accessit ad Portum Pisarum, & per mare ivit in Provinciam, & in Avinionem. Et magna causa, propter quam expulsus fuit, fuit, quia quidam suus Vicarius volebat totaliter, quòd Dominus Brandelixius de Gozadinis equitaret ad exercitum contra suam voluntatem; propter quod Dominus Brandelixius extraxit spatam, & ivit super arengheriam Palatii, & cridavit: *Viva il Povolo*; & tunc Populus traxit, & supervenit Bertolucius Becharoëllus de Gozadinis cridando cum una banderia, & cum certis famulis, qui fuit magna causa expulsionis dicti Legati. Postea die XXIII. dicti mensis elevatus fuit rumor in Populo, & cridatum: *Mora i Conti da Panego*: in quo rumore mortuus fuit Guidestus de Boateriis, & Guizardinus filius Zachariæ de Triaghis. Et fuerunt banniti Muzolus, & Nicolaus fratres de Triaghis, & Comites de Panico. Hoc facto venit Bononiam Episcopus Florentinus cum sex banderiis equitum, & fuit sibi data in manibus guardia Castri Domini Legati. Et tunc tractavit, quòd Dominus Legatus dimitteret Castrum Communi Bononiæ, & recederet de Bononia. Qui Legatus die XXVIII. dicti mensis recessit, valde bene sociatus à Bononiensibus, & Florentinis, & ivit Florentiam cum omnibus suis amicis sanus & salvus. Postea cum maximo avere recessit de Florentia, & ivit in suis contratis, & dimisit Bononiam in malo statu. Post discessum dicti Domini Legati Lippus de Alidoxiis de Imola fuit factus Potestas Bononiæ, & Nordolus de Nordolis de Imola factus Capitaneus Populi Bononiensis. Qui Lippus de Alidoxiis, antequam Dominus Legatus discessisset de dicto Castro, iverat Imolam, & acceperat dominium Imolæ pro se, & expulit de Imola Partem illorum de Nordolis. Dominus Rodulphus de Grassonibus de Mutina fuit Potestas Bononiæ. Nordolus de Nordolis prædictus Capitaneus. Dominus Alamanus de Oppizis de Luca fuit factus Capitaneus pacis in Bononia. Die VIII. Aprilis datus fuit Confalonus Justitiæ more solito Societati Spadarum pro arma, & Societati Notariorum pro arte, & venerunt ad Palatium, & in eorum discessu positus fuit Confalonus ad aringheriam per modum furoris, & fuit magnus rumor in Populo, & omnes traxerunt ad arma. Et tunc facti fuerunt confinati infrascripti Cives, videlicet: Dominus Petrus de Galuciis: Ser Johannes Ghiselabelle: Franciscus de Ugnano: Marsilius Tettacapra: Ser Johannes de Bonvisinis: Toroncellus de Sala: Cavalerius Ansaldini: Gregorius Brixanellus: Muzolinus de Rayxiis: Nicolaus de Bonjohanninis: Donatus de Campezo: Ser Guido de Mascharmis: Nannes Bixilerius: Blancus de Villanova: Petrus de Picigottis: Siverius Ser Johannis de Bixano. Qui Siverius, quando recedebat, fuit mortuus; & cùm dictus Ser Johannes suus pater audivit, quòd fuerat mortuus, subitò spasemavit propter dolorem. Illi de Malatestis venerunt ad discordiam invicem, & Dominus Malatesta, & Dominus Galaotus fratres Dominum Malatestinum carceraverunt. Eodem anno die XVIII. Aprilis Monasterium Fratrum de Certoxa fuit de novo ædificatum. Facti fuerunt viginti Antiani pro reconciliatione Civitatis Bononiæ, videlicet quinque pro quarterio, scilicet: Musotus de Sabadinis, Ser Petrus Magagnolus de Salucio, Ser Franciscus de Bentivoglis, Ser Petrus de Garisendis; Ser Bartholomæus de Confortis; Dinarellus de Ghisileriis; Benvenutus de Riciis; Michaël de Argelata; Nicolaus de Flamenghis; Ser Johannes de Battutis: Colacinus de Beccadellis: Ugolinus de Querciis: Beccadinus de Beccadellis: Nannes de Clarissimis: Ser Matthæus de Tencharariis, Franciscus de Mezovillanis, Lippus de Pepolis, Gotolus de Sardellis, Calorius de Gozadinis. Eo tempore facti fuerunt noctis tempore quadraginta duo confinati. Et supradicti Antiani providerunt, quòd daretur unus Socius pro Quarterio, qui sociaret Dominum Potestatem in Palatio, ut posset melius facere officium; videlicet Dominus Lanza Garisendus, Dominus Bornius de Samaritanis, Ser Johannes de Battutis, Gotolus de Sardellis. Eodem anno die II. Junii

Junii facta fuit electio certorum Civium, qui deberent facere confinatos. Et tunc tota Civitas, videlicet Pars Scacchensis, & Pars Maltraversa, traxerunt ad arma; & illi de Parte Scacchensi obtinuerunt Plateam. Et fuit magnum prœlium super platea S. Stephani, in quo prœlio Johannes Domini Thaddæi de Pepolis valde viriliter se habuit. Et tunc illi de Sabadinis iverunt ad Portam Stratæ S. Vitalis, & fregerunt portellum, & voluerunt ardere domos illorum de Sclavis, & fuerunt valde probi homines illa die. Et dicitur, quòd si alii de Parte Maltraversa fuissent ita probi, quàm primi, obtinuissent. Tamen Scacchenses semper tenuerunt Plateam, & similiter tunc omnes de Sabadinis, de Beccadellis, de Boateriis, de Triaghis, & de aliis Domibus, eorum sequacibus, fuerunt confinati, videlicet à quatuordecim annis supra, & à septuaginta annis infra. Quod fuit reputatum maximum malum. Et in ipso rumore Andalò de Griffonibus fuit acriter vulneratus, & portatus fuit ad domum suam super uno pavesio, ex quibus vulneribus dictus Andalò mortuus fuit. De cujus morte omnes Cives Bononiæ, & maximè de Parte Scacchensi, valde doluerunt, quia dictus Andalò erat homo valde sapiens, & valde probus, & valens in factis armorum, & sepultus fuit valde honorificè ad S. Franciscum Fratrum Minorum.

MCCCXXXV. Dominus Franciscus de la Seva, & Dominus Johannes de Marontibus fuerunt Potestates Bononiæ. Dominus Johannes de la Tosa de Florentia fuit Capitaneus Populi. Factus fuit Proconsul Societatis Notariorum Ser Paulus de Albirolis Notarius; & factus fuit Barisellus Ser Thomas de Manzolino beccarius. De mense Januarii confinati fuerunt quadraginta tres Cives Bononiæ tam de Domo Galuciorum, quàm de aliis Domibus, ac etiam Populares. Fuit maxima inundatio aquarum, & propter nives crevit fortiter Rhenus, & aqua vênit usque ad S. Bernabè, & tunc necatus fuit Ser Laurentius de Christianis. De mense Januarii Marchiones Ferrariæ, videlicet Raynaldus, Opizo, & Nicolaus duxerunt uxorem, videlicet Nicolaus Marchio unam Dominam de Gonzaga de Mantua, & factum fuit magnum festum. Et tunc Regentes Bononiæ donaverunt eis duodecim pulchras vestes, & cum magno gaudio iverunt ad nuptias. Eodem mense confinati, & extrinseci de Bononia, cum octingentis equitibus, qui fuerant de stipendiariis Domini Legati expulsi, & cum multis peditibus equitaverunt ad Castrum S. Johannis in Persiceto, ubi habebant tractatum intus, & dictum fuit, quòd erraverunt viam, & ideo non potuerunt ibi esse hora eis ordinata. Et cùm fuerunt prope Castrum prædictum, equitare fecerunt ad dictum Castrum unam banderiam equitum, & intraverunt Castrum. Et tunc illi de dicto Castro, qui ibi regebant, fecerunt aggressum in alios, & quatuor fratres, qui vocabantur Butrisi, & tres alios interfecerunt; & multi deprædati fuerunt; & fecerunt centum decem confinatos. Et Populus Bononiæ misit ibi Quarterium Portæ Steri; & cùm equitarent, Guiducius de Montebellio, & unus de domo de Sala Burgi S. Felicis, & duo alii, necaverunt in Rheno cum equis & armis: qua de causa tota gens reversa est, quia non potuerunt transire Rhenum, & iverunt Mutinam, & inde ad Abbatiam Columbarii in Territorio Placentino, & ceperunt eam, & ibi fecerunt suam residentiam, & reductum. Obiit Dominus Jacobus de Belvixo de Bononia, Doctor famosissimus, & Domina Misina filia sua, uxor Matthæi de Griffonibus propter maximum dolorem cecidit trasmortita, & erat prægnans, & fecit abortum, & fuit in maximo periculo mortis. Et dictus Dominus Jacobus sepultus fuit ad S. Stephanum ante Sepulchrum Domini nostri Jesu Christi, ubi est arca sua. Et Franciscus, filius dicti Domini Jacobi fecit sibi fieri magnum honorem, & induit se de nigro, & similiter indui fecit suis expensis Nepotes ipsius Domini Jacobi, videlicet Guiducium, & Melinum, filios dictæ Dominæ Misinæ, filiæ dicti Domini Jacobi, & multos alios affines, & famulos. Et fuerunt ad funera quasi totus Clerus Bononiensis, & Potestas, & Capitaneus Populi, & omnia alia Regimina Civitatis Bononiæ, eo quia erat homo valde dilectus ab omnibus. Et licèt illi de Belvixiis essent naturaliter Gibellini, tamen ipse Dominus Jacobus juraverat Partem Guelfam, & sic perpetuò tenuit Partem Guelfam toto tempore vitæ suæ. In die Epiphaniæ facta fuerunt magna hastiludia per Potestatem, Capitaneum, ac etiam Capitaneum guerræ, occasione Electionis Papæ Benedicti. Eodem anno Rubei de Parma dederunt Parmam & Lucam Mastino & Alberto de la Scala, ac etiam Rhegium; sed ipsi dederunt postea Rhegium illis de Gonzaga. Die XV. Martii fuit præconizatum ad arengheriam Communis Bononiæ, quòd omnes illi de Beccadellis, qui remanserant Bononiæ, debeant incontinenti ire ad confines ad Civitatem Arimini sub pœna averis & personæ, salvo quòd duo ex ipsis de Beccadellis, quibus facta fuit gratia standi in Comitatu in rure, videlicet Collacio de Beccadellis, qui staret ad Riccardinam, & Santolinus de Beccadellis ad Viadagolam. Et quia unus de Beccadellis, qui vocabatur Chechus, tenebat Hospitale S. Stephani, tunc subitò, cùm ipsi de Beccadellis fuerunt confinati, Fulcirolus de Gozadinis intravit de facto dictum Hospitale, & occupabat Hospitale, & bona sua. Et quidam filius bastardus Domini Bornii de Samaritanis Militis etiam occupavit certas possessiones dicti Hospitalis. Et cùm illi de Gozadinis accesserunt ad illas, invenerunt ibi cimerios illorum de Samaritanis, & ipsos aboleverunt, & posuerunt suos clypeos. Tamen Hospitale remansit illi de Samaritanis, qui abstulit postmodum clypeos de Gozadinis, & ob hoc fuit magna discordia inter Gozadinos, & illum Dominum Bornium de Samaritanis, & illos de Ghisileriis, qui tenebant cum dicto Domino Bornio. Sed facta fuit concordia inter ipsos, & omnes remanserunt amici. Die XXX. dicti mensis Ambaxiatores Communis Bononiæ missi fuerunt ad Curiam Romanam, & fuerunt quatuor, scilicet unus pro quolibet Quarterio, videlicet, Dominus Ferrinus de Galuciis Miles; Dominus Ricardus de Saliceto Doctor eximius; Dominus Pinus de Gozadinis Judex; Parte de Ghisileriis. Die ultimo Maji Dominus Captus

tus de Bonacaptis fuit electus Proconsul Societatis Notariorum. Dominus Jacob de Magnanis de Strata Majori fuit electus Barisellus Beccariorum. De mense Junii Jacobus de Pepolis, filius Domini Thaddæi de Pepolis ivit Ferrariam in auxilium Marchionum de Ferraria, cum tercentum equitibus, & quinquaginta peditibus. Qui Marchiones post paucos dies fecerunt exercitum contra Mutinam, & magnum guastum dederunt super Comitatu Mutinæ. De mense Julii Dominus Aloysius de Gonzaga habuit dominium Civitatis Rhegii, & omnes expulsi de Rhegio tunc potuerunt redire, & similiter fecerunt illi Domini de la Scala in Parma, & Domini de Vicecomitibus in Cremona. Fuit magna discordia inter illos de Pepolis, & Dominum Brandelisium de Gozadinis, quia duo mortui fuerunt qui erant amici illorum de Pepolis propter vulnus factum in facie Berto de Bacelleriis; & fiebat dicta de causa magna custodia in Bononia, quia timebatur de rumore inter Pepolos, & Gozadinos. Tamdem fuit facta concordia inter ipsos. Eodem mense circa finem fuit alia discordia inter Dominum Brandelisium de Gozadinis, & Dominum Thaddæum de Pepolis, quia publicè dicebatur, quòd gentes Dominorum de la Scala debebant equitare super Comitatu Bononiæ, & quòd Dominus Brandelisius volebat dare Civitatem Bononiæ dictis Dominis de la Scala. Sed Dominus Thaddæus valde sapienter fecit, & ivit ad cœnandum cum Domino Brandelisio, & facta fuit concordia inter ipsos; & si aliquid latebat de malo contra Civitatem, Dominus Thaddæus abstulit omne malum cum pulchris modis, salvando semper honorem & famam Domini Brandelisii. De mense Septembris Dominus Johannes de la Tosa de Florentia fuit Capitaneus Populi Bononiæ. De mense Octobris fuit rumor magnus Bononiæ inter Dominum Brandelisium de Gozadinis, & Tuniolum de Logliano; sed operatione Domini Thaddæi de Pepolis fuit facta concordia incontinenti inter eos. De mense Novembris facti fuerunt quatuor Bariselli, scilicet unus pro quolibet Quarterio, quorum nomina sunt hæc, videlicet: Thomas Judicis: Carlinus de Ghisileriis: Zanus de Ramenghis: Vandolus de Vandolis. Fuit factus novus Proconsul Societatis Notariorum Valles de Gozadinis Notarius pro sex mensibus inchoandis in Calendis mensis Martii proximi venturi.

MCCCXXXVI. Dominus Johannes de la Tosa Capitaneus Populi. Die primo Januarii Dominus Thaddæus de Pepolis, Mazarellus de Chuzano, Dominus Brandelisius de Gozadinis, Matthæus de Ursis, Dinarellus de Ghisileriis, Dominus Ferinus de Galuciis, missi fuerunt Ferrariam ad honorandum corpus Domini Marchionis Raynaldi de Ferraria noviter defuncti. Quidam socius Matthæi de Ursis, vocatus Augustinus, interfecit quemdam Campsorem de Blanchittis de Bononia, qui ibat in mane cum bursa ad tabulam sui cambii, & robavit sibi bursam cum pecuniis. Sed eodem die captus fuit dictus latronus, & illico fuit suspensus juxta Ecclesiam S. Donati, ubi ipse commiserat homicidium. De mense Februarii venerunt tercenti equites de Civitate Mutinæ super Comitatu Bononiæ, & ceperunt multas bestias, & interfecerunt aliquos de Boccadeferris, & aliquos ceperunt, & postea die sequenti recesserunt de dicto Comitatu Bononiæ. Die XVIII. Februarii Dominus Thaddæus de Pepolis, Dominus Brandelisius de Gozadinis, Dominus Bornius de Samaritanis, Dinarellus de Ghisileriis iverunt simul Ferrariam ad parlamentum, & citò redierunt. Qua autem de causa hoc fuit, non potuit sciri; sed omnes suspicati fuerunt, quòd ipsi ivissent pro bono, causâ habendi colloquium cum illis de la Scala, ad obviandum ne venirent contra Bononiam, quia publicè dicebatur, quòd ipsi de la Scala volebant ponere exercitum contra Civitatem Bononiæ. Die XXIII. Februarii præconizatum fuit alta voce super Arengheriam Communis Bononiæ, quòd omnes de Domo de Zovenzonibus à septem annis supra usque ad septuaginta deberent comparere coram Potestate; aliàs intelligerentur banniti Communis Bononiæ; & dictum fuit, quòd fuerunt quatuordecim illi, qui fuerunt banniti de Zovenzonibus. Et hoc fuit, quia Ninus de Zovenzonibus litigabat cum uno amico Proconsulis, scilicet Vallis de Gozadinis Proconsulis Notariorum; & Dominus Valles juvabat illum, & Calorius de Gozadinis erat amicus illius de Zovenzonibus, & toto posse adjuvabat ipsum. Qua de causa Valles de Gozadinis pervenit ad verba cum Calorio de Gozadinis, & dictus Calorius dedit de manibus in pectore Vallis Proconsulis. Et ob id Proconsul non potens ulcisci contra Calorium, vindicavit se illo modo; & vocavit alios Proconsules, & ordinavit, quòd omnes de Zovenzonibus, qui remanserant in Bononia, deberent omnes expelli extra Civitatem Bononiæ. De mense Martii fuit magnus rumor de nocte in Bononia in Quarterio Portæ Steri, eo quia quidam de Ghisileriis, & quidam de Gozadinis percusserunt noctis tempore unum de familia Domini Potestatis, & fugaverunt familiam Potestatis usque in Palatium. Postea familia Potestatis iterum rediit, & iterum fugata fuit familia, & duo de ipsa familia fuerunt percussi. Et ob id multæ fuerunt coadunatæ gentes, causâ fugandi dictam familiam. Die verò sequenti, quia Potestas Bononiæ conquerebatur, & volebat dimittere officium, & recedere, Populus in Consilio dedit sibi magnum arbitrium inquirendi, & puniendi super illo negotio, & si aliquis banniretur dicta de causa, numquam posset cancellari, nisi irent chartesellæ per Societates. Et postea in alio Consilio electus fuit novus Dominus Jacobus de Cabriellis de Eugubio, qui tunc erat Conservator in Civitate Florentiæ, cujus officium Potestariæ hìc debebat incipere in Calendis Julii proximè venturi. Et datus fuit ordo, quòd si hìc veniret in officio Potestariæ, quòd tenere posset centum pedites, & quinquaginta equites. Et propter dictam causam Capitaneus Populi cepit duos famulos, & postea cepit unum de Ghisileriis, scilicet Francischinum Domini Pucii Surdi de Ghisileriis, quem tormentavit, & volebat ipsum decapitare; sed repertum fuit, quòd tempore dicti rumoris Dominus Francischinus erat ad stupam, nec tempore rumoris fuit in Contrata, ubi fuit ru-

A rumor. Ideo Dinarellus, & alii de Ghisileriis voluerunt eum defendere unà cum Domino Brandelisio de Gozadinis. Et quia Capitaneus volebat tantùm ipsum Franciscinum, vel non culpabilem, facere mori, & illi nolebant, ideo fuit magnus rumor in Bononia, & timor ne tota Bononia curreret ad arma. Et omnes de Ghisileriis sgombraverunt eorum domos, & erant parati defendere ipsum cum armis, & similiter Dominus Brandelisius cum illis de Gozadinis. Die verò Sabbati proximè sequuti fuerunt septem proclamati, & cridati ad Arengheriam Communis Bononiæ, videlicet quatuor de Ghisileriis, Boninus Gottoli de Sardellis,
B Maghinardus de Primaditiis, & Calanchinus de Calanchis, ut per totam illam diem comparerent, vel essent banniti in avere & in persona: quorum aliqui defendebant se ut Clericos, & aliqui fuerunt ducti ad jus per Dominum Brandelisium, & per quosdam alios: itaque liberati fuerunt. Die verò Dominica sequenti post prandium Dominus Brandelisius de Gozadinis ibat equitando ad solatium per Contratam Saragociæ, & incœpit currere equum unà cum sociis, qui secum erant, in quibus etiam erat Jacobus filius Domini Thaddæi de Pepolis, qui etiam cucurrit eum equo suo; & dum Dominus Brandelisius vellet volvere equum Jacobi de
C Pepolis, qui currebat, casualiter venit obviare equo Domini Brandelisii, & urtaverunt per modum talem, quòd ambo ipsi, scilicet Dominus Brandelisius, & Jacobus ceciderunt in terram, & Dominus Brandelisius erat supinus in terram, & multi credebant, quòd esset mortuus, & portatus fuit in domo Bartholomæi Marescalchi, & ibi fecit se subitò salassari; & dictus Jacobus de Pepolis habuit modicum malum, & ivit in domum Tunioli de Albergatis, & stetit ibi modicum, & recessit in vesperis Scholarium. Et propter hoc nova iverunt per Bononiam, quòd ipsi se urtaverant ad invicem. Itaque quasi omnes se armaverunt. Sed visum fuit,
D quòd factum non processerat malitiosè, & ideo nihil aliud innovatum fuit. Eodem anno Marchio Oppizo Estensis de Ferraria intravit Civitatem Mutinæ die XIII. mensis Maji, & factus fuit Dominus dictæ Civitatis per Guidonem, & Manfredum de Piis, Vicarios Regis Bohemiæ: de quo factum fuit Bononiæ magnum gaudium, & magna hastiludia, & gaudia per Societates. Die XXX. Maji Muzolus de Balduinis fuit factus novus Proconsul Societatis Notariorum, cujus officium incœpit in Calendis Julii proximè venturi. Die XVIII. Junii interfectus fuit Johannes Sale de Planorio, familiaris Domini Thaddæi de Pepolis, & unus familiaris
E Domini Brandelisii de Gozadinis interfecit ipsum. Unde tota illa nocte steterunt armati illi de Gozadinis, & illi de Pepolis. Sequenti verò die factum fuit consilium, in quo Dominus Brandelisius se excusavit dicendo, quòd illud homicidium factum fuit contra suam voluntatem, & ipso ignorante. Dominus Franciscus Domini Bernarducii de Norsa intravit officium Potestariæ Bononiæ. De mense Julii fuit rumor in Platea Bononiæ, eo quia bannum erat, quòd nullus, cujuscumque conditionis esset, auderet portare aliqua arma, eques, vel pedes, sive Civis, sive forensis; & illa die accepta fuerant arma pluribus forensibus stipendiariis, qui portabant arma contra dictum bannum. Sed accidit, quòd Dominus Brandelisius de Gozadinis, cum aliquibus equitibus cum eo, transibat per Plateam, & ipse, & omnes, qui erant cum eo, habebant spatam, & cultellum; & familia Potestatis voluit accipere arma omnibus eis, & Dominus Brandelisius nolebat. Et Dominus Potestas erat super arengheria, & dicebat familiæ suæ: *accipite eis arma*: & tunc familia volebat tantum eis arma accipere. Tunc Dominus Brandelisius extraxit ensem de vagina, & similiter omnes, qui erant cum eo, & multi traxerunt illuc, & trahebant lapides Potestati super arengheria, ex quo Potestas recessit de arengheria; & tunc fuit magnus rumor in Platea: tamen de ipso rumore nihil factum fuit. De mense Augusti fuit magnus rumor in Bononia, eo quia dum Jacobus de Pepolis, filius Domini Thaddæi de Pepolis ivisset ad Episcopatum Bononiæ ad supplicandum Episcopo, pro ut etiam multis aliis vicibus iverat, pro quodam suo amico pro obtentu Plebis S. Johannis in Persiceto, quæ tunc vacabat, & amicus dicti Jacobi super illa Plebe litigabat cum uno Florentino, dictus Jacobus videns, quòd Episcopus ducebat illum per verba, & numquam dicebat sibi verum, habuit aliqualia verba cum Episcopo, conquerendo de eo, quod sibi tortum faciebat pro suo amico; & ob id Episcopus cum uno cultello percussit Jacobum de Pepolis super oculum, & percussit unum, qui vocabatur Amadore, qui erat cum dicto Jacobo. Et cùm hoc sentitum fuit, subitò tota Civitas Bononiæ se armavit, & omnes Cives armati accesserunt cum magno furore ad Episcopatum Bononiæ, & derobaverunt omnia, quæ ibi invenerunt. Et Episcopus per aliquot bonos Viros fuit absconditus, ne esset mortuus. Et casualiter erant ibi aliqui boni Homines, qui secretè sociaverunt ipsum extra Episcopatum, & postea infra paucos dies ipse Episcopus clandestinè recessit de Civitate Bononiæ, & ivit Civitatem Florentiæ. Et visum fuit sibi satis fecisse, evadere de manibus Jacobi de Pepolis; quia dicendo veritatem ipse malè fecerat vulnerare Jacobum, qui erat filius majoris & potentioris Civis, qui umquam fuisset in tota Civitate Bononiæ. De mense Novembri Collacius de Beccadellis, & Santolinus de Beccadellis, qui erant confinati, & de gratia poterant stare in Comitatu Bononiæ ad confines, fuerunt de novo confinati Ferrariam. Eodem mense Dominus Thaddæus de Pepolis, Dominus Bornius de Samaritanis, Dominus Brandelisius de Gozadinis, & multi alii magni Cives Civitatis Bononiæ iverunt Ferrariam. Et dictum fuit, quòd iverunt ad procurandum facere, quòd Marchiones irent, vel permitterent ire Florentinos, Bononienses, & alios de liga ad ponendum exercitum Civitati Parmæ; & ignoratum fuit aliter, quid fecerint. Tamen non fuit aliqua novitas propter illud in Civitate Bononiæ.

MCCCXXXVII. de mense Januarii in Vigilia S. Agnetis fuit magna novitas in Bononia, quia horâ vespertinâ Busolinus de Gozadinis percussit in facie Verium de Sassuin, amicum illorum de Bentivoglis. Unde Che-

Chechus de Bentivoglis extraxit ensem, & cridavit: *Vivant Antiani, & vivat Barisellus.* Et similiter fecit Vezolus de Malvitiis, & multi alii clamaverunt: *Vivat Barisellus*; multi: *Vivat Dominus Thaddæus de Pepolis*; aliqui etiam: *Vivat Dominus Brandelisius de Gozadinis*. Unde Antiani fecerunt proclamari, quòd omnes recederent de Platea, & projiciebant eis lapides, & sagittas de Palatio. Itaque omnes recesserunt de Platea, & fecerunt stare familias Potestatis, & Capitanei, & stipendiarios in Platea; & fiebat magna custodia illa nocte, & magna gens ivit ad domum illorum de Gozadinis, & etiam valde major ad domum illorum de Pepolis, & sic steterunt; & pro illa vice nihil aliud factum fuit. Post prædicta cridatum, & proclamatum fuit, quòd omnes confinati deberent elongare se à confinibus per centum milliaria longè à Civitate Bononiæ infra quindecim dies, & infra alios quindecim dies scribere, notificando loca, ubi erunt ad confinia. Et Bertus de Bacelleriis, & socius suus Tomus de Cento fuerunt banniti solùm, quia cridaverunt: *Vivat Dominus Brandelisius*. Et Chichinus de Bentivoglis etiam, & Vezolus de Malvitiis banniti fuerunt, quia clamaverunt: *Vivant Antiani, & vivat Barisellus*. Die tertia Februarii præconizatum fuit, quòd omnes solverent præstantiam impositam de sex mille libris Bononiensium. Demum circa medium dictum mensem Domini Antiani portari fecerunt campanam Populi, & campanam Antianorum in Turri Palatii eorum residentiæ, ubi primò erat super Turri Capitanei Populi. Die XXI. dicti mensis Fulcirolus Capitaneus de Medicina fuit interfectus in Villa Tresenti. Eodem die vênit novum Bononiam, quòd illi de Primadiciis in Villa Saleti interfecerant Archipresbyterum de Saleto, propter quod maleficium multi, immo major pars illorum de Primadiciis banniti fuerunt, inter quos fuit Maghinardus de Primadiciis, qui dum bagordaret in die S. Mathiæ, fuit cridatus & bannitus ad arengheriam Communis Bononiæ. De mense Martii Dominus Raynerius de Cancelleriis de Pistorio vênit pro Capitaneo Populi Bononiæ. Dominus Octavianus de Belfortis de Vulterris fuit electus Potestas Bononiæ. Die VIII. Aprilis Pascipauper de Pascipoveris fuit confinatus Faventiam, eo quia dixit dedecus uni ex Antianis Communis Bononiæ, sed rediit infra quatuor dies de confinibus. Nannes Castellani de Gozadinis Notarius die XXVII. Maji electus fuit Proconsul Societatis Notariorum, cujus officium incipere debet, si poterit, in Calendis mensis Julii proximè venturi. Die secundo Junii fuit rumor in Bononia in Burgo S. Petri inter illos de Spilli, & aliquos de Maranensibus, & multi fuerunt vulnerati. Unde ordinatum fuit facere confinatos; & non habuit locum, quia dictum fuit, quòd volebant bene facere ultra ducentos confinatos; sed die sequenti in mane solùm tredecim fuerunt confinati & cridati ad arengheriam, quòd antequam candela extingueretur, deberent comparere, aliàs intelligantur banniti ut proditores. Inter quos fuerunt illi de Spilli, & aliqui alii, qui traxerunt ad dictum rumorem, banniti fuerunt, & duo de Maranensibus. Die XIV.

A dicti mensis Ser Michaël de Bentivoglis electus fuit Barisellus, cujus officium incipere debet in Calendis mensis Julii. Die XV. dicti mensis intravit in officio Proconsul novus Societatis Notariorum, videlicet Nannes Castellani de Gozadinis. Die ultimo dicti mensis Dominus Andreas de Foliano de Rhegio fuit electus Capitaneus Populi Bononiæ, qui incipere debet officium in Calendis mensis Septembris proximè venturi. Quidam rusticus die quinta mensis Julii interfecit quemdam de Navi, qui erat, vel esse debebat bannitus Communis Bononiæ, eo quia interfecerat Fulcilorum Capitaneum de Medicina, ut superiùs scripsi. Et iste rusticus B captus fuit ab hominibus illius Villæ, ubi fuit mortuus. Hoc audiens Jacobus de Blanchis, quia erat valde suus amicus, accessit cum multis hominibus bene sociatus, & accepit illum rusticum de manibus illorum, qui ceperant ipsum. Postea Dominus Brandelisius de Gozadinis sensit hoc; & quia ille de Navi, qui primò fuit mortuus, erat valde suus amicus, ivit ad Dominum Potestatem, & ad Antianos, & multum instabat, quòd fieret justitia de Jacobo de Blanchis. Et posita fuit una candela ad arengheriam, quod antequam sit arsa, Jacobus de Blanchis compareat; aliàs sit, & esse intelligatur bannitus Communis Bononiæ. Et Domini C Antiani videntes, quòd inter Blancos, & Gozadinos esset rixa, nisi provideatur de remedio, acceperunt fidejussionem à qualibet parte de sex millibus libris Bononiensium, quòd ipsi non facient aliquam novitatem. Et die sequenti non steterunt propterea firmi, immo illi de Blanchis armaverunt se, & Gozadini fugaverunt Blancos. Sed Dominus Thaddæus de Pepolis, qui semper sedabat & removebat pro posse omnes rumores, vênit subitò ad Plateam; & cùm visus fuit Dominus Thaddæus, incontinenti gentes, quæ erant cum Domino Brandelisio de Gozadinis incœperunt recedere, & Dominus Thaddæus cepit per manum Dominum D Brandelisium, & duxit ipsum ad Plateam; & tunc uterque ipsorum ivit ad domum suam propriam. Tunc Antiani fecerunt proclamari decem de Gozadinis de majoribus, qui erant in domo Gozadinorum, quòd incontinenti deberent ire ad confines ad Castrum-francum. Et similiter sex de domo de Blanchis, quòd deberent illico ire ad confines ad Castrum S. Petri. Et multæ & multæ gentes iverunt ad furorem ad domos de Gozadinis, & posuerunt ignem in eis, & multi fuerunt deprædati, & similiter multi de amicis eorum; & incontinenti iverunt ad domos illorum de Formaglinis in Strata Majori, & similiter ipsas arserunt, & derobaverunt. E Postea in sero Dominus Brandelisius de Gozadinis fugit de Bononia, & ivit in rure ad domum Mazarelli de Ghuzano; & Jacobus Domini Thaddæi de Pepolis, & Dinarellus de Ghisileriis sociaverunt eum cum duabus banderiis stipendiariorum. Die verò sequenti præconizatum fuit, quòd omnes fidejussores Domini Brandelisii solvere deberent Communi Bononiæ mille libras Bononiensium pro quolibet; aliàs bona ipsorum publicabuntur. Alia verò die sequenti cridatum & proclamatum fuit ad arengheriam Communis, quòd omnes de Gozadinis, & omnes

omnes de Formaglinis à quatuordecim annis supra, & à septuaginta annis infra hodie per totam diem deberent exivisse Civitate Bononiæ, & ejus districtu, sub pœna averis & personæ, & infra octo dies debeant fidejussisse de stando confinibus, eis assignandis. Et isto tempore captæ fuerunt per Lippum de Alidosiis de Imola tres banderiæ stipendiariorum, quæ veniebant Bononiam in auxilium Domini Brandelisii. Et factus fuit Proconsul Notariorum Dominus Nicolaus de Magnanis Notarius de Strata Majori, eo quia alter Proconsul erat de Gozadinis, qui fuit cassus & expulsus cum aliis de Gozadinis. Et facti fuerunt viginti duo confinati de amicis Gozadinorum, qui fuerunt ad domum de Gozadinis tempore dicti rumoris, inter quos fuit confinatus Bacellerius de Bacelleriis, Nerius quondam Domini Lamberti de Cento, Andreas de Beccariis, Pedracius de Basacomatribus, Jacobus de Gandonibus, Nicolaus de Monferario, Ugazolus de Scifanti, & certi alii non ita notabiles. Postea ordinatum fuit, quòd eligerentur tres Cives pro quolibet quarterio, habentes providere circa bonum Statum Civitatis Bononiæ, & electi sunt infrascripti Cives, videlicet, Dominus Paulus de Bonacaptis, Dominus Bartholomæus de S. Alberto, Dominus Minus de Garisendis Quarterii S. Petri. Dominus Bornius de Samaritanis, Dominus Dinarellus de Ghisileriis, Dominus Paulus de Albirolis Quarterii Steri. Dominus Thaddæus de Pepolis, Dominus Blancolinus de Blanchis, Dominus Thomas de Manzolino Quarterii Ravennæ. Dominus Ferinus de Galuciis, Dominus Raynerius de Odofredis, Dominus Buvalellus de Enselminis Quarterii S. Proculi. De mense Augusti Dominus Ferinus de Galuciis recepit vexillum Domini Brandelisii de Gozadinis, & fuit pulsatum ad arengum, ut moris est, quando dantur confaloni. Et hìc fuerunt nova, quòd Venetiani, & Florentini ceperant Paduam, & habebant captum Dominum Albertum de la Scala. De quo facta fuerunt magna hastiludia in Bononia, & multæ Brigatæ vestitæ de cendali. Post aliquot dies Dominus Marsilius de Rubeis de Parma, qui erat ad Monremscilicem in Comitatu Paduæ ad exercitum, mortuus fuit.

Sequitur quomodo, & quando Dominus Thaddæus de Pepolis fuit factus Dominus Civitatis Bononiæ.

Eodem anno MCCCXXXVII. die XXVIII. mensis Augusti, in die S. Augustini, Magnificus & potens Dominus Dominus Thaddæus natus olim Domini Romæi de Pepolis, Civis Bononiensis, unà cum filiis suis, & cum stipendiariis Communis Bononiæ iverunt ad Plateam Communis Bononiæ cridando: *Vivat Dominus Thaddæus*; & aliqui alii existentes in Platea clamabant: *Vivant Antiani*; & aliqui: *Vivat Populus*. Et omnes sic dicentes expulsi fuerunt de Platea, & similiter Barisellus fuit expulsus de Platea. Itaque communiter & concorditer omnes cridabant: *Vivat Dominus Thaddæus de Pepolis*. Et fuit Dominus Thaddæus introductus in Palatium Antianorum; & subitò bannitum; & proclamatum fuit per totam Civitatem Bononiæ ex parte Domini Thaddæi de Pepolis, Capitanei generalis Civitatis Bononiæ, quòd nullus committat aliquam robariam. Et si aliquis esset damnificatus, vel robatus de aliquo, quod ipse Dominus Thaddæus volebat emendare, & satisfacere de suo proprio. Et die sequenti factum fuit Consilium Populi, & in dicto Consilio ipse Dominus Thaddæus fuit per Populum Bononiæ unanimiter & concorditer confirmatus. Et verè ipse Bononiam merebatur, quia donec ipse vixit, ipse tenuit Bononiam semper in pace & ubertate, & fuit justior Dominus, qui umquam repertus fuerit in Mundo; & sic communiter reputatus fuit non solùm ab amicis, sed etiam ab inimicis, & contrariis suis. De mense Septembris dictus Dominus Thaddæus de Pepolis Dominus Bononiæ ita ordinavit, quòd quasi omnes stipendiarii venerunt ad standum prope Plateam, ut ipsi essent apud ipsum in omnem eventum. Et fecit destrui beccarias, quæ erant juxta Palatium suum, & fecit ibi incipere unum murum ab utroque latere. Et filii dicti Domini Thaddæi induerunt secum multos Nobiles Cives Bononiæ duabus vicibus pro sociis dictorum filiorum, & multos alios etiam suis expensis propter gaudium, & in honorem dicti Domini & suum, pro domicellis eorum. De mense Octobris publicatum fuit ad arengheriam Communis, & lectæ fuerunt literæ, quòd Civitas Brixiæ, quam tenebant Domini de la Scala, capta fuit per Dominos Vicecomites de Mediolano. De mense Decembris Johannes filius dicti Domini Thaddæi de Pepolis ivit Ferrariam ad sociandum Marchiones Venetias, qui iverunt ad parlamentum, quod fiebat Venetiis, in quo tractabatur de liga, & de factis inter Venetianos, & Dominos de la Scala; & prædictus Johannes de Pepolis ivit multum bene sociatus. De dicto mense Thomas Cavallinus beccarius factus fuit Persequutor bannitorum, & habet officium, quod solebat habere Barisellus. Sed Dominus voluit, quòd mutaretur nomen dicto officio, & loco Barisellli vocaretur Persequutor Bannitorum; & dictum officium incipere debet in Calendis mensis Januarii proximè venturi, & durare spatio sex mensium. De dicto etiam mense factus fuit Corrector Notariorum Jacobus de Argelata Notarius loco Proconsulis Notariorum, quia Dominus Thaddæus mutavit nomen dicto Officio, & qui vocabatur per omnes Proconsul, vocetur Corrector, & duret duobus mensibus, ubi primò durabat sex mensibus. Item ubi solebant esse octo Consules in Societate Notariorum, ordinavit, quòd de cetero non fierent nisi quatuor, scilicet unus pro Quarterio. Die secundo Novembris dictus Dominus Thaddæus de Pepolis misit tres solemnes Ambaxiatores Venetias, & Paduam, videlicet Dominum Johannem Andreæ famosissimum Doctorem, Dominum Ferrinum de Galuciis, & Nannem Guelfum de Griffonibus; qui Ambaxiatores reversi fuerunt die VIII. Decembris. Item dicta die misit duos alios Ambaxiatores Florentiam, videlicet Dominum Jacobum de Dalfinis, & Henricum de Torellis, qui redierunt die XIX. dicti mensis Novembris.

MCCCXXXVIII. de mense Januarii Dominus Octavianus de Belfortis de Vulterris gessit officium Potestatis, sicut aliis mensibus præcedentibus, eo quia fuit confirmatus. Do-

Dominus Thaddæus de Pepolis Dominus Bononiæ ivit ad Castrum-francum ad parlamentum cum Domino Marchione Ferrariæ, qui venit ibi, qui Marchio debebat ire Mediolanum ad parlamentum, ut communiter dicebatur; quia dubitabatur, quòd Dominus Bavarus veniebat in Italiam cum sex mille equitibus de consensu Ecclesiæ Romanæ. De mense Februarii quidam stipendiarius fuit aggressus alium stipendiarium in Platea, ita quòd ibi fuit rumor, & multi traxerunt ibi ad rumorem. Vox ivit per Civitatem, quòd Terra currebat, & quòd omnes trahebant ad Plateam. Unde Doctores legentes, qui intraverant in nonis, exierunt scholas, & omnes stipendiarii armaverunt se, sed incontinenti rumor fuit sedatus, & nihil fuit. Tamen ille stipendiarius, qui fuit causa rumoris, fuit decapitatus die Lunæ Carnisprivii. Die prima Martii Dominus Manuel de Fontana de Placentia intravit officium Potestariæ Bononiæ, quia alius Potestas, scilicet Dominus Octavianus, petiit licentiam. In die Sabbati Sancti Lazari fuit magna novitas in Civitate Bononiæ, quia captus fuit Mengotius de Ghisileriis, & Franciscinus de Ghisileriis, & per suam confessionem reperta fuit quædam magna proditio. Nam Mazarellus de Chuzano, qui erat magnus & potens Montanarius, ordinaverat unà cum dicto Mengotio, & cum Domino Bonincontro filio Domini Johannis Andreæ Doctoris famosissimi, & cum Galaocto de Lambertinis, & cum Franciscino de Ghisileriis, quòd Dominus Thaddæus de Pepolis, & filii ejus interficerentur, & quòd dictus Mazarellus fieret Dominus Civitatis Bononiæ. Unde die Dominica sequenti Dominus Thaddæus de Pepolis habuit consilium cum suis sapientibus, & horâ tertiâ fecit poni unam candelam ad arengheriam, & proclamari, quòd antequam candela extinguatur, Mazarellus de Chuzano, Dominus Bonincontrus, Galaoctus de Lambertinis, & Franciscinus de Ghisileriis deberent comparere; aliàs intelligantur banniti, & proditores, & rebelles Communis Bononiæ. Die Lunæ sequenti de mane Mengotius de Ghisileriis prædictus fuit decapitatus propter dictam proditionem. Mazarellus autem de Chuzano prædictus subitò cùm intellexerat, quòd tractatus erat revelatus, recesserat de Bononia, & iverat ad Castrum Savigni, & bene volebat intrare Montembellium; sed Dominus Thaddæus fuit valde sapiens, & misit ibi stipendiarios subitò, cùm scivit, quòd Mazarellus fugerat. Et misit ad obsidionem Castri Savigni, ut caperetur Mazarellus, sed Mazarellus recessit de Savigno, antequam magna gens veniret; & ivit in Comitatu Mutinæ, & ibi se reduxit, & postea inde discessit, & ivit ad Civitatem Ferrariæ, & dimisit fulcita duo Castra, in quibus se reduxerat in Comitatu Mutinæ, videlicet Sassadellam, & Montemvecchium. De mense Aprilis Dominus Raynerius de Forlivio Doctor Legum, & sex Scholares electi ad legendum & tenendum Studium in Castro S. Petri propter interdictum Studii, iverunt ad dictum Castrum dicta occasione, & multi Scholares iverunt ad intrandum ibi dicta de causa. Eodem mense Dominus Thaddæus de Pepolis Dominus Bononiæ misit duos Doctores ad Curiam Romanam; ut ambo essent sui Advocati in causa, quam ibi habebat, videlicet Dominum Paulum de Liazaris, & Dominum Macagninum de Azoguidis, generum dicti Domini Thaddæi de Pepolis. Die primo Julii Dominus Manuel de Fontana de Placentia incœpit officium Potestariæ Bononiæ pro sex mensibus.

MCCCXXXIX. die secundo Maji facta fuit pulchra Zostra in Platea Communis Bononiæ, & novem Zostratores sustinuerunt Zostram tota die, scilicet tres Milites, & sex Domicelli, & omnes erant induti de albo. Et Johannes de Pepolis filius Domini Thaddæi occultè venit armatus ad Zostram. Et Dominus sensit, & iratus fuit, & destrui fecit Zostram. Tamen tantum fuit rogatus, quòd Zostra reincœpta fuit; & superadstantes Zostræ erant Dominus Passarinus de la Turre de Mediolano, Dominus Negrus de Bruxatis de Brixia, & Ugutio de Tholomæis de Senis, qui debebant videre, quis obtinebat. Et ibi erat Ziglius de Thebaldis Notarius, qui scribebat culpos, secundùm quod illi superadstantes dicebant sibi. De mense Julii Romæus de Pepolis, filius dicti Domini Thaddæi die sexta dicti mensis mortuus est morte naturali, & sepultus ad domum Fratrum Prædicatorum S. Dominici; qui erat juvenis ætatis annorum sexdecim, & habuit honorem pulcherrimum, ut decebat filium tanti Domini. De mense Augusti Dominus Thaddæus de Pepolis Dominus noster passus fuit aliquantulum; & quando fuit melioratus, ivit ad standum ad S. Proculum. Eodem mense venerunt nova, quòd Dominus Azo Vicecomes Mediolani &c. mortuus erat, & Dominus Thaddæus misit illuc duos Ambaxiatores dolendo de ejus morte, videlicet Dominum Paulum de Liazaris, & Ser Jacobum de Baldoinis. De mense Septembris venerunt nova Bononiæ, quòd Dux Venetiarum mortuus erat, & post aliquot dies factus fuit novus Dux Venetiarum, videlicet Dominus Bertulus Gradenico de Venetiis. Qua de causa Dominus noster Dominus Thaddæus de Pepolis misit duos Ambaxiatores Venetias ad dictum Dominum Ducem ad congaudendum de sua electione, & ad offerendum se sibi, & raccomandandum sibi se, & totam Civitatem Bononiæ. Qui Ambaxiatores fuerunt infrascripti duo, videlicet, Dominus Azo de Ramenghis Doctor Decretorum, & Dominus Minus de Garisendis Jurisperitus. Die secundo Novembris Dominus Thaddæus de Pepolis Dominus Bononiæ misit duos Ambaxiatores Venetias, & nemo potuit scire causam suæ andatæ; & Ambaxiatores fuerunt isti duo, videlicet Dominus Lianorius de Griffonibus Doctor, & Dominus Petrus de Ghisileriis Judex.

MCCCXL. Dominus Nigrus de Brusatis de Brixia Potestas intravit in officio die primo Januarii, qui ante erat de Curia Domini Thaddæi de Pepolis. In mense prædicto Johannes de Pepolis, filius Domini Thaddæi ivit duabus vicibus in paucis diebus Ferrariam, & citò fuit reversus, nec potuit sciri per aliquem de causa sui accessus. Tamen omnes crediderunt, quòd fuit pro factis Marchionum. De mense Martii venerunt nova, quòd Mercenarius de Firmo inter-

terfectus fuit à quibusdam suis inimicis, & propter ejus mortem Dominus Marchio Marchiæ, qui erat ibi pro Ecclesia, accepit aliquas Civitates, & Castra, & etiam incipiebat in aliis partibus esse magnus Dominus. De mense Aprilis factum fuit consilium, in quo lecta fuit litera Domini Papæ, quomodo ipse volebat, quòd Commune Bononiæ posset facere Consilium Populi, & constituere Syndicos ad faciendam concordiam inter Dominum Papam, & Dominum Thaddæum de Pepolis; & sic facti fuerunt Syndici, videlicet Dominus Petrus de Bompetris Legum Doctor, & Ser Thura Doctor Medicinæ. Die primo Augusti Dominus Beltraminus Episcopus Cumanus, Procurator Domini Papæ, de voluntate Domini Thaddæi de Pepolis fecit præconizari & bandiri Consilium Populi, in quo omnes venire possent, & in ipso Consilio ipse publicavit & exposuit concordiam, & omnia pacta facta inter Dominum Papam, & Dominum Thaddæum; quomodo Dominus Thaddæus de voluntate Domini Papæ remanebat Dominus, & Vicarius Civitatis, Comitatus, & Districtus Bononiæ pro Domino Papa, & S. Romana Ecclesia; & in dicto Consilio facti fuerunt duo Syndici Communis Bononiæ ad dandum possessionem Civitatis, & Comitatus Bononiæ dicto Domino Episcopo pro Domino nostro Papa. Et prædicti duo Syndici fuerunt Ugolinus de Bonacaptis, & Nicolaus de Saliceto filius olim Brandani de Saliceto; & fuerunt datæ sibi claves Portarum Civitatis Bononiæ, cum quibus dictus Episcopus aperiri & claudi faciebat Civitatem, & etiam ipse extraxit multos de carceribus, qui debebant mori, in signum veræ possessionis. Et similiter ivit cum dictis Syndicis in Comitatu ad S. Johannem, Castrumfrancum, & multa alia Castra, & postea reversus est Bononiam. Et die XXI. dicti mensis Augusti dictus Episcopus existens in S. Petro reintegravit Civitatem Bononiæ, & amovit omnes processus, interdictus, & sententias contra ipsam Civitatem factas, & dedit dominium Civitatis, Comitatus, & Districtus Bononiæ Domino Thaddæo de Pepolis, qui remansit filius, & amicus Domini Papæ, & S. Romanæ Ecclesiæ, & tenuit ipsam Civitatem modo debito ab Ecclesia Romana. Die verò XXV. dicti mensis Augusti Johannes de Pepolis, filius dicti Domini Thaddæi ivit Ferrariam, & ad Castrum Rhodigii, & ibi vênit Dominus Ubertinus de Carraria, Dominus Paduæ; sed nemò potuit scire causam dicti accessus. Eodem anno die primo Septembris Johannes de Pepolis prædictus rediit Bononiam, & die sexto dicti mensis dictus Dominus Beltraminus Episcopus Cumanus, Syndicus, & Procurator Domini Papæ, recessit de Bononia; & Dominus Thaddæus de Pepolis sociavit eum usque ad Portam Civitatis; & Jacobus de Pepolis filius dicti Domini sociavit eum usque Mutinam. Eodem mense Jacobus de Pepolis prædictus ivit ad accipiendum possessionem Castri Lughi, quod Comites de Chunio ceperant de mense præcedenti, & dederunt Domino Thaddæo Domino Civitatis Bononiæ. De mense Octobris Dominus Thaddæus de Pepolis misit Dominum Petrum de Bompetris in ejus Ambaxiatorem ad Dominum Papam.

MCCCXLI. Dominus Johannes de la Tosa de Florentia Potestas Bononiæ intravit officium. Facta fuit magna & pulchra Zostra Bononiæ in Platea in die Paschatis Resurrectionis; quo nova venerunt, quòd Saraceni fuerunt conflicti; & venerunt in Regno Poloniæ ultra ducentum millia, & omnes fuerunt conflicti, & captus fuit ipsorum Saracenorum Dux. De mense Maji obiit uxor Domini Oppizonis Estensis Marchionis Ferrariæ, quæ erat soror Domini Thaddæi de Pepolis, & pro ea factæ fuerunt magnæ exequiæ in Bononia in Ecclesia Fratrum Prædicatorum. Dominus Guilielmus de Assisio fuit Potestas Bononiæ pro secundis sex mensibus.

MCCCXLII. Dominus Conradus de Bossi fuit Potestas Bononiæ pro primis. Dominus Franciscus de Camporinis pro secundis. Dominus Rex Robertus decessit. Papa Benedictus XII. decessit de mense Aprilis, & ejus loco de mense Maji fuit factus Papa Clemens VI. qui stetit Papa decem annis, & octo mensibus.

MCCCXLIII. Dominus Bertus de Frescobaldis de Florentia fuit Potestas Bononiæ pro primis, & Dominus Raynaldus de Scaffulo pro secundis. Die XXV. Januarii Societas Ducis Guarnerii transivit per Comitatum Bononiæ prope Civitatem; & tanta fuit prudentia & curialitas Domini Thaddæi de Pepolis, quòd scivit sic facere, quòd gentes illæ non damnificaverunt in aliquo Comitatum Bononiæ. Die XII. Augusti Dux Athenarum Dominus Florentiæ fuit expulsus de Florentia, & vênit Bononiam.

MCCCXLIV. Lambertucius de Zazonibus fuit Potestas Civitatis Bononiæ pro primis sex mensibus, & Dominus Bonifacius de Rizardis de Pistorio fuit Potestas pro secundis. Die primo Julii Dominus Mastinus de la Scala, & Dominus Marchio de Ferraria venerunt ad Civitatem Bononiæ ad parlamentum cum Domino Thaddæo de Pepolis Domino Civitatis Bononiæ.

MCCCXLV. Dominus Johannes de Maceptis de Burgo S. Sepulcri fuit Potestas Bononiæ pro primis, & Dominus Johannes Sanuto de Venetiis pro secundis. Die X. Octobris Dalfinus Viennensis cum ejus uxore vênit Bononiam, & stetit Bononiæ novem diebus, & ivit ad Turcos ad pugnandum cum eis. Et antequam discederet de Bononia, dictus Dalfinus, fecit Milites Dominum Jacobum, & Dominum Johannem de Pepolis filios Domini Thaddæi de Pepolis. Die secundo Maji sepultus fuit Dominus Ferinus de Galuciis Miles. De mense Augusti die VIII. sepultus fuit Johannes Romæi de Pepolis. Eodem anno mortuus est Rex Andreas frater Regis Ungariæ seditione Reginæ Johannæ ejus uxoris, quæ suspendi fecit ipsum per gulam cum uno panno sirici.

MCCCXLVI. Dominus Averardus de Montesperello fuit Potestas Bononiæ pro primis, & Dominus Angelus de Monteleone pro secundis. Die quarto Augusti Dominus Marchio Estensis de Ferraria dedit Parmam Domino Luchino Vicecomiti de Mediolano ad baptismum, quando fuit compater suus, quia tenuit ad baptismum duos filios dicti Domini Luchini, videlicet Luchinum novellum, & Johannem natos in uno portatu.

MCCCXLVII. Dominus Conradus de la Bran-

Branca fuit Poteſtas Bononiæ pro primis menſibus. Dominus Brandeliſius de Picolominibus de Senis pro ſecundis. Magna careſtia fuit Bononiæ; nam corbis frumenti valuit libras tres Bononienſium, & corbis fabæ valuit ſolidos quinquaginta Bononienſium, & ultra; & multi pauperes moriebantur fame. De menſe Septembris Magnificus Dominus, Dominus Thaddæus de Pepolis Dominus Civitatis Bononiæ deceſſit, & morte naturali fuit ad gloriam æternæ beatitudinis evocatus. Qui honorificè, ut decebat, ſepultus fuit ad S. Dominicum in Bononia die XXIX. dicti menſis Septembris. Die verò ſequenti Magnifici filii ſui, videlicet Dominus Jacobus, & Dominus Johannes de Pepolis, fuerunt per totum Populum Bononiæ in dominio confirmati. Eodem anno obierunt quamplures boni & notabiles Cives Bononienſes morte naturali in Bononia, inter quos fuit Matthæus de Blanchettis; Melinus Matthæi de Griffonibus; Ser Antonius Codeca; Matthæus de Creſcentiis; Ser Thomas de Torellis; Fainus de Galuciis ſenex; Bucius de Prendipartibus; Johannes de Pretis, & certi alii; Carlinus Malvitius; Furius Caſtellanus. Die XI. Decembris Rex Ungariæ nomine Ludovicus cum MM. equitibus vênit in Bononia pacificè & quietè. Et die XII. dicti menſis receſſit, & cùm fuit ad Caſtrum S. Petri fecit Militem Dominum Matthæum Zerræ Romæi de Pepolis, & poſtea dictus Rex ivit ad partes Apuliæ ad vindicandum; & vindicavit mortem Regis Andreæ fratris ſui, quem Regina Johanna ejus uxor ſuſpendi fecerat, ut ſupra dixi.

MCCCXLVIII. maxima & inaudita mortalitas fuit Bononiæ, quæ vocata fuit, & ſemper vocabitur *la Mortalega grande*, quia numquam fuit aliqua ſimilis. Et incœpit de menſe Maji, & duravit per totum annum, & ferè fuit per totum Mundum; & tam magna, quòd duæ partes ex tribus partibus perſonarum firmiter deceſſerunt, inter quos deceſſerunt duo Doctores Bononienſes per totum Mundum famoſiſſimi, videlicet Dominus Johannes Andreæ Decretorum, & Dominus Jacobus de Butrigariis Legum Doctores. Gerardus de Ghiſileriis, & Canonicus de Galuciis mortui fuerunt in Platea Communis Bononiæ de mandato Dominorum Bononiæ. Dominus Albertus de Griffonibus Legum Doctor deceſſit morte naturali, & ſepultus fuit honorificè ad S. Franciſcum.

MCCCXLIX. Dominus Ludovicus de Narnia fuit Poteſtas Bononiæ pro primis ſex menſibus, & Dominus Guido de Gaitanis de Piſis fuit Poteſtas Bononiæ pro ſecundis. Publicatus fuit Jubilæus ex parte Domini Papæ, qui debet eſſe anno venturo, videlicet Indulgentiæ de pœna & culpa. De menſe Januarii Dominus Luchinus de Vicecomitibus Dominus Mediolani deceſſit.

MCCCL. Dominus Manuel de Fontana fuit Poteſtas Bononiæ pro primis, & Dominus Bartholomæus de Piſtorio pro ſecundis ſex menſibus. Dominus Raynerius de Caſtro S. Petri Capitaneus.

Sequitur, quomodo Domini de Pepolis perdiderunt dominium Bononiæ.

Eodem MCCCL. Dominus Johannes de Pepolis, natus olim Domini Thaddæi de Pepolis, unus ex Dominis hujus Civitatis Bononiæ, die VI. Julii captus fuit perſonaliter prope Solarolum per Dominum Aſtorgium Comitem Romandiolæ in exercitu dicti Comitis, quem habebat juxta Caſtrum Solaroli de Romandiola, Comitatus Faventiæ. Qui Comes ſtatim dimiſit Solarolum, & cum exercitu ſuo equitavit ad Caſtrum S. Petri Comitatus Bononiæ, & ipſum habuit per vim die IX. dicti menſis Julii. Poſtea die ultimo ſequentis menſis Auguſti dictus D. Johannes de Pepolis, datis obſidibus, relaxatus fuit etiam propter pecuniam magnam. Et ſic quia ipſi de Pepolis non potuerunt ſuſtinere guerram contra Bononiam, ipſi dederunt Bononiam & dominium Bononiæ Domino Johanni Vicecomiti Archiepiſcopo Mediolani, filio olim Domini Matthæi Vicecomitis. Die verò XXIII. Octobris dicti anni Dominus Galeacius Vicecomes, nepos dicti Domini Archiepiſcopi, vênit Bononiam nomine Archiepiſcopi, & de conſenſu dictorum de Pepolis accepit dominium Civitatis Bononiæ, & ejus Comitatus, & diſtrictus; & ſecundùm pacta inter eos facta dimiſit & relaxavit Domino Jacobo de Pepolis Caſtra S. Johannis in Perſiceto, & S. Agathæ, & Domino Johanni dimiſit Caſtrum Crevalcorii, & Nonantulæ. Die ſequenti Conſilium Populi Bononienſis dedit liberè dictam Civitatem dicto Domino Galeacio, recipienti pro dicto Domino Archiepiſcopo, qui poſt perpaucum tempus incœpit conſtrui facere Caſtrum in Burgo S. Felicis juxta muros Civitatis Bononiæ.

MCCCLI. die III. exeunte Decembris Dominus Bernabos Vicecomes, frater dicti Domini Galeaz Vicecomitis, vênit Bononiam cum multis equitibus & peditibus causâ prœliandi cum Comite Romandiolæ. Dominus Bernardus de Anguſolis de Placentia fuit Poteſtas Bononiæ pro primis ſex menſibus poſt finem officii Domini Gaſparini de Vicecomitibus, qui fuerat Poteſtas illo primo tempore pro Vicecomitibus. Et poſtea dictus Dominus Bernardus fuit etiam Poteſtas pro ſecundis ſex menſibus. Incontinenti, poſtquam Vicecomites habuerunt dominium Civitatis Bononiæ, ipſi reverti fecerunt omnes expulſos, quæ reſtitutio fuit cauſa magnæ diſcordiæ, & magni mali in Bononia. Guerra autem inter dictum Comitem Romandiolæ, & Bononienſes duravit uſque ad medium menſis Februarii MCCCLI. Et dictus Comes receſſit Imolam, & dimiſit exercitum ſuum Butrii. Et Teutonici fecerunt concordiam cum Domino Bernabove, & receſſerunt de Comitatu Bononiæ. Et dictum fuit, quòd Dominus Bernabos dedit eis primò centum vigintitria millia Florenorum dicta de cauſa. Die XXX. Decembris Beccarii Bononienſes, qui faciebant beccariam juxta Plateam à latere mane, fuerunt expulſi de beccariis prædictis, & dictæ beccariæ fuerunt deputatæ ad uſum Stipendiariorum peditum, & hoc de mandato Domini, ac Poteſtatis Civitatis Bononiæ. Die XXIII. Junii in Vigilia S. Johannis Baptiſtæ natus fuit Matthæus filius Guiducii de Griffonibus ex Domina Zanna ejus uxore, filia olim Matthæi de Creſcentiis.

MCCCLII. Dominus Bernardus de Anguſolis de Placentia fuit Poteſtas Bononiæ pro toto anno. Viſa fuit die Veneris XII. Octobris

bris de sero, stellis apparentibus, quædam flamma ignea in aëre valde magna & longa, & currebat per aërem, sicut sajecta, & habebat caput anterius grossum, & in cauda subtilabatur, & per unde transibat, reddebat magnum lumen, & citò recessit. Et visa fuit à multis & multis personis, & reputatum fuit maximum factum, & magnum signum. Suspensi fuerunt extra Portam Stratæ Castilionis super ripa Canalis Bartholomæus de Chechi Civis Bononiæ, & Paganinus olim custos filiorum Domini Jacobi, Capitaneus dictæ Portæ.

A MCCCLIII. Dominus Bernardus de Angusolis fuit Potestas Bononiæ pro primis, & Dominus Ottolinus Burrus de Mediolano fuit Potestas pro secundis. Fortificata fuit Turris Asinellorum pro custodia facienda. Factæ fuerunt Portæ in angulis Plateæ Communis Bononiæ pro fortitudine Plateæ.

B MCCCLIV. Dominus Ottolinus Burrus de Mediolano fuit Potestas Bononiæ pro toto anno. Foveæ Civitatis Bononiæ die primo Martii fuerunt incœptæ reparari per Cives Bononiæ. Die XII. mensis Maji dicti anni Quarteria Civitatis Bononiæ equitaverunt de mandato Regiminum Civitatis Bononiæ versùs Mutinam, in quo exercitu multa verba inhonesta fuerunt inter Dominum Nicolaum de Pepolis, & suos amicos ex una parte, & Munsium de Sabadinis, & suos ex parte alia. Die Martis X. Junii magnus rumor, & novitas fuit in Bononia, quia quum ordinatum fuisset per Regimina Civitatis Bononiæ, quòd duo Quarteria Bononiensia deberent equitare contra Civitatem Mutinæ, & Cives dictorum duorum Quarteriorum essent pro majori parte armati, & prandebant: tunc elevatus fuit unus rumor cum vocibus cridantibus: *Vivat Populus*. Et subitò rostæ factæ fuerunt in Strata S. Donati. Stipendiarii verò equites videntes hoc, incœperunt clamare: *Vivat Dominus*, & sic ibant clamando: *Vivat Dominus* per Civitatem. Et Comitatini fuerunt subitò ad Pontem Stratæ S. Donati, & ipsum per vim combusserunt, & intraverunt Civitatem. Tamen Populus succubuit, & multi fuerunt interfecti in pluribus locis Civitatis Bononiæ; quapropter post prædicta multi Cives capti fuerunt, & decapitati, pro ut infra de proximo tibi scribam, videlicet, die XII. dicti mensis, quæ fuit dies Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, Dominus Dalfinus de Gozadinis Judex, Guerinus de Capitaneis de Vizano, Zenanes de S. Alberto cum quatuor famulis, Jacob Vogloli de Bentivoglis, Bruninus de Blanchis, Lippus Maghinardi de Galuciis, Cichinus Bitini de Azonibus, Zeminianus Bitini de Comitatu Mutinæ, cum certis aliis; & fuerunt in summa quatuordecim, & fuerunt simul decapitati dicta die XII. Junii in Campo Fori. Die verò XIV. dicti mensis Ser Michaël de Bentivoglis, Fulcirolus de Gozadinis, Matthæus de Gozadinis, Johannes Gerræ de Garisendis, Dominus Calorius de Gozadinis Judex, Basottus de Basacomatribus, Bertignanus de Chaviciis, Johannes Bracini de Caviciis, Albarinus de Castagnolo, Bartholomæus Ser Alberti Miles de Templo, fuerunt simul decapitati. Die verò XXI. dicti mensis Gregorius de Blanchittis, Ghettus de Garisendis, Mengolinus de Garfagninis, Julianus Petroboni Beccarii, fuerunt simul decapitati. Die verò XXII. dicti mensis Dominus Jacobus de Blanchis Miles, Tanus ejus filius, Johannes Francisci de Mezovillanis, fuerunt decapitati simul in Platea. Eodem anno de mense Julii Garzolinus Aspectati, & Jacobus Cavestrarius Capellæ S. Gilii fuerunt decapitati; & multi alii de diversis domibus, & diversi generis fuerunt banniti, & expulsi de Bononia, & bona sua confiscata fuerunt. Die XXI. Augusti quædam multitudo gentium, quæ vocata fuit *la gran Compagna*, & dicebatur, quòd erant DC. equites, & XX. mille pedites, vênit de partibus Romandiolæ, & intravit Comitatum Bononiæ, scilicet in Terra Butrii, & ibi stetit quatuor diebus. Postea transivit à sero Civitatis Bononiæ, & decem diebus combusserunt omnes Villas, comburendo domos usque ad Portas Civitatis. Et in ipsa Compagna erat Comes de Lando, & Dominus Franciscus de Carraria de Padua, qui secari fecerunt rastellum de ligno existens in Canali Rheni subtus forum; & dictum fuit, quòd Bitinus Taronus magister lignaminis fuit incisor dicti Rastelli. Postea recesserunt, & iverunt in Lombardiam; postea aliqua pars ipsorum rediit in Comitatu Bononiæ, & ibi stetit sex diebus, & postea ivit versùs Apuliam. Die V. Octobris Dominus Archiepiscopus Mediolani, Dominus Bononiæ decessit, & Populus Bononiæ fecit Syndicos, qui dederunt dominium Nepotibus suis. Et dicti Nepotes sui fecerunt inter se divisionem, & Bononia obvenit in partem Domino Maphæo Vicecomiti, qui Dominus Maphæus misit Bononiam unum socium suum, qui pro eo accepit juramentum à Civibus Bononiensibus. De mense Novembris Dominus Carolus Rex Romanorum, natus olim Domini Regis Johannis de Bohemia, vênit in Lombardiam, & applicuit Civitatem Mantuæ cum uxore sua, filia Regis Poloniæ; & cum ipsa ejus uxore erat quædam venerabilis Domina Bononiensis pro ejus socia, quæ sciebat bene literas, & sciebat bene loqui Teotonicè, Bohemicè, & Italicè, & vocabatur Domina Zanna, filia olim Matthæi de Blanchittis de Strata S. Donati, & erat vidua, & fuerat uxor olim Domini Bonsignoris de Bonsignoribus de Bononia Legum Doctoris. De mense Decembris Marcus filius bastardus Nannis Guelfi de Griffonibus interfecit barberium Domini Johannis de Olegio Locumtenentis Domini Civitatis Bononiæ, in Platea majori, qua de causa aufugit. Et tunc domus dicti Nannis Guelfi sui patris fuit totaliter derobata, & dictus Marcus fuit bannitus. Dominus Balduinus de Balduinis fuit electus Potestas Civitatis Senarum.

MCCCLV. die XVIII. Aprilis, Dominus Johannes de Olegio de Vicecomitibus de Mediolano, Capitaneus, & Locumtenens Civitatis Bononiæ pro Domino Matthæo Vicecomite, cum consilio, auxilio, & favore Partis Maltraversæ Civitatis Bononiæ, ac etiam Partis Gibellinæ, cum quibus ipse se gubernabat, qui etiam Dominus Johannes erat Capitaneus Bononiæ pro Domino Archiepiscopo, & steterat circa quatuor annis, inspiratus spiritu diabolico, & spiritibus dicto-

ctorum Maltraversorum, & Ghibellinorum, prodidit dictum Dominum Maphæum Vicecomitem, & occupavit pro se Dominium Civitatis Bononiæ, & ipsam extraxit de manibus dicti Domini Maphæi sinè aliquo furore; & cepit Potestatem Bononiæ, qui tunc erat Dominus Johannes Comes de Coconate, & ceteros alios Officiales, & fecit omnes carceratos relaxari, & fecit novum Potestatem, videlicet Dominum Antonium de Speten de Placentia, & fecit se per Populum Bononiæ confirmari in Dominum Civitatis. Et reduxit datium Macinæ ad duos solidos pro corba, ubi primò solvebantur quatuor solidi, & illico fecit quatuor centum confinatos de Parte Guelfa, & misit ipsos extra ad confines; & quia maximæ murmurationes erant, ex hoc timuit, & revocavit subitò dictos confinatos. De mense Junii dictus Dominus Johannes de Olegio imposuit Civibus unam collectam viginti millium florenorum, de qua Cives valde condoluerunt. De mense Julii dictus Dominus Johannes perfidus Tyrannus de consilio Maltraversorum, & Gibellinorum Bononiæ, cepit circa quatuorcentum Cives per suspicionem, adscribendo eis, quòd erant amici Pepulorum; & magnas impositiones, & ablationes pecuniarum abstulit ab eis; & multos ex eis, quia non tam citò solvebant, fecit tondolari. Et inter alios cepit Nannem Guelfum de Griffonibus, qui erat Civis honorabilis, & valde dives, & habuit ab eo tria millia librarum Bononiensium; & similiter fecit multis aliis secundùm eorum facultates. Sed nihil petebat ab aliquo Maltraverso, vel Gibellino, vel de Comitibus de Panico. Vicecomites de Mediolano miserunt super Comitatu Bononiæ Dominum Johannem de Pepolis, olim Dominum Bononiæ, & Dominum Marchionem Franciscum Estensem, & Dominum Bernardum de Angusolis de Placentia cum MD. equitibus, qui venerunt ad pontem Rheni, & ibi campum posuerunt, & abstulerunt aquam Canali molendinorum. Postea iverunt Butrium, & Medesanum, & ibi steterunt multis diebus. Postea redeuntes ad pontem Rheni arserunt multas domos. Et una nocte, videlicet die XXV. Augusti, venerunt cum artificiis & balistis ad murum Civitatis, quasi in medio Campi Fori, ubi solita erat esse una Porta, tunc murata; & ascenderunt murum centum pedites ex eis, & interfecerunt duos custodes, & fecerunt duo foramina in muro Civitatis, & posuerunt super muro duos penellos, & aliqui ex eis intraverunt intus, sed non potuerunt obtinere, immo cum magno damno fuerunt expulsi, & aliqui vulnerati, & aliqui mortui ad sonum Campanæ Communis, quæ pulsabat. Eodem anno Dominus Johannes de Olegio prædictus misit Mediolanum quatuor Ambaxiatores, Cives Bononiæ, ad tractandum pacem inter ipsum, & Dominum Bernabovem Vicecomitem, qui Ambaxiatores fuerunt isti, videlicet Dominus Petrus de Lambertinis, Dominus Gariet de Zappolino, Ser Balduinus de Ugliano, Franciscus de Ygnano. Qui Ambaxiatores fecerunt dictam pacem, cum pacto quòd dictus Dominus Johannes de Olegio remaneret Dominus Bononiæ toto tempore vitæ suæ, & post ejus mortem Dominus Bernabos debeat esse Dominus. Et isto medio tempore Dominus Bernabos debeat ponere Potestatem in Civitate Bononiæ. Et sic Dominus Bernabos misit ad Officium Potestariæ Dominum Guilielminum de Arimondis de Parma. Et quum dicti Ambaxiatores cum ipsa pace redierunt in die S. Ambrosii, facta fuerunt Bononiæ magna hastiludia & gaudia per Cives, & Societates Artium Bononiæ. De mense Septembris mortuus est Dominus Maphæus Vicecomes morte valde subitanea, qua de causa opinio fuit communiter, quòd fuisset tossicatus.

MCCCLVI. de mense Januarii captus & plantatus fuit quidam Forensis, eo quia dictum fuit, quòd cum una balista & sagitta venenata sagittando debebat interficere Dominum Johannem de Olegio, equitantem super salicata Fratrum Minorum. De mense Februarii capti fuerunt infrascripti in Bononia, videlicet Dominus Guilielminus de Parma Potestas Bononiæ, Dominus Bernardus de Panico Comes & Miles, Galaoctus Comes de Panico, Dominus Henricus Castrucii de Interminellis, vocatus *lo Duca*, Bennus de Paganis de Varignana. Et die XI. dicti mensis Februarii fuerunt omnes decapitati in Platea Communis Bononiæ, eo quia ad petitionem Domini Bernabovis de Vicecomitibus, qui his diebus venerat usque Parmam, ipsi debebant interficere Dominum Johannem de Olegio, & dare Civitatem Bononiæ Domino Bernabovi. Et illico post dictam capturam dictorum quinque dictus Dominus Johannes accepit dominium Bononiæ in se, & fecit jurare stipendiarios & Officiales in manibus suis, & fecit novum Potestatem die XI. dicti mensis, videlicet Dominum Guilielmum de Campo S. Petri, qui juravit officium, & postea per mediam horam non duravit in officio; & illico factus fuit Potestas novus Dominus Tassinus de Donatis de Florentia, qui incontinenti dicta die XI. fecit decapitari suprascriptos quinque. Die verò XIII. dicti mensis Sclavus, & Ghilinus de Capitaneis de Aglano fuerunt decapitati in Campo Fori, etiam occasione prædicta. Die XIV. Martii Rubeus de Liazaris, & etiam Guidotus famulus Domini Johannis de Pepolis fuerunt decapitati, eo quia eis ascriptum fuit, quòd volebant dare Domino Johanni de Pepolis Crevalcorium, & Nonantulam, & fuerunt decapitati in Campo Fori. Et dicta die fuit prima Missa celebrata ad Ecclesiam factam de novo ipi in Campo Fori. De mense Maji Arlogium completum fuit pro horis pulsandis, & positum fuit super Turri Capitanei Populi in Palatio Potestatis, & occasione dicti Arlogii solutum fuit in Bononia solidum unum, & denarii sex Bononiensium pro quolibet à viginti annis supra in Bononia. Dominus Johannes de Olegio perfidus Tyrannus posuit imbottatum, quod numquam auditum fuerat in Civitate Bononiæ. Die XXVII. Augusti Guilielminus de Guastavillanis fuit decapitatus, & post tres dies Spinolexius de Mediolano, & Ambrosius de Motta, & duo eorum famuli fuerunt etiam decapitati, eo quia volebant prodere Castra S. Johannis in Persiceto, Crevalcorii, S. Agathæ, & Bazani contra Dominum Johannem de Olegio.

MCCCLVII. Dominus Antonius de Schona

A na nepos Domini Johannis de Olegio fuit Potestas Bononiæ pro toto anno. De mense Januarii Crux bannita & prædicata fuit contra Forlivienses propter rebellionem factam contra Ecclesiam Romanam per Franciscum de Ordelaffis de Forlivio, qui rebellavit dictam Civitatem, & ipsam occupavit pro se. Die XII. Aprilis Civitas Bononiensis fuit interdicta per Episcopum Bononiæ, quo ad Studium & divina Officia, propter damna data familiæ Domini Cardinalis Ostiensis, quando fuit expulsus de Bononia in MCCCXXXIV. de mense Martii, ut supra. De mense Novembris Crux primò prædicata fuit in Bononia contra Forlivienses per Fratres
B Ordinis Servorum, & Frater Andreas de dicto Ordine fuit principalis Prædicator, qui erat Faventinus.

MCCCLVIII. XXII. Octobris Marchio Aldrovandinus de Ferraria cum fratribus suis venit ad Civitatem Bononiæ, & receptus fuit ad S. Dominicum valde honorificè, & hoc causâ parlamentandi cum Domino Johanne de Olegio, & dimisit loco sui in Ferraria Marchionem Nicolaum fratrem suum.

MCCCLIX. Dominus Antonius de Schona prædictus fuit Potestas Bononiæ pro toto anno. De mense Januarii in die S. Antonii maxima nix fuit in Bononia, & Comitatu tantæ altitudinis, quòd numquam visa fuit
C similis, & perpetuò vocata est *la Neve grande*; & fuit causa destructionis multarum domorum, quæ ceciderunt. Die Jovis IV. Julii Reverendissimus Pater & Dominus Dominus Ægidius de Hispania Cardinalis Sabinensis, Apostolicæ Sedis Legatus in partibus Romandiolæ, post longam & duram obsessionem, quam fecerat Civitati Forlivii, cum magno honore intravit Civitatem prædictam Forlivii cum magna potentia, & ipsius Civitatis per Dei gratiam & suam sapientiam habuit dominium generale. De mense Decembris Dominus Johannes de Olegio perfidus Tyrannus incœpit facere fodi Muzam, propter timorem Vicecomitum de
D Mediolano, & facere poni stellones pro palancato fiendo; & ad ipsam expensam debebant conferre Marchiones Ferrariæ, & tota Romandiola. Et tunc dictum opus faciebant Comitatini Bononiæ; & antequam opus compleretur, gens magna venit de Mediolano Mutinam, ex quo multi Cives Bononiæ, & stipendiarii missi fuerunt ad Castra confinantia. Sed quia Marchio Aldrovandinus decepit Dominum Johannem de Olegio, qui erat secum in liga, & dedit passum gentibus Vicecomitum per passum Navexellæ, gens illa, quæ erat in quantitate quatuor millium equitum, & octingentorum peditum, transivit die VII. dicti mensis Decembris super Co-
E mitatu Bononiæ. Et primò accessit Crevalcorium, & pugnaverunt ipsum, & finaliter habuerunt illud, & in eo erant multi Cives Bononiæ, qui capti fuerunt. Et ibi stetit ipsa gens aliquibus diebus; postea dimisit Castrum illud bene munitum & fulcitum, & venerunt ad Canale Casalicli de Rheno, & ibi fecerunt unam bastitam in Canonica de Casaliclo inter Rhenum & Canale, & fecerunt foveam à Canali usque Rhenum, & acceperunt aquam Canalis Rheni Civitati Bononiæ. Et tunc procuratum fuit, quòd molendina macinarent cum aqua Sapinæ.

Post prædicta dicta gens ivit ad Villas Argelatæ, & Argelis, & ibi steterunt, & postea per tractatum habuerunt Castrumfrancum, ut de proximo tibi dicam in sequenti.

MCCCLX. Dominus Antonius de Capitaneis de Schona fuit Potestas Bononiæ usque ad Calendas Aprilis. Gens Domini Bernabovis Vicecomitis transivit ad Terras Plani Comitatus Bononiæ, & ibi multa damna, rapinas & incendia fecerunt. De mense Februarii Castrumfrancum rebellatum fuit contra Civitatem Bononiæ, & traditum Domino Bernabovi proditione Ardicionis de Romo de Novaria proditoris, qui erat Capitaneus Rochæ dicti Castri. Et eodem instanti, quo dicta proditio facta fuit, Lombardellus Nepos Bernardoli Ruscæ de Mediolano captus fuit, cujus occasione dictus Ardicionus, & ejus socii pro proditoribus banniti fuerunt. Quo tempore dictus Dominus Johannes de Olegio videns se taliter conduci, & non valens resistere expensis, nec sperans posse tenere Civitatem Bononiæ, maximè quia omnes Cives erant malè contenti, & præcipuè Guelfi, qui erant avidi status Ecclesiæ, & erant in decuplo quàm alii, tractavit dare Bononiam Domino Cardinali Sabinensi, cum pacto quòd ipse Dominus Johannes deberet esse Dominus Civitatis Firmi, & Marchio Marchiæ Anconitanæ ad vitam suam, & sic factum fuit. Die XVII. Martii Dominus Blascus Fernandus Miles, & Marchio Marchiæ Anconitanæ pro dicto Domino Cardinali, & pro sancta Ecclesia, intravit Civitatem Bononiæ, cum Domino Aimerico Episcopo Vulterrano Thesaurario Ecclesiæ, & Domino Petro de Farnexio, & multis aliis gentibus armorum, de quo Cives Bononiæ valde lætati & gavisi fuerunt. Et descendit in Palatio Domini Johannis de Pepolis in Strata Castilionis. Die XIX. Martii vox & fama fuit in Populo Bononiæ, quòd Dominus Johannes de Olegio nolebat facere ea, quæ promiserat, quia Dominus Bernabos volebat sibi facere meliora pacta, quàm Dominus Cardinalis. Qua de causa Populus Bononiensis traxit ad arma, & clamabant omnes: *Vivat Ecclesia*. Et gens Domini Johannis, quæ erat in Citadella, clamabat: *Vivat Dominus Johannes*; & nisi fuissent dictus Marchio, & Dominus Petrus de Farnexio, & ejus gentes, qui obviaverunt, & mitigaverunt Populum, ipse Tyrannus, & tota ejus gens erant omnes mortui à Populo finè fallo. Die primo Aprilis Dominus Johannes de Olegio Tyrannus prædictus noctis tempore recessit de Civitate Bononiæ, & exivit per Portam Sancti Mammæ, & ivit Imolam, & liberè dimisit dominium Civitatis Bononiæ dicto Domino Blasco. Qui Dominus Blascus statim ivit ad standum in Palatio Plateæ, ubi dictus Dominus Johannes de Olegio morabatur. Castrum Serravallis, Comitatus Bononiæ se rebellavit contra Bononiam seditione Domini Ugolini de Savignano cum tractatu rusticorum & dicti Domini Ugolini, & similiter multa alia Castra, & Villæ de valle Rheni. Dominus Cardinalis Sabinensis splanari fecit foveas, palancatum, & fortilitium Forimpopuli, & ipsum reduxit ad Villam, & Episcopatum suum tradidit Bertinorio, & hoc quia contra ipsum Dominum Cardinalem jactatus fuit

A unus veretonus cum una balista grossa. Dictus exercitus transivit ad pontem Idicis, & stetit per plures septimanas, & acceperunt multa Castra in Valle Idicis, videlicet Castrum Britonum, Ulgianum, & Varignanam; & sic guerra dicti Domini Bernabovis duravit super Comitatu Bononiæ per totum mensem Septembris. Et fecerunt unam bastîtam ad Castenasium, videlicet ad pontem, in qua bastîta incluserunt pontem, Ecclesiam, & Hospitale, & muniri fecerunt ipsam cum foveis, & palancato. De mense Aprilis Ambaxiatores Cives Bononiæ missi fuerunt ad Dominum Papam Innocentium, videlicet Dominus Abbas Nonantulanus, Dominus Jo-
B hannes de Caldarinis Decretorum Doctor, Dominus Catellanus de Sala Miles, & Dominus Simon de S. Georgio Legum Doctor. Qui Ambaxiatores obtinuerunt à Domino Papa privilegium Studii in Theologia, & multa alia, pro ut patet in Camera Actorum in Registro Communis Bononiæ. Die III. Septembris Castrum & Terra Varignanæ Comitatus Bononiæ, quod occupabatur per gentes Domini Bernabovis, restitutum fuit Domino Malatestæ de Malatestis pro Ecclesia Romana recipienti, salvis personis in ipso Castro existentibus. Qui omnes capti & robati fuerunt, & ducti Bononiam, & ligati & ducti fuerunt tamquam latrones per Ci-
C vitatem Bononiæ; & Populus Bononiensis clamabat: *appicca*, *appicca i Ladruni*. Et de dicto anno Rex Ungariæ misit in auxilium Ecclesiæ sex mille Ungaros, sub stipendio tamen Ecclesiæ, quorum caput erat Dominus Simon Monto; & dicti Ungari venerunt Paduam, & Ferrariam, & postea in Romandiolam. Et exercitus Domini Bernabovis quum audivit de adventu dictorum Ungarorum, fugam arripuit versùs Castrumfrancum, & dimiserunt bastîtam de Castenasio munitam & fulcitam. Quam bastîtam pars Populi Bononiensis die XXVI. Septembris unà cum Domino Galaotto de Malatestis, qui iverat ad supra videndum ipsam bastî-
D tam, invito dicto Domino Galaotto, expugnaverunt, & per vim & cum igne viriliter acceperunt, & occiderunt & ceperunt omnes inimicos, qui erant in dicta bastîta, & ceteros captos de Bononia, qui erant in cippis, alacriter relaxaverunt. Die XXIV. Octobris duo Quarteria Bononiæ, videlicet Portæ Steri, & Portæ Ravennæ, iverunt ad bastîtam de Casaliclo cum multis manganis, & ædificiis causâ ipsam expugnandi. Die XXVII. dicti mensis Dominus Ægidius Cardinalis & Legatus prædictus vênit ad Monasterium Fratrum S. Michaëlis de Busco prope Bononiam. Die XXVIII. Octobris præfatus Reverendissimus Pater Dominus
E Ægidius Cardinalis & Legatus intravit Civitatem Bononiæ cum magna lætitia, & obviam sibi ivit totus Populus cum carrocio, & Dominus Aimericus de Cavalcantibus de Florentia Potestas Bononiæ duxit sibi redinas per Portam S. Mammæ, & in ipso incontru milites fieri fecit Dominum Gerardum de Confortis, Dominum Ugolinum de Galuciis, Dominum Albertum de Galuciis, Dominum Jacobum de Ramponibus. Præfatusque Dominus Cardinalis descendit in Palatio Communis Bononiæ, ubi dictus Dominus Johannes de Olegio modo tyrannico morabatur. De mense Novembris duo Quarteria Populi Bononiæ, videlicet Portæ S. Proculi, & Portæ S. Petri, equitaverunt ad dictam bastîtam de Casaliclo. Et dum unus juvenculus filius Chechi, fratris Doxii Cimatoris, fuisset percussus & mortuus de una bombarda inimicorum, Dominus Cardinalis hoc videns, reprehendit Dominum Galaottum de Malatestis, qui sinè armis ibat in campo; & dictus Dominus Cardinalis jussit trahi ædificia, videlicet manganos, & alia ædificia versùs bastîtam. Et cùm illi, qui erant in bastîta, hoc viderent, se reddiderunt, salvis personis, Domino Simoni Capitaneo Ungarorum. Et sic die VI. Novembris vacuaverunt dictam bastîtam, in qua erant infrascripti proditores Communis Bononiæ inter alios, videlicet, Paganinus, & Leonardus Comites de Panico, Picinellus de la Mostachia, & multi alii Cives proditores Communis Bononiæ, qui omnes recesserunt tamquam debiles proditores, & ipsam bastîtam dimiserunt. Eodem anno Guidestus Comes de Panico, Bonifacius Santini, & Guarettus Andreæ, tamquam proditores Communis Bononiæ, fuerunt decapitati. Ac etiam fuerunt decapitati multi alii propter proditionem Castri de Tebaldis.

MCCCLXI. Dominus Fernandus de Hispania, Miles probus & valens, fuit Potestas Bononiæ. De mense Martii Reverendissimus Pater Dominus Ægidius Cardinalis & Legatus Bononiæ discessit de Bononia, & ivit Argentam, & ulterius ivit in Ungariam, auxilium petiturus, & duxit secum multos honorabiles Cives Bononienses. Die primo Aprilis gens Domini Bernabovis de Vicecomitibus per proditionem habuit Castrum Montisbellii, & Tarlatinus de Aretio Capitaneus dicti Castri pro Ecclesia tamquam proditor dedit illud. Qui Tarlatinus postea per modicum tempus occasione dictæ proditionis fuit suspensus per gulam super Platea Communis Bononiæ. De mense Maji dictus Dominus Bernabos Vicecomes personaliter cum gentibus suis vênit super Comitatu Bononiæ, & obsedit Castrum Plumacii proditione cujusdam de domo de Guecis, qui stabat in ipso Castro. Postea fecit fieri unam bastîtam ad Pontem Rheni, unam aliam ad Pontem Cortexellæ, & aliam ad Pontem S. Roselli inchoari fecit. Duo Quarteria Bononiæ, videlicet Portæ Steri, & Portæ Ravennatum, iverunt ad bastîtam de Coloreto, causâ habendi ipsam. Duo alia Quarteria Populi Bononiensis iverunt ad dictam bastîtam, videlicet Quarteria S. Petri, & Portæ S. Proculi; & capti fuerunt multi Cives, & ducti ad Castrumfrancum per gentes Domini Bernabovis. Tamen bastîta tunc, & post facta fuit & completa per gentes Romanæ Ecclesiæ. De mense Junii die XX. gentes illius perfidissimi Tyranni Domini Bernabovis Vicecomitis, quorum Capitaneus erat Dominus Johannes de Bixezulo Miles de Mediolano, fortiter arctabant Commune & Civitatem Bononiæ, ipsamque obsidebant, quia quasi nullus poterat exire extra; & corbis farinæ valebat libras quatuor Bononiensium, & farina asportabatur Bononiam de Romandiola, Tuscia, & de Mutiliana. Unde dicta gens deliberavit facere unam bastîtam ad S. Rosellum, ne victualia huc portari possent, ut

ut Bononienses se redderent propter famem. Et posuerunt suum campum ad S. Rosellum. Sed Pastores Ecclesiæ, & Dominus Malatesta senex de Malatestis, & Dominus Galaottus de Malatestis, ac etiam Dominus Ægidius Cardinalis, deliberaverunt providere prædictis, quòd pro parte unius Amici Capitanei Forlivii, qui erat cum dictis gentibus in campo ad S. Rosillum, scriberetur una litera eidem Capitaneo, quòd ipse volebat sibi dare Civitatem Forlivii, si ipse iret cum gentibus Forlivium. Qua litera habita, dictus olim Capitaneus Forlivii, videlicet Dominus Franciscus de Ordelaffis deliberavit accedere, & sic ivit personaliter cum octingentis barbutis; ita quòd smagravit campum Domini Bernabovis. Tunc dictus Legatus fecit suum exfortium gentium armorum, & misit pro subsidiis, & suas gentes adunavit in Imola. Et Podius Jeulæ fortificatus erat super campum, ita quòd de ipso Podio videbatur totum, quod faciebant illi de campo. Et dum quadam die scorta ivisset ad Mulinellam pro victualibus habendis, & campus esset minoratus, gentes Ecclesiæ de Romandiola venerunt per stradellum de medio, & applicuerunt Bononiam circa quintam horam noctis, quod aliquis nescivit. Tamen tunc in Bononia erant detenti Antiani, & sapientes guerræ, qui dixerant aliqua verba, quòd volebant scire, quid debebat esse de factis Civitatis Bononiæ, quam videbant taliter oppressam. Et posita erat fama, quòd dicti detenti debebant omnes decapitari. Et tunc die XX. Junii Populus Bononiæ se armavit, & campana Populi pulsabatur, & gens inimicorum credidit, quòd pulsaretur campana pro justitia fienda de dictis Antianis, & Dominis Officialibus guerræ. Et gentes Ecclesiæ, quæ erant, ut dicitur, mille equites, & Populus Bononiensis cum eis, cum quibus erat ille strenuus Miles Dominus Gometius Garsiæ de Albornotio, nepos Domini Cardinalis Rector Bononiæ, Dominus Galaottus, & Dominus Malatesta Ungarus de Malatestis, Dominus Petrus de Farnexio, Miles, & Dominus Fernandus Hispanus Potestas Bononiæ, viriliter accesserunt ad S. Rosillum, & insultaverunt campum inimicorum, & in spatio duarum horarum, divina gratia favente, posuerunt omnes acriter in conflictum, & omnes fuerunt mortui, vel capti, & totus campus fuit derobatus, & nemo evadere potuit. Sed Dominus Fernandus de Hispania Potestas ibi mortuus fuit, & dictus Dominus Gometius fuit vulneratus. Et in ipso conflictu fuit factus Miles Dominus Eganus de Lambertinis de Bononia. Qui Dominus Potestas portatus fuit Bononiam, & sepultus fuit honorificè ad S. Franciscum Fratrum Minorum. Die secundo Augusti obiit Reverendissimus Pater Dominus Johannes Episcopus Bononiæ, qui erat de Nasis de Galerate de Mediolano, & decessit in Castro Centi; & die sequenti fuit portatum corpus ejus Bononiam, & alia die sepultum prope portam Sacristiæ S. Petri Bononiæ; Post cujus mortem fuit electus Episcopus Bononiensis Dominus Aimericus, Thesaurarius Ecclesiæ, qui erat homo valde pinguis. Die IV. Novembris obiit Magnificus Dominus Dominus Aldrovandinus Estensis, Marchio Ferrariæ &c. & dicta de causa iverunt Ambaxiatores de Bononia Ferrariam, videlicet Dominus Thaddæus de Azoguidis Miles, & Dominus Laurentius de Pinu Decretorum Doctor Vicarius Episcopi. Die verò V. dicti mensis treugua proclamata fuit inter Ecclesiam, & Dominum Bernabovem pro viginti diebus, & die XV. dicti mensis pax inter eos fuit publicata, & publicè proclamata. Sed Dominus Bernabos noluit ipsam pacem habere ratam. Eodem mense mille ducenti equites de gentibus Domini Bernabovis veniebant de Lombardia, & volebant transire Romandiolam; & dum transirent prope Pontem Rheni, rumor fuit elevatus contra eos, & pulsata fuit campana militum in Bononia. Ex quo Populus Bononiæ traxit ad arma, & usque ad pontem Cortexellæ dictam gentem exstitit persequutus. Postea inde equites Ecclesiæ, & Dominus Gometius Rector Bononiæ, & Dominus Thaddæus de Azoguidis, numero forsan trecenti, ipsos insultaverunt in Terra Granaroli Comitatus Bononiensis, & omnes conflixerunt noctis tempore cum maxima ipsorum verecundia, quia die sequenti de mane se viderunt omnes captos ita viliter, ignorantes quomodo, & qualiter, & à tam modica brigata. Dominus Thomas de Spoleto fuit Potestas Bononiæ pro sex mensibus. Quidam Presbyter, vocatus Domnus Antonius de Griffonibus, Civis Bononiensis, qui tunc erat Decanus Ecclesiæ S. Michaëlis de Leproseto in Strata Majori, quia dicta Ecclesia erat in modo valde turpi, fecit ipsam totaliter destrui, & ipsam Ecclesiam totam refici fecit de novo omnibus suis propriis expensis de fundamento usque ad tectum, salvo quòd quidam de Papazonibus fecit poni unum lapidem marmoreum in medio Trunæ supra altare cum figura sculpta S. Michaëlis; & de hoc dictus Decanus fuit ab omnibus valde commendatus.

MCCCLXII. Die XXII. Maji Consilium Populi Bononiensis congregatum fuit, in quo interfuerunt Ambaxiatores Marchionis Ferrariæ, Dominorum de la Scala, de Verona, & Domini Francisci de Carraria Domini Civitatis Paduæ; & in ipso Consilio Dominus Argentinus Ambaxiator Domini Paduani publicavit Ligam factam inter ipsos Dominos, & Ecclesiam Romanam. De quo fuit magna lætitia omnibus Civibus Bononiæ. Et incontinenti dicta Liga misit gentes suas ad verandum, ne Dominus Bernabos mitteret ad fulciendum victualibus Castra sita in Comitatu Bononiæ, quæ ipse fulcire volebat cum MM. equitibus, quorum caput erat Dominus Anichinus de Mongardo. Et tunc Dominus Nicolaus Marchio Ferrariæ concordavit se cum Ecclesia, & habuit à Domino Cardinali in feudum Castra Bazani, & Nonantulæ, quæ erant Communis Bononiæ, de quo boni & veri Cives Civitatis Bononiæ fuerunt malè contenti. Dominus Zappus de Zappis de Narnia fuit Potestas Bononiæ, & quia valde culpabilis fuit in suo syndicatu, exstitit carceratus & detentus. Et similiter fuit Dominus Adoardus de Assisio, Vicarius Domini Legati, propter ejus demerita in carceribus mancipatus, ubi fecit unam cantilenam, quæ incipit:

„ *Poichè fortuna tanto*
„ *Crudelmente di sotto m'ha rivolto*,

„ Pre-

„ *Pregote, Morte, molto,*
„ *Che poni fine al doloroso pianto &c.*

Die VI. Aprilis gens Domini Bernabovis fuit conflicta per gentes Ecclesiæ eundo versùs bastitam de Solaria, & multi ex eis capti fuerunt, & quasi Dominus Bernabos evasit, quòd non fuit captus, & fugit Crevalcorium, & de Crevalcorio ad Castrumfrancum, & postea Lombardiam. Dominus Jacobus de Albertis de Florentia fuit Potestas Bononiæ pro secundis. Magna mortalitas fuit in Bononia, & Comitatu Bononiæ, & duravit à mense Maji usque per totum mensem Octobris; & tunc decessit Guiducius Matthæi Guidonis de Griffonibus die XXI. Septembris, & sepultus fuit ad S. Franciscum. Fuit facta & publicata pax inter Romanam Ecclesiam, & suos Colligatos, & dictum Dominum Bernabovem, & hoc fuit die III. mensis Martii, Decessit Marcus de Griffonibus, filius Nannis Guelfi, qui tamquam deviatus recesserat à patre, & stabat in Civitate Mutinæ, ubi decessit, & sepultus fuit ad S. Franciscum indutus more Fratrum Minorum.

MCCCLXIII. Dominus Antonius de Civitate Castelli fuit Vicepotestas. Dominus Rodulphus de Zazonibus de S. Miniato, Dominus Guelfus de Ghirardinis de Florentia fuerunt Potestates Bononiæ. Die XXVII. Aprilis bastita de Solaria, quæ tenebatur per Dominum Bernabovem, fuit restituta Domino Marchioni Ferrariæ, de quo fuit magnum gaudium in Bononia. Dominus Gometius nepos Domini Cardinalis, qui erat Rector Bononiæ, recessit de Bononia cum magno amore Civium Bononiensium, & loco sui dimisit Dominum Fratrem Danielem de Marchionibus de Caretto; & duxit secum captum Dominum Adoardum de Assisio, ejus Vicarium, qui erat hic carceratus pro suis gestis in officio. De mense Novembris Castrum Butrii fortificatum, & de novo constructum fuit, ad quod fuit superassistens Dominus Bartholomæus de Cancelleriis de Civitate Pistorii. Conflictus fuit exercitus Domini Bernabovis Vicecomitis, & Dominus Ambrosius ejus filius naturalis erat Capitaneus, & hoc fuit Solariæ Comitatus Mutinensis.

MCCCLIV. Dominus Guelfus de Ghirardinis de Florentia fuit Potestas Bononiæ pro primis. Dominus Raymundus de Tholomæis de Senis pro secundis. Dominus Episcopus Bononiæ Aimericus fuit de novo factus Thesaurarius Ecclesiæ in omnibus Terris Italiæ. Decessit Nannes Guelfus de Griffonibus, & sepultus fuit, indutus more Fratris Minoris ad Ecclesiam Fratrum Minorum S. Francisci. Dominus Archiepiscopus Cretensis, Dominus Aimericus Episcopus Bononiæ, & Cancellarius Regis Cypri acceperunt tenutam Castrorum Comitatus Bononiæ, quæ tenebantur per Dominum Bernabovem; & Capitanei, qui stabant in ipsis Castris, juraverunt in manibus dictorum trium. Et præconizatum fuit, quòd omnes subditi Ecclesiæ se abstinerent à guerra, & similis proclamatio facta fuit in Terris Domini Bernabovis. Postea dictus Thesaurarius accessit ad dicta Castra, & satisfecit stipendiariis Domini Bernabovis, & extraxit eos foràs, & posuit novos custodes in ipsis Castris pro Ecclesia. Et hæc fuerunt Castra, videlicet Castrumfrancum, Crevalcorium, & Plumacium. Die festi S. Agathæ V. mensis Februarii (& fuit prima dies Quadragesimæ) Reverendissimus Pater & Dominus Dominus Andruinus Cardinalis Cluniacensis, Legatus Domini Papæ, & Vicarius specialiter in Bononia, intravit feliciter in Civitate Bononiæ per Portam Galleriæ, & eidem obviam iverunt Homines Societatum Bononiensium, induti de sindone, & magnæ brigatæ Bagurdatorum bagurdando, & magnum festum faciendo. Et Antiani portaverunt sibi claves Bononiæ usque ad pontem extra Portam Galleriæ. Et in incontru Civitatis Dominus Marchio Ferrariæ, qui cum eo erat, fecit Militem Dominum Thomam Pucii de Ghisileriis, & pluribus diebus duraverunt dicta hastiludia, & festa. Die III. Martii facta stabilita & publicata fuit pax inter Romanam Ecclesiam, & suos Colligatos ex una parte, & Dominum Bernabovem Vicecomitem de Mediolano ex altera. Et Castra in manibus dicti Domini Legati remanserunt pro magna quantitate pecuniarum promissarum per ipsum Legatum eidem Domino Bernabovi. De mense Augusti conflictum fuit Commune Pisarum per Commune Florentiæ, Domino Galaotto de Malatestis existente Capitaneo Florentinorum, & Societas Anglicorum erat ad stipendium Pisanorum; propter quam causam Pisani creaverunt Dominum Johannem de Agnella Dominum Civitatis Pisarum.

MCCCLXV. Dominus Raymundus de Tholomæis de Senis fuit Potestas Bononiæ pro primis. Dominus Rossus de Riciis de Florentia pro secundis. Die V. Februarii Jacobus Matthæi de Blanchittis de Bononia duxit in uxorem Dominam Caterinam, filiam Domini Johannis de Ursinis de Roma. Die primo Julii fuit magnus rumor in Palatio Domini Potestatis, occasione syndicatus dicti Domini Raymundi de Tholomæis, Potestatis Bononiæ, qui multas barattarias fecerat, nec poterat invenire aliquem fidejussorem. Et ob id ipse aufugit de Palatio Potestatis, & ivit ad Palatium Domini Cardinalis, & finaliter fuit taliter qualiter syndicatus, & recessit cum verecundia; & multi Cives cridabant post ipsum. Et ipsa occasione fuerunt aliqui tormentati, inter quos fuit Magister Federicus Medicus de Portanova. Die secundo Augusti decessit Dominus Simon de S. Georgio Legum Doctor. Eodem mense decessit Dominus Johannes de Caldarinis Doctor Decretorum famosissimus.

MCCCLXVI. Dominus Rossus de Riciis de Florentia fuit Potestas Bononiæ. Dominus Franciscus de Calbulo de Forlivio fuit Potestas Bononiæ. Die XXI. Maji Dominus Cardinalis Legatus prædictus rediit de partibus Romandiolæ. De mense Octobris quædam Companea transivit per Comitatum Bononiæ juxta Civitatem, & nemini damnum fecit.

MCCCLXVII. Franciscus de Calbulo fuit Potestas Bononiæ pro toto anno. Dominus Urbanus Papa V. discessit de Avinione, & ivit Marsiliam, & postea ivit Januam, & inde Pisis, & applicuit Cornetum, & de Corneto ad Viterbium per mare, & duxit secum quamplures Cardinales per aquam, & alii Cardinales sequuti fuerunt ipsum per terram, & transiverunt per Bononiam. De men-

mense Junii missi fuerunt Ambaxiatores ad Papam prædictum infrascripti, videlicet, Franciscus de Calbulo Potestas Bononiæ, Tumolus de Bentevoglis, Munsus de Sabadinis, & Minottus Petri Angelelli Notarius, & de mense Julii redierunt. De mense Septembris decessit Dominus Johannes de Pepolis, olim Dominus Civitatis Bononiæ in Papia, & fuit portatus Bononiam, & sepultus ad S. Dominicum. Decessit etiam Jacobus de Pepolis frater suus, & similiter fuit sepultus. Decessit etiam dicto anno Dominus Johannes de Olegio, olim Dominus Bononiæ in Civitate Firmi. Die XVIII. Decembris Reverendissimus Pater Dominus Anglicus Cardinalis Albanensis, frater dicti Domini Papæ Urbani, vênit Bononiam ad standum tamquam Legatus Apostolicus.

MCCCLXVIII. Dominus Franciscus de Calbulo fuit Potestas Bononiæ. Dominus Petrus Marchio S. Mariæ fuit pro secundis. Die V. Januarii Dominus Anglicus Cardinalis Albanensis publicavit literas sui Vicariatus Bononiæ, & Bononiæ bagurdatum fuit, & factum magnum festum. Et post paucos dies iste amovit Datium Barattariæ, & Datium Postribuli, & reduxit Datium ad quatuor solidos pro corbe, quæ vendebatur ad rationem sex solidorum, & Datium Molendinorum, quod erat ad solidos tres pro corbe, reduxit ad duos solidos. Dominus Andruinus Cardinalis Cluniacensis, qui fuit hìc Legatus Apostolicus, & Vicarius Bononiæ, recessit de Civitate Bononiæ; & die Mercurii sequenti Dominus Anglicus Cardinalis Albanensis intravit Palatium Communis Bononiæ, & factum fuit Consilium, in quo Consilio publicatæ fuerunt literæ suæ Legationis. Die III. Aprilis Jacobus Rubeus Matthæi de Blanchittis Notarius ad Cameram Actorum, ivit Romam in servitio Comitis Bandini de Romena, & stetit usque ad mensem Julii. De mense Julii Rex Cypri vênit ad Civitatem Bononiæ per modum transitus. Die secundo Octobris obiit Dominus Balduinus de Balduinis Miles.

MCCCLXVIIII. Dominus Stephanus de Miramonte fuit Potestas Bononiæ. Dominus Baluganus de Exio etiam, & Dominus Comes Carolus Domini Batifolle. Die XI. Februarii firmata & publicata fuit Pax inter Ecclesiam, & suos Colligatos ex una parte, & Dominum Bernabovem de Mediolano, & Dominos de Verona ex altera; & facta fuerunt Bononiæ magna hastiludia & maxima gaudia. Dominus Cardinalis Albanensis prædictus ivit Romam ad visitandum Dominum Papam Urbanum fratrem suum, & ejus loco remansit in Bononia pro Vicario Dominus Episcopus Montisalbani. Die XI. Julii vênit Bononiam uxor Domini Imperatoris, & descendit ad Sanctum Dominicum, & duxit secum multas nobiles Dominas. Die verò Sabbati sequenti, quæ fuit XIV. dicti mensis Julii, vênit Bononiam Dominus Imperator, & descendit ad S. Dominicum, & ibi stetit sequenti die Dominica. Et Dominus Marchio Ferrariæ, & Dominus Feltrinus de Gonzaga, & Dominus Malatesta de Malatestis venerunt Bononiam. Et die Lunæ sequenti ipsum sociaverunt usque Ferrariam. Uxor autem sua ivit ad Portum Macagnani eques; & postea cum suis sociabus intravit navim, & ivit Ferrariam. Incœpta & facta fuit Ecclesia Fratrum Cœlestinorum Bononiæ ante Domos de Galuciis, quam fieri fecit Dominus Antonius Miles de Galuciis. De mense Augusti natus fuit Johannes filius Domini Henrici de Torellis ex Domina Lippa, filia Tisii de Castello, ejus uxore.

MCCCLXX. Comes Carolus de Batifolle, & Dominus Paulus de Scaffulo fuerunt Potestates Bononiæ. Dominus Bernabos Vicecomes fecit unam magnam Compagnam in Tuscia contra Florentinos. Et tunc gentes Florentinorum erant ad campum ad Castrum S. Miniati, & hoc non obstante Compagna prædicta fulcivit dictum Castrum invitis gentibus Florentinorum. Unde gentes dictorum Florentinorum recesserunt, & dimiserunt ibi bastîtas. Et dicta Compagna ibat per Comitatum Florentinum faciendo maxima damna & incendia. Et dicto tempore gentes Florentinorum, quæ erant in bastîtis, de voluntate Terrigenarum dicti Castri intraverunt dictum Castrum de nocte. Et quia dictum Castrum habebat Rocham, quæ Rocha non habebat introitum, & exitum, multi de gentibus Domini Bernabovis se in dictam Rocham recluserunt, inter quos fuit Paganinus Comes de Panico. Postea per aliquos dies venerunt literæ Bononiam Domino Cardinali de captione Castri prædicti, de quo magnam lætitiam fecit idem Dominus Cardinalis. Die XIII. Septembris Papa Urbanus V. recessit de istis partibus, & continuatis diebus ivit ultra montes. Die XVIIII. Decembris decessit dictus Papa Urbanus in Avinione, qua de causa omnes Societates Bononiæ, & multi Cives se induerunt de panno nigro. Die XII. Septembris obiit Johannes de Clarissimis de Bononia.

MCCCLXXI. Dominus Franciscus de Capellis de Mutina Legum Doctor fuit Vicepotestas Bononiæ. Dominus Petrus de la Marina de Recanato fuit Potestas Bononiæ. Eodem anno in die Epiphaniæ fuit coronatus in Papam Dominus Petrus, Cardinalis de Belforti, & fuit nominatus Gregorius Papa XI. & pro parte Communis Bononiæ iverunt Ambaxiatores ad ipsum Dominum Papam Dominus Ricardus de Saliceto Legum Doctor, Dominus Gaspar de Caldarinis Decretorum Doctor, Dominus Ugolinus de Galuciis Miles, & Tuniolus de Bentevoglis (pater Domini Johannis de Bentivolis, qui fuit Dominus Bononiæ anno MCCCCI.) Die XIV. Maji quædam magna Compagna, quorum Capitaneus erat Comes Lucius de Lando Teutonicus, venerunt super Comitatu Bononiæ, & erat ad petitionem Communis Florentiæ, & stetit ipsa Compagna multis diebus super Comitatu Bononiæ, & fecit maxima damna. Postea iverunt pro viginti diebus in servitium Marchionis Ferrariæ, ut ipse posset facere bastîtas suas circa & contra Saxolum. Qui Dominus Marchio videns se habere tantas gentes, habuit unum tractatum in Rhegio, & fuit sibi data una porta Rhegii, & multi de stipendiariis Marchionis intraverunt Rhegium. Et tunc Dominus Feltrinus de Gonzaga, qui erat Dominus Rhegii, fugit in Castrum ipsius Civitatis, & misit filium suum ad Dominum Bernabovem de Vicecomitibus. Dictus verò Comes Lucius videns prædicta processisse

propter

propter suam præsentiam, intravit ipsam Civitatem Rhegii cum dicta Compagna, & robaverunt ipsam, & sic robatam tradidit dicto Domino Bernabovi, quamvis dictus Dominus Bernabos primò habebat dictum Castrum. Et sic Marchio Ferrariæ remansit delusus, & pejus vicinatus, quàm ante. De mense Junii Dominus Jacobus de Ursinis, nepos Cardinalis Raynaldi de Ursinis, factus fuit Cardinalis. Dum Torellus de Torellis, & Franciscus de Cento, & Matthæus de Griffonibus canerent simul super porticu Domini Henrici de Torellis, circa secundum somnum guardiæ, supervenit ibi Petrus Torellus Ghinacii de Torellis, & percussit in facie Azonem de Torellis cum uno lapide, & aufugit per Valdelavexam; & tunc dictus Torellus, frater dicti Azonis sequutus fuit dictum Petrum, & non potuit jungere ipsum, & vulneravit famulum dicti Petri. Et hæc omnia fuerunt, quia dictus Azo dederat unam alapam Tuniolo fratri dicti Petri Torelli.

MCCCLXXII. Dominus Petrus de Squarzalupis de Florentia fuit Vicepotestas Bononiæ. Dominus Berardus de Melatino de Abrutio fuit Potestas Bononiæ. Dominus Ugucio de Bondelmontibus de Florentia fuit Potestas Bononiæ. In die S. Antonii de mense Januarii Reverendissimus Pater & Dominus Dominus Petrus Cardinalis Bituricensis, qui dicebatur de Burgeo, vênit Bononiam, pro Legato & Vicario in Bononia, & fuerunt facta magna hastiludia & festa in Bononia. Die XVIII. Novembris Dominus Ambrosius Vicecomes filius bastardus Domini Bernabovis de Mediolano cum magna comitiva gentium armorum vênit, quod nemo sensit, super Comitatu Bononiæ, ardendo & capiendo usque ad Portas Civitatis, & fecit maxima damna; sed statim die sequenti recessit.

MCCCLXXIII. Dominus Nicolaus de la Scala de Ancona, & Dominus Baluganus de Baluganis de Esio, Potestates. De mense Januarii Gens armorum Domini Bernabovis Vicecomitis, quorum Capitaneus erat Dominus Zanottus Vicecomes, quæ gens erat mille lancearum ad tres equos pro lancea, & tercenti arcerii, venerunt super Comitatu Bononiæ, & multa damna & incendia fecerunt in dicto Comitatu, maximè in plano. Eodem mense Gens prædicta fuit conflicta super Comitatu Bononiæ ad Schivardellam in transitu Panarii per gentes Ecclesiæ, & Communis Bononiæ, quorum Dux & Capitaneus erat Dominus Johannes Agud Anglicus, valde doctus in guerris; & pauci evaserunt, qui capti, vel mortui, vel suffocati non fuissent. De mense Februarii gentes Ecclesiæ, quæ erant cum Comite Sabaudiæ, transiverunt flumen Ticini, & equitaverunt Comitatum Mediolanensem, & quotidie currebant usque ad Portas Mediolani. Et una die iverunt usque Papiam, & destruxerunt viridarium Domini Galeatii de Vicecomitibus, Domini Papiæ, quod erat secus murum Civitatis Papiæ, & abstulerunt multas equas, quas tenebat in Burgis. Eodem anno obiit Dominus Henricus de Torellis, & fuit sepultus ad S. Dominicum. Die VIII. Maji Dominus de Conciaco, sive de Chusì, & Dominus Johannes Agud, Miles Anglicus, qui primò transiverant Padum causâ eundi Mediolanum, cùm gentes Domini Bernabovis & Domini Galeatii essent super territorio Brixiæ in loco dicto Gavardo ad quoddam flumen, dictæ gentes Ecclesiæ transiverunt dictum passum, & fuit inter ipsos magnum prœlium, quod duravit à vesperis usque ad noctem. Et finaliter divina favente gratia gentes Ecclesiæ conflixerunt omnes gentes dictorum Tyrannorum, & ferè omnes capti & mortui fuerunt; & fuit magnum factum reputatum, eo quia gentes dictorum Vicecomitum erant MD. lancearum, & CCCC. pedites; & gens Ecclesiæ non erat nisi DC. lancearum, & DCC. arcerii. De qua victoria factum fuit Bononiæ magnum festum, & reputatum fuit miraculum Dei. De mense Maii magna mortalitas incœpit in Bononia, & per multas alias Mundi partes, quæ mortalitas duravit usque ad mensem Novembris, & ultra. De mense Julii Dominus Franciscus de Ghisileriis Portæ S. Salvatoris, Georgius de Ghisileriis ejus frater, Jacobus de Griffonibus eorum cognatus, Matthæus de Griffonibus, & Nicolaus de Zerbinis iverunt simul Venetias ad fugiendum mortalitatem, & per Dei gratiam omnes reversi fuerunt Bononiam de mense Novembris. Tamen Matthæus, & Nicolaus reversi fuerunt de mense Octobris.

MCCCLXXIV. Dominus Baluganus de Baluganis de Esio, & Dominus Franciscus de Comitibus de Campello, Potestates. Die XV. Martii Reverendissimus Pater Dominus Guilielmus Cardinalis S. Angeli vênit Bononiam tamquam Vicarius & Legatus Apostolicus per Portam Stratæ S. Stephani, de quo factum fuit magnum gaudium more solito cum Carrocio, bagurdatoribus, & aliis. Die XXVI. Septembris obiit Domina Raphaëla, uxor nobilis Militis Domini Johannis de Marsilia, quæ erat pulchrior juvenis totius Civitatis Bononiæ, pro cujus morte fuit magnum miraculum in hac forma. Est verum, quòd Matthæus de Griffonibus, qui erat juvenis illius ætatis, cujus erat ipsa Domina Raphaëla, erat in tantum philocaptus de ipsa, quòd, quando decessit, ipse fuit in magno periculo mortis propter dolorem, quem habuit de morte ipsius Dominæ; & stetit multis diebus & noctibus, quòd ipse numquam comedere nec bibere vel dormire poterat quoquomodo. Et finaliter una die ipso Matthæo post mortem ipsius Dominæ per unum mensem vel circa existente ad grottas suas, quas habebat ad hortum suum cum domo extra Portam Sancti Mammæ subtus Ecclesiam de Valverde, unà cum quatuor sociis ipsius Matthæi, ipse Matthæus alta voce tantum, & tot & tot vicibus clamavit dictam Dominam Raphaëlam defunctam, quòd ipsa Domina Raphaëla, videntibus dictis sociis, apparuit ibi coram dicto Matthæo tamquam viva, & cum pannis & vestibus propriis, quos ipsa portabat tempore vitæ suæ. De quo dicti socii habuerunt magnum stuporem. Et ipsa Domina dixit, & salutavit ipsum Matthæum, & dictos socios suos, & dixit eis: *Nolite expavescere, & non habeatis timorem aliquem de me*. Et erat circa secundam horam noctis. Et ipsa Domina dixit dictis sociis Matthæi, quos omnes ipsa bene cognoscebat: *rogo vos, quòd faciatis vos unum modicum seorsim, ut ego possim aliqua loqui cum Matthæo*.

Et

Et tunc dicti focii sic fecerunt, & stabant longè per duas perticas, continuò videntes ipsam cum dicto Matthæo sedere juxta ipsum subtus unum pergolarium. Et stetit ipsa Domina ibi cum dicto Matthæo, sedendo insimul, spatio unius horæ. Postea accepto cumiato ab ipso Matthæo, & à dictis suis sociis, plorando discessit à dicto Matthæo, & dixit: *Caveas, quòd numquam voces me ulterius pro tanto, quantum tu habes caram vitam tuam.* Et tunc dictus Matthæus cum sociis suis ibi remansit plorando, & numquam voluit dicere alicui quicquid aliud ipsa Domina sibi dixit, asserens, quòd ipsa præceperat sibi, quòd ipse numquam diceret alicui; & quòd si ipse Matthæus umquam diceret, esset causa destructionis personæ ipsius Matthæi. Socii autem dicti Matthæi, qui erant secum, & prædicta viderunt, sunt hi, videlicet Azo de Torellis, Peregrinus de Zambeccariis, Johannes de Pepolis, Franciscus de Brunis, qui omnes asserebant, & per sacramentum affirmabant personaliter vidisse prædicta. De mense Julii obiit Dominus Franciscus Petrarcha, Poëta eximius.

MCCCLXXV. Dominus Franciscus de Comitibus de Campello, & Dominus Ugolinus de Scrovegnis de Padua, Potestates. De mense Junii facta fuit treugua inter Ecclesiam, & ejus Collegatos ex una parte, & Dominos Bernabovem, & Galeacium Vicecomites de Mediolano ex alia, usque ad unum annum & duos menses, infra quos duos menses dicitur publicari pax. Eodem mense missi fuerunt Ambaxiatores ad Predammalam pro discordia, quæ erat inter Ecclesiam, & Florentinos pro Podio Montisbeni, quæ fuit pars discordiæ inter Ecclesiam & Florentinos; & Ambaxiatores fuerunt hi, videlicet, Dominus Andreas de Bobus Legum Doctor, Dominus Matthiolus Somenabriga de Beccadellis, & Jacobus Rubeus de Blanchittis Notarius. De mense Septembris in die S. Crucis Azo de Torellis prope Crucem Sanctorum vulneravit Dominum Jacobum de la Fratta Canonicum Bononiensem cum una spata super capite; & pro dicto Azone Johannes de Garisendis ejus socer, Matthæus de Griffonibus socius ipsius Azonis, & Johannes Berti de Ferrantibus fidejusserunt de præsentando ipsum Azonem. Et quia dicti fidejussores senserunt, quòd Dominus Cardinalis volebat facere decapitari dictum Azonem, ipsi fidejussores fecerunt ipsum Azonem recedere de Bononia, ex quo, quia non præsentaverunt ipsum, ipsi fuerunt carcerati, & steterunt XIX. diebus in carceribus Communis Bononiæ.

MCCCLXXVI. Dominus Johannes de Monteroco de Asculo Legum Doctor fuit Potestas Bononiæ usque ad XX. diem Martii. Fuit magnus tumultus in Bononia post festum Nativitatis Domini nostri per duos dies, & quasi tota Civitas traxit ad arma, ex quo Dominus Legatus habuit maximum timorem. Die VIII. Januarii Dominus Legatus misit Ambaxiatores ad Dominum Papam, qui erat Avinioni, videlicet Dominum Guasparum de Caldarinis Decretorum, & Dominum Bartholomæum de Saliceto Legum Doctores. Astorgius de Manfredis de Faventia accepit Castrum Fontanæ, quod fuerat Domini Johannis Patris sui, & rebellavit se Ecclesiæ. Castrum Solaroli se rebellavit contra Ecclesiam, & dederunt se dicto Astorgio. Eodem mense Civitas Forlivii se rebellavit contra Ecclesiam, quia quidam Magister Julianus de Nomaglis de dicta Terra, Medicus de parte Ghibellina, cum aliis partialibus expulerunt Guelfos de Forlivio, qui ibi tenebat partem Sanctæ Ecclesiæ, & habuerunt Rocham à quodam Ultramontano Castellano pro pecuniis cum auxilio Florentinorum. Et postea per modicum tempus dicti Ghibellini dederunt dominium dictæ Civitatis Domino Sinibaldo de Ordelaffis de Forlivio, & Nepotibus suis, quos introduxerunt in dictam Civitatem contra Ecclesiam. Dominus Johannes Agud cum gentibus Anglicis stipendiariis Ecclesiæ iverunt ad ponendum exercitum ad Castrum Garnaroli. Rebellatum fuit Castrum Masumatici Comitatus Bononiæ contra Ecclesiam per quosdam bannitos, qui intraverunt in ipsum, & statim fuit eis ablatum. Et principalis, qui intraverat intus, fuit Princivalle de Butrigariis, qui tunc fuit mortuus, & caput suum fuit apportatum in Bononia; & dictus Princivalle erat bannitus, quia interfecerat Nicolinum de Sala Civem Bononiæ. Infrascripta fuit destructio Bononiæ. Die Jovis XX. mensis Martii noctis tempore, Populus Bononiensis tractatu & proditione Florentinorum, qui provisionem dabant, & dare perpetuò promiserunt aliquibus Magnatibus Civibus, motus ipse Populus ab ipsis provisionatis, traxerunt ad arma, & intraverunt per Portam Cittadellæ versùs Forum de medio, quam portam fregerunt, & intraverunt Plateam, cridando alta voce: *Povolo: Povolo*: inter quos fuerunt Ugolinus Panico, filius olim Comitis Maghinardi Grandis de Panico, cum magna multitudine Montanariorum, Dominus Ubaldinus de Malavoltis, Ugolinus de Balduinis, Dominus Ricardus de Saliceto, Dominus Robertus de Saliceto ejus filius, Tuniolus de Torellis, Ghinolfus de Dalfinis, Petrucius de Blanchis, & alii de Blanchis, omnes de Bentevoglis, Ugolinus de Boccadeferris, Lippus, & Gualengus de Ghisileriis, Pinus de Gozadinis, Dominus Ugolinus de Galuciis, Dominus Thaddæus de Azoguidis, Marsilius de Liazaris, illi de Pretis, Albertus de Guidottis, & multi alii. Tunc Dominus Cardinalis se chamusavit in habitu Fratrum Eremitarum, & ivit ad S. Jacobum in Strata S. Donati, & omnes sui Officiales, & Cortexani fugerunt huc & illuc. Et Dominus Henricus de Sesso, Episcopus Cumanus, captus fuit & ductus in domo Ugolini de Balduinis; & Potestas Bononiæ fuit acriter vulneratus per Pancinum de Auro. Et Populus ivit subitò ad Castrum S. Felicis, & habuerunt illud, & intus posuerunt ad custodiam ipsius Castri Franciscum de Belvixiis, nepotem Ugolini de Balduinis, & Tarlatum de Beccadellis, & fuerunt robati stipendiarii per Populum. Et dicta die fuerunt facti sexdecim Antiani, qui deberent gubernare Civitatem, inter quos nominabo illos, de quibus recordor, videlicet Dominus Antonius de Galuciis, Dominus Richardus de Saliceto, Dominus Franciscus de Guastavillanis, Munsus de Sabbadinis, Franciscus Beccarius de Bentevoglis, Michaël de Sclassis, Ambrosinus Bec-

Beccarius, & Dinus Laygoni Hostexani Notarius, & Minottus Angelelli Notarius, & Ser Petrus de Mitugliano mercator sirici, & alii. Et factum fuit Consilium Populi, in quo eisdem Antianis datum fuit plenum arbitrium faciendi omnia, quæ viderent esse utilia pro bono statu Populari Civitatis Bononiæ per totum mensem Aprilis. Et subitò per Populum fuerunt lacerati omnes libri bannitorum, & multi banniti redierunt Bononiam. Et missi fuerunt Ambaxiatores Florentiam pro subsidio, quod ipsi miserunt pro custodia Civitatis Bononiæ; & facta fuit Liga per Bononienses cum Commune Florentiæ, & cum Domino Bernabove de Mediolano. Die verò XXI. dicti mensis gens armigera Anglicorum, quæ erat circa Castrum Garnaroli, audientes, quòd Civitas Bononiæ erat rebellata contra Ecclesiam, intraverunt Faventiam, & ipsam totaliter robaverunt, & omnes Cives omnibus bonis spoliaverunt die XXII. dicti mensis; & Cives Faventinos extra ipsam Civitatem crudeliter expulerunt, bonis omnibus spoliatos; & ipsam Civitatem per se ipsos retinuerunt de voluntate Rectoris Romandiolæ pro Ecclesia. Eodem tempore multi stipendiarii capti & derobati fuerunt in Bononia, ob quam causam magni tractatus concordiæ fuerunt inter Bononienses, & stipendiarios Anglicos, qui erant in Faventia; & quia concordia non fiebat ita citò, pro ut voluissent dicti Anglici, ideo ipsi Anglici die XV. Maji equitaverunt super Comitatu Bononiæ usque ad pontem majorem, & ceperunt quatuor mille animalia grossa, & ultra, & quatuorcentum captos, & duxerunt Faventiam, postquam steterant tribus diebus super Comitatu Bononiæ; sed postea facta fuit concordia inter ipsos, & Bononienses, & omnes capti de utraque parte fuerunt liberè relaxati. Die XXI. Aprilis Commune Bononiæ habuit Comitatum Imolæ sub ejus custodia, & gubernatione à Syndicis Comitatus Imolæ. Die primo Maji novi Antiani intraverunt in officio, numero duodecim, inter quos fuit Dominus Matthiolus Somenabriga de Beccadellis, qui fuit primus Vexillifer Justitiæ, qui fuerit factus in Bononia. Die verò VIII. dicti mensis fuerunt facti sexdecim Confalonerii in Populo, videlicet quatuor pro Quarterio, ut nullus deberet accedere, vel trahere ad domum alicujus, nisi ad Confalonerium suæ viciniæ sibi deputatum. Die XIX. dicti mensis Dominus Johannes de Manzatoribus de S. Miniato fuit Capitaneus Populi Bononiensis. Die II. Julii Britones in maxima quantitate venerunt super Comitatu Bononiæ cum Domino Cardinali Zoppo Gebennensi, qui postea fuit Antipapa, & dicebatur, quòd erant quatuordecim mille equites, & ceperunt Crespellanum, Olivetum, & Montembellium. Et post per modicos dies dicti Britones existentes in Terra Ulmetulæ, & Burgi Panicalis, dum quidam pedites, quorum paucissimi erant Cives Bononiæ, exivissent Portam Pradelli, prædicti Britones insultaverunt ipsos pedites, & bene quingentos interfecerunt prope Crucem Servegli, quorum capita sepulta fuerunt juxta dictam Crucem per quemdam Eremitam tunc ibi morantem. Die V. Septembris Britones prædicti, quia habebant in Bononia tractatum Maltraversorum, & nemo de hoc perpendebat, cucurrerunt usque ad Portas Civitatis Bononiæ de nocte, & arserunt Burgos Stratæ majoris S. Donati, & Stratæ S. Vitalis extra Portam, & totum propter tractatum, de quo tibi infra de proximo explicabo. Die verò XI. dicti mensis Septembris discoopertus fuit per gratiam Altissimi ille pessimus & nefandus tractatus, quem habebant illi Britones cum parte Maltraversorum in Bononia, de dando Civitatem Bononiæ ipsis Britonibus, & omnes de alia parte debebant interfici, & derobari; cujus occasione capti fuerunt dicta die de sero Dominus Franciscus de Guastavillanis Doctor, Bornius Domini Catelani de Sala, Munsus de Sabadinis, & Dominus Hieronymus de S. Hyeronymo Doctor. Cujus tractatus propalator fuit Ser Jacobus de Papia, qui erat Procurator, & dum ivisset ad studium Domini Francisci de Guastavillanis Doctoris pro consilio suo, ipse antequam ingrederetur studium, vidit intus Bornium de Sala, valde secreto modo stantem cum Domino Francisco, & stetit per pulchrum modum ad ascultandum ipsos, & per verba, quæ audivit ab eis, perpendit, quòd ipsi habebant tractatum inter se cum Britonibus. Et incontinenti ivit secretè ad revelandum tractatum; ex quo dictus Dominus Franciscus, & alii socii suprascripti capti fuerunt. Et tunc dictus Dominus Franciscus petiit de gratia evadere personam, si ipse narraret Antianis totum tractatum; & sic fuit promissum sibi, & ipse omnia de verbo ad verbum punctualiter declaravit. Et ob id die sequenti, videlicet die XII. Septembris, captus fuit Dominus Matthæus, aliàs Matthiolus de Beccadellis, & dicta die Dominus Matthæus de Beccadellis prædictus, & Dominus Hieronymus supradictus, & Bornius de Sala supradictus fuerunt decapitati super Platea. Die verò XIV. dicti mensis Munsus de Sabbadinis, & Lippolus de Beccadellis fuerunt dicta de causa decapitati in Platea. Multi alii occasione dicti tractatus fugerunt, & banniti fuerunt pro rebellibus, inter quos fuerunt Dominus Petrus, Comacinus, & Stephanus de Formaglinis, Guilielmus de Sala, Jacobus de Ignano, Johannes Vanducii Beccarius, Jacobus de la Mola Notarius, & multi alii. Et dictus Stephanus de Formaglinis evasit personam, quia Matthæus de Griffonibus cognatus suus, qui erat de alia parte, duxit ipsum extra Civitatem, & fecit ipsum sociari usque extra Comitatum Bononiæ, quia aufugit in domo ipsius Matthæi. De mense Novembris fuit magnus rumor in Bononia, eo quia dictum fuit, quòd certi Magnates volebant facere reverti illos de Pepolis. Et horâ tertiarum Leonardus de Bentevoglis vênit in Platea, & incoepit clamare: *Vivat Populus, & moriantur proditores.* Et tunc Franciscus de Scottis de Placentia Potestas Bononiæ unà cum Tuniolo de Torellis, qui erat de numero Antianorum, & Becaroëllus de Bentevoglis iverunt ad domum Ugolini de Baldoinis, quia dicebatur, quòd ipse volebat, quòd illi de Pepolis redirent, & volebant capere dictum Ugolinum, & non invenerunt ipsum ad domum, quia ipse traxerat cum sua comitiva ad domum Jacobi de Griffonibus Confalonerii, ubi erat ma-

A magna multitudo gentium Populi armatarum. Et dictus Ugolinus volebat, quòd dictus Jacobus de Griffonibus iret cum Confalone ad Plateam. Sed Macerius Antianorum erat ibi, & præcipiebat continuò dicto Jacobo, quòd ad pœnam capitis non discederet à domo sua cum gentibus, quas secum habebat. Et isto medio supervenerunt ibi ad domum dicti Jacobi dictus Potestas, & dictus Tuniolus Antianus, & dictus Becaroëllus, & duxerunt secum ad Palatium dictum Ugolinum de Balduinis, qui Ugolinus nocte sequenti fuit confinatus. Et similiter dicta de causa fuerunt confinati Dominus Ubaldinus Miles de Malavoltis, & Dominus Thaddæus Miles de Azoguidis, & multi alii Cives fuerunt detenti. B Eodem anno Buglante de Primadiciis fuit decapitatus, eo quia dedit Castrum Montisbellii, & Chucherlæ, cujus erat Capitaneus, Britonibus, unà cum Berto de Balduinis, fratre Ugolini de Balduinis. Qui Bertus erat Vicarius Montisbellii. Et dictus Bertus aufugit Mutinam, & fuit bannitus in avere, & in persona, & hoc fuit de mense Julii. Stephanus de Formaglinis, & Paulus Albertus de Belvixiis acceperunt in uxores duas filias olim Guiducii de Griffonibus, videlicet Dominus Stephanus Dominam Bartholomæam, & dictus Paulus Albertus Dominam Antoniam, sorores prædictas.

C MCCCLXXVII. Dominus Michaël de Vulterris fuit Potestas Bononiæ. Dominus Bartholomæus de Armannis de Perusio fuit Capitaneus Populi. Dominus Cante de Grapaldis de Parma, Doctor fuit Vicepotestas. Dominus Guelfus de Puglisiis de Prato fuit Capitaneus Populi, & pro parte Vicepotestas. Die XXII. Januarii Commune Bononiæ misit Ambaxiatores Romam ad Dominum Papam, videlicet Dominum Jacobum de Presbyteris Militem & Doctorem, Ser Landum Baroni de Butrigariis Notarium, & Magistrum Andream barberium de Strata S. Donati, de quo omnes truffati fuerunt, asserentes, quòd ibat ad radendum Papam. D Die primo Februarii Civitas Cæsenæ fuit robata, & missa ad saccomanum per Dominum Robertum Cardinalem Gebennensem, & Britones, qui erant cum eo; & omnes Cives Cæsenæ mortui & derobati fuerunt, salvis illis, qui potuerunt arripere fugam; & aliqui Maltraversi Bononienses erant ibi, qui erant banniti de Bononia, & fuerunt similiter derobati, & capti à Britonibus. Sed bene stetit eis, quia ipsi fecerunt venire Britones ad istas partes causâ dandi sibi Bononiam, ut superiùs scripsi; & dedissent, nisi quòd per Dei gratiam tractatus fuit revelatus. Populus Bononiensis de mense Martii traxit ad arma horâ tertiarum, & clamabant: *Vivat Populus: & Artes; & moriantur Raspantes*: E Et Populus ivit ad domum Domini Richardi de Saliceto, & Domini Roberti sui filii causâ robandi eos, & ardendi domos suas. Sed aliqui boni homines vetaverunt, quòd non fuerunt combustæ. Et iverunt ad hospitium Lunæ, ubi erant Ambaxiatores Florentinorum, & robaverunt dictum hospitium, & clamabant fortiter ad domos de Blanchis. Et in illo furore detenti fuerunt aliqui Cives, quos dicebant esse *Raspantes*, videlicet Dominus Robertus de Saliceto, Bertus de Blanchis, Raynaldus ejus frater, Pinus de Gozadinis, Salvutius de Bentevoglis, Leonardus de Bentevoglis. Et die sequenti Petrucius de Blanchis, Zanuchinus de Malviciis, Tuniolus de Torellis. Item detenti fuerunt quamplures alii, quia dicebatur, quòd erant amici Pepulorum, videlicet Nicolaus de Altedo, sive de Cazanimicis, Franciscus de Belvixiis, Andreas de Albirolis, Marsilius de Liazaris, Macagnanus de Azoguidis, & multi alii, de quibus non recordor; & multi fugerunt. Eodem mense cridati & banniti fuerunt in banno Communis Bononiæ omnes, qui erant in Castro Planorii, quod rebellaverat Guilielmus de Logliano, & alii de Domo de Logliano, & introduxerunt Pepulos in dictum Castrum contra Commune Bononiæ, in quo Castro erant illi de Logliano, & illi de Pepulis, Dominus Thaddæus de Azoguidis, Dominus Ubaldinus de Malavoltis, Ugolinus de Balduinis, & multi alii, qui non poterant stare Bononiæ. De mense Aprilis Commune Bononiæ misit duos Ambaxiatores Planorium ad tractandum concordiam cum illis de Pepulis, & cum aliis Civibus ibidem existentibus, & dicti Ambaxiatores fuerunt isti duo, videlicet Ser Dinus Laygoni Hostexani Notarius, & Jacobus de Griffonibus. De mense Maji Bononienses iverunt hostiliter ad dictum Castrum Planorii, & illud habuerunt in paucis diebus ad certa pacta. Die XV. Junii Leonardus de Liazaris fuit decapitatus in Platea, quia scribebat literas inimicis. De mense Januarii anni prædicti Bartholomæus Domini Pauli de Liazaris fuit decapitatus, quia rebellavit Castrum Mugnani.

MCCCLXXVIII. Dominus Petrus Marchio Montis S. Mariæ fuit Capitaneus Populi. Dominus Franciscus de Doctis de Padua fuit Potestas. Dominus Cante de Cabriellibus de Eugubio fuit Potestas. Dominus Johannes de Fratanis de Narnia fuit Potestas. De mense Januarii Episcopus Venetiarum, & Episcopus Imolensis, Ambasciatores Domini Papæ, & Commissarii acceperunt tenutam Civitatis Bononiæ pro Domino Papa, & absolverunt omnes excommunicatos, & fecerunt multas gratias in signum veræ possessionis dominii Civitatis Bononiensis. Et postea Antiani, & Consalonerii, & Potestas, & Capitaneus jurabant officium suum in manibus Domini Johannis de Lignano Doctoris eximii, quem Dominum Johannem Dominus Papa constituit suum Vicarium ad recipiendum dicta juramenta, & habebat omni mense de salario libras centum decem à Communi Bononiæ dicta de causa, de quibus ipse dare promisit omni mense quinque libras Bononiensium Matthæo de S. Alberto ejus figliocio, qui scribebat juramenta prædicta. Die XIV. Februarii Ser Jacobus de Blanchittis Notarius duxit in uxorem Dominam Zannam quondam Johannis Thomaxini. Die XVIII. Maji Commune Bononiæ misit Ambasciatores ad visitandum Dominum Papam, noviter electum, videlicet Papam Urbanum VI. & Ambasciatores fuerunt isti, videlicet, Dominus Gerardus de Confortis Miles, Dominus Eganus de Lambertinis Miles, Dominus Bartholomæus de Saliceto Legum Doctor, & Ser Dinus Laygoni Hostexani Notarius. Post modicum tempus Cardinales Ultramontani qui

qui erant Romæ, iverunt Anagniam, dicentes, quòd dictus Papa Urbanus VI. non erat Papa, & quòd non erat debito modo electus. Et elegerunt unum alium Papam, videlicet Cardinalem Robertum Gebennensem Zoppum, qui venerat contra Civitatem Bononiæ, & tot mala fecit in Comitatu Bononiæ cum Societate Britonum, ut superiùs tibi scripsi. Et sic incœptum fuit Schisma in Ecclesia Dei, quod duravit annis triginta, & ultra, quia continuò postea fuerunt duo Papæ, videlicet citramontanus, & alter ultramontanus. Et dictus Dominus Urbanus, verus Papa, videns se à Cardinalibus derelictum, fecit XXIX. Cardinales Italicos, inter quos fecit Dominum Philippum Caraffam de Neapoli, qui erat Archidiaconus Bononiæ, & Dominum Bartholomæum de Mezavachis de Bononia, qui erat Episcopus Rietensis. Eodem anno Petrucius de Bedoledis Comes de Panico, & Antonius ejus frater, fuerunt decapitati in Platea, tamen in diversis vicibus. De mense Julii Commune Bononiæ armata manu cum gentibus suis recuperavit Turrim de Canuli, & Castrum Centi, quæ erant rebellia contra Bononiam. Et in introitu facti fuerunt duo Milites, videlicet, Dominus Petrus de Canitulo Legum Doctor, & Dominus Nicolaus Lighi Campsoris de Lodoicis. De dicto mense Aghinolfus de Dalfinis decessit, & reliquit in suo testamento, quòd filiæ suæ non possent aliquo modo maritari alicui, qui esset, vel esse reputaretur de parte Maltraversorum; & dictum Testamentum depositum est in Sacristia Fratrum Prædicatorum.

MCCCLXXIX. Dominus Johannes de Frattanis de Narnia fuit Potestas. Dominus Fantinus Georgio de Venetiis, & Dominus Hilarius de Sanguenaciis de Padua fuerunt etiam Potestates Bononiæ. Die XVI. Junii C........ fuit decapitatus, eo quia furatus fuit bursam cum pecuniis Jacobo de Flesso Campsori, & dictus Dominus Fantinus Potestas fecit dictam justitiam. Die XXVII. Junii Bitinus Tarones magister lignaminis fuit decapitatus, eo quia sibi adscriptum fuit, quòd erat in quodam tractatu de Pepolis. Et revera quasi omnes Cives reddiderunt se certos, quòd tortum sibi factum fuit. Et dicta de causa etiam captus fuit Franciscus de Bentevoglis beccarius, & numquam confessus fuit aliquid, & mortuus fuit propter tormentum in manibus Potestatis, & fuit reputatum maximum malum. Die VIII. mensis Decembris Sanctissimus Dominus noster Papa Urbanus VI. dedit Communi, & Populo Bononiæ totum Comitatum Imolæ cum omnibus Castris, Terris, Villis, & juribus ejusdem, cum pleno dominio, & omnimoda jurisdictione. Et ad prædicta consenserunt omnes Syndici omnium dictarum Terrarum. Et prædicta omnia fecit Reverendissimus Pater Dominus Cardinalis Philippus Caraffa de Neapoli, Legatus in Bononia, vigore literarum Apostolicarum sibi missarum per dictum Dominum Papam, qui prædicta fecit amore Domini Johannis de Lignano famosissimi utriusque Juris Doctoris, qui missus fuit Ambaxiator Communis Bononiæ ad dictum Dominum nostrum Papam dicta de causa. Et de prædictis rogatus fuit Peregrinus de Zambeccariis Notarius Bononiæ.

MCCCLXXX. Dominus Bonifacius de Montefalco, & Dominus Franciscus Comes de Campello Potestates. Die XXI. Martii Commune Bononiæ emit à filiis Domini Nicolai de Pepolis domum prope Ecclesiam S. Mariæ Portæ Ravennatis, causâ faciendi ibi Gabellam grossam mercationum. Et sic dictum Commune fecit destrui Gabellam veterem, & fecit ibi novam in pulchriori forma. Die XXX. Augusti obiit famosissimus Doctor Legum Dominus Antonius de Presbyteris de Bononia, natus olim bonæ memoriæ excellentissimi Legum Doctoris Domini Johannis de Presbyteris. De mense Octobris Castrum Argelis fuit constructum per Commune Bononiæ, & Molendinum ibi prope. Die XXI. Decembris de nocte gens Communis Bononiæ equitavit ad Castrum Plebis, quod erat rebelle Communi Bononiæ, causâ recuperandi ipsum Castrum, secundùm ordinem datum. Et Gualengus de Ghisileriis, caput dictarum gentium, in introitu Plebis fuit mortuus, unà cum XIV. probis Caporalibus. Et sic pro illa die tractatus non habuit locum; sed die sequenti per Dei gratiam habitum fuit ipsum Castrum cum auxilio hominum de Cento, ubi se reduxerunt gentes Communis Bononiæ. Eodem anno Commune Bononiæ emit Castrum Bruscoli, & Piglanum à Comite Alberto de Bruscolo pro pretio trium millium florenorum.

MCCCLXXXI. Dominus Raynerius de Simonettis de Exio fuit Potestas Bononiæ, & incœpit die decimo Junii. Dominus Albertus de Guidolottis de Perusio fuit Potestas, & incœpit die decimo Decembris. Die Nativitatis Domini nostri Castrum Plebis Centi fuit recuperatum per Commune Bononiæ per concordiam. Carolus de la Pace cum magna multitudine gentium transivit per Comitatum Bononiæ, & fecit magna damna, & ivit Romam causâ intrandi Regnum; & postea intravit Civitatem Neapolis, & expulsit Reginam Johannam, tunc ibidem dominantem, & coronatus primò fuit per Papam Urbanum VI. Et dicta Regina fugit de Neapoli, & se reduxit in Castrumnovum; & Dominus Octo de Brisvich maritus dictæ Reginæ fuit conflictus cum gentibus suis à dicto Carolo Rege; & ipse Dominus Octo captus fuit. De mense Novembris Civitas Aretii de Tuscia fuit derobata, & missa ad saccomanum per Comitem Albericum de Barbiano, & gentes ejus; & multi Cives capti fuerunt per ipsas gentes, quæ gens vocabatur *la Compagna di San Zorzo*. Commune Bononiæ emit Castrum Solaroli cum multis Terris ibidem circumstantibus à Francisco de Manfredis de Faventia, fratre Astorgii, pro pretio ter millium Florenorum, & Duzolus de Plantavignis Notarius fecit Instrumentum. Civitas Aretii fuit iterum derobata per Compagnam Villanucii, si aliquid ibi remanserat. Die XXI. Octobris Ugolinus de Balduinis, qui erat expulsus de Bononia obiit in Civitate Veronæ, & fuit apportatum corpus suum Bononiam, & sepultum ad S. Franciscum.

MCCCLXXXII. Dominus Raynerius de Zaciis de Pisis fuit Potestas Bononiæ. Dominus Comes Besazonus de Plagnano fuit Potestas Bononiæ. Die XV. Februarii Commune

ne Bononiæ misit Ambasciatores ad Dominum Papam, videlicet Dominum Johannem de Lignano Doctorem, Dominum Ugolinum de Galuciis Militem, Dominum Ugolinum de Scappis Doctorem, Franciscum de Foscarariis Campsorem, Maghinardum de Cansaldis Strazzarolum. De mense Martii Dominus Albertus Marchio de Ferraria vênit ad Civitatem Bononiæ, & fuit valde honorificè receptus, & ivit ad S. Mariam in Monte ad solvendum votum suum, ubi fecit pulchras oblationes. De mense Junii, & Julii, Commune Bononiæ fecit cavari foveas Civitatis timore Ducis Andegavensis, idest de Angiò, qui erat magnus Dominus, & de Domo Franciæ, qui de die in diem dicebatur debere venire versùs Civitatem Bononiæ; & sic vênit, ut in sequenti tibi dicam. Die V. Augusti Dominus Ludovicus Dux Andegavensis, sive de Angiò, cum quindecim mille equitibus, inter quos erant MCC. balisterii equitum, vênit super Comitatu Bononiæ. Et prima die applicuit Panzanum, secunda die in Buschis Pescarolæ, & die VIII. Augusti transivit ad partes de subtus Civitatem, incipiendo ad Portum Macagnani, & ultra, usque ad Stratam S. Vitalis, & Stratæ Majoris, & ivit ad Terram Russi Comitatus Bononiæ super flumine Idicis. Et habuit victualia pro suis pecuniis, & fuit valde bene præsentatus à Regiminibus Bononiæ. Et non fecit aliquod damnum alicui personæ Comitatus Bononiensis, quod fuit reputatum magnum mirum. Et finaliter ipse ivit Neapolim contra Regem Carolum, causa vindicandi injuriam factam Reginæ Johannæ. Et cum eo erat Comes Sabaudiæ, & multi alii Nobiles Barones; & dicebatur, quòd ibant in favorem Antipapæ Clementis, videlicet Domini Roberti Cardinalis Gebennensis Zoppi, qui vênit cum Britonibus contra Civitatem Bononiæ, ut supra dictum fuit. Eodem anno mortuus est Ludovicus Rex Hungariæ morte naturali, ex quo duæ filiæ remanserunt. Tamen major vocata Maria remansit Regina. Die VII. Octobris Dominus Carolus de Zambeccariis fuit conventuatus in Legibus, & duxit uxorem.

MCCCLXXXIII. Dominus Ludovicus de Castro Renardi fuit Potestas Bononiæ. Dominus Jacobus de Recanate fuit Vicepotestas. Dominus Robertus de Camporinis de Asculo fuit Potestas Bononiæ. Rocha Anconæ reddita fuit Populo Anconitano per Castellanum ipsius Rochæ, qui ipsam tenuerat longo tempore nomine Romanæ Ecclesiæ. Die XIV. Februarii horâ VI. noctis Sepultura S. Dominici, quæ est in Ecclesia Fratrum Prædicatorum de Bononia, aperta fuit, & in ipsa reperta fuit una capsa de arcipresso, in qua erant ossa dicti Sancti. Et hoc fecerunt fieri Antiani, & Regimina Bononiæ; & de ipsa capsa extractum fuit caput S. Dominici, & postea claudi fecerunt Arcam cum aliis reliquiis dicti Sancti. Et in ipsa capsa posita & dimissa fuit una scriptura manu Jacobi de Blanchittis tunc de numero Antianorum, in qua scriptura scripta sunt omnia nomina illorum de Regimine, qui erant ibi præsentes. Et incontinenti horâ, qua aperta fuit dicta Arca, apparuit una stella clarissima, magna, & grossa cum tribus caudis, & stetit continuò supra Ecclesiam S. Dominici per multas horas, donec dicta Arca stetit aperta, & omnes ibi præsentes videbant stellam prædictam. Die XVI. mensis Februarii horâ XXI. obiit ille Doctor utriusque Juris famosissimus & excellentissimus Dominus Johannes de Lignano, & die XVIII. dicti mensis fuit honoricè sepultus ad S. Dominicum juxta introitum Sacristiæ. Fuit magna mortalitas in Civitate & Comitatu Bononiæ. Fuit elongata Logia horti Palatii Dominorum Antianorum. Venerunt nova in Bononia, & sic verum fuit, quòd Dominus Raynaldus de Ursinis habuit Dominium Civitatis Spoleti, & quòd Papa Urbanus VI. captus fuit in Neapoli, & Dux de Angiò habuit dominium Civitatis Taranti. De mense Novembris Dominus Galaottus de Malatestis habuit Civitatem Cerviæ, quam prius tenebat Dominus Guido de Polenta, & hoc tam per expugnationem, quàm per proditionem aliquorum Civium Cerviæ.

MCCCLXXXIV. Dominus Robertus Marius fuit Potestas Bononiæ. Dominus Ninus de Carociis de Tuderto Potestas. Eodem anno die . . . . . Januarii Matthæus de Griffonibus duxit in uxorem Dominam Helenam filiam Antonii Codeca Mercatoris; & dicta die Peregrinus de Zambeccariis duxit in uxorem Dominam Ursinam neptem ipsius Antonii, & filiam olim Johannis Codeca. De mense Aprilis Ser Jacobus Presbyter ad Ecclesiam Sassinigri de suo sanguine proprio sanguinavit unam hostiam sacram, dicendo, quòd erat de sanguine Jesu Christi, & lucratus fuit multas pecunias à gentibus euntibus ad videndum illud miraculum. Sed Regimina Civitatis voluerunt, quòd veritas sciretur; & veritate reperta, dictus Presbyter fuit privatus, & positus in cabia, & damnatus ad perpetuos carceres: De mense Maji duo stipendiarii pedites Mediolanenses rapuerunt unam sclavam in Platea Communis Bononiæ, qua de causa ipsi ambo fuerunt suspensi per gulam in Platea. Factum fuit Palatium novum domus Societatis Notariorum, solicitatione Jacobi de Griffonibus, qui tantum prædicavit, quòd fecit fieri illud bonum. Die VIII. Septembris obiit Dominus Ugolinus de Galuciis Miles, & sepultus fuit ad S. Dominicum. Dominus Galaottus de Malatestis voluit secretè intrare Civitatem Ravennæ, & positæ fuerunt scalæ ad muros: tamen nihil fecit. Dominus de Conciaco, sive de Cussi, transivit ad istas partes in favorem Ducis de Angiò cum magna multitudine gentium, & non tetigerunt Comitatum Bononiæ, & venerunt per viam de Pontremuli.

MCCCLXXXV. die XXI. Januarii Magnificus Dominus Dominus Galaottus de Malatestis, Dominus Civitatis Arimini, & aliarum quamplurium Civitatum, obiit morte naturali in Civitate Cæsenæ. Eodem mense Dominus Marchio Nicolaus Estensis, Marchio Ferrariæ &c. accepit Castrum Consilicis tam per vim, quàm etiam per proditionem aliquorum intrinsecorum, quod Castrum tunc tenebant Comites de Cunio. Die V. Februarii gens Communis Bononiæ equitavit versùs Mutinam, ad obviandum, quòd Compagna Johannis Azonis de Ubaldinis non veniret in Comitatum Bononiæ, prout minabatur. Tamen dicta Compagna transivit pacificè,

datis

datis primò obsidibus pro Communi Bononiæ. Die XXV. Februarii gentes armorum Communis Bononiæ unà cum Confalonerio Justitiæ, qui erat Rambertus de Bacelleriis, equitaverunt in Romandiola contra Societatem Azonis de Ubaldinis, & contra Comites de Barbiano. Quæ Compagna erat ad campum ad S. Prosperum; & cum gentibus Bononiensium erant gentes Marchionis Ferrariæ, & Florentinorum; & finaliter gens Bononiensium fuit conflicta, & fugerunt ad Castrum S. Petri. Et totum fuit propter tristitiam Confalonerii Justitiæ, qui ibi erat, & propter multos alios Cives, qui non fecerunt nisi fugere, & posuerunt alios omnes in fugam. Inter quos Cives erat Dominus Eganus de Lambertinis, Tarlatus de Beccadellis, Cursinus de Gozadinis, Nicolaus de Fantuciis, & Franciscus de Parixiis, qui non habuerunt meliora arma, quàm sperones. Quorum culpa Civitas Bononiæ recepit illa die magnam verecundiam, & maximum damnum. Et illa de causa, loquendo per contrarium, factus fuit infrascriptus Sonettus, nec umquam potuit sciri, quis fecerit. Tamen multi crediderunt, quòd Matthæus de Griffonibus fecisset ipsum Sonettum truffatoriè.

„ *Difesa non può far più Barbiano,*
„ *Zoanne d'Azzo, nè ancor Zagonara;*
„ *Che i Bolognisi con quel da Ferrara*
„ *Non li convinca con la spada in mano.*
„ *Che Conte, nè Soldato, nè Villano,*
„ *Che li sia dentro, uscir non può che para,*
„ *E la passiva ch'è sì forte cara,*
„ *Ch'in pochi dì di fame cascherano;*
„ *Ma la non era mai sì lunga mena,*
„ *Se i Capitani con la lor bandiera*
„ *Soccorso avesser ben la prima schiera.*
„ *E se'l non fosse stato una maniera*
„ *De' Cittadin, che parean Signoritti,*
„ *Che incontinenti dieder' a gambitti.*
„ *Ma pur vincerà i nostri Bolognisi,*
„ *Che'l gh' è Tarlato, e Francesco Parisi.*

Die IV. Aprilis Castrum Zagonaræ, Comitatus Imolæ, fuit redditum Domino Marchioni Ferrariæ, & dicta die illi de Compagna recesserunt de Barbiano. Dominus Marchio Ferrariæ construi fecit unam pulchram Rocham prope Portam Leonis, & fuit quia illis diebus, videlicet de mense Maji Populus Ferrariæ traxit ad arma, & voluit interficere Dominum Thomam de Tortona Vicarium Marchionis, qui aufugit in Palatio Marchionis, & oportuit, quòd Marchio daret ipsum Populo ad trucidandum, & sic factum fuit. Sed postea ipse fecit mori multos tam suspendendo, quàm projiciendo in Pado; & meritò, quia bene meruerunt. Die VI. Maji Magnificus Dominus Dominus Bernabos Vicecomes Dominus Mediolani fuit captus cum filiis suis per Nepotem suum Dominum Johannem Galeatium Comitem Virtutum, & acceptum fuit sibi totum dominium. Die VIII. Maji Commune Bononiæ habuit Castrum Barbiani per concordiam, & Comes Dosius primò mortuus fuit cum uno veretono. Castrum Medicinæ fuit noviter constructum per Commune Bononiæ, & Jacobus de Blanchittis Notarius fuit superassistens. Die XVI. Novembris Castrum Barbiani perditum fuit per Commune Bononiæ, quia Comes Raynaldus de Barbiano intravit illud, & rebellavit contra Bononiam cum proditione & tractatu terrigenarum. De mense Decembris Dominus Sinibaldus de Ordelaffis, Dominus Forlivii captus fuit à Pino, & Ceccho de Ordelaffis suis nepotibus, & acceperunt sibi dominium. Die XVII. Decembris Dominus Bernabos Vicecomes de Mediolano decessit in Turri de Trecio, ubi erat carceratus; & dictum fuit, quòd fuit toxicatus, & fuit sepultus in Mediolano in Ecclesia S. Johannis in Conca.

MCCCLXXXVI. Dominus Marcus Marchio Malaspina fuit Potestas Bononiæ, confirmatus die XXV. Martii. Tredecim robatores, qui se reducebant ad Castrum Barbiani, inimicum Communis Bononiæ, capti fuerunt ad Medexanum, & capti fuerunt, quia unus eorum socius decepit ipsos; & fuerunt omnes in hora eadem simul suspensi in Platea Communis Bononiæ. Die primo Januarii Dominus Sanctus de Daynisiis Legum Doctor decessit morte naturali horâ prandii; & tunc Sol obscuratus fuit tali modo, quòd oportuit teneri candelas accensas in prandio per totam Bononiam; & omnes dicebant, quòd erat amore dicti Domini Sancti, qui a reputabatur non bene legalis. Die XVII. Februarii mortuus fuit Rex Carolus de Pace in Hungaria à Magno Comite, qui Rex Carolus fecerat se coronari de Regno Hungariæ. Die VIII. Aprilis facta fuit concordia inter Commune Bononiæ, & illos de Barbiano. Itaque Barbianum remansit Comitibus cum aliqua recognitione, quam faciebant Communi Bononiæ. Et hoc fuit, quia Comes Lucius de Lando, qui erat ad stipendium Communis Bononiæ, prodidit Commune Bononiæ, & postea vituperosè recessit, & ivit Faventiam. Et die X. dicti mensis Comes Johannes de Barbiano vênit Bononiam. Die XVIII. Aprilis Comes Albericus de Barbiano vênit Bononiam, & fuit honotificè receptus; & die sequenti Dominus Bartholomæus de S. Severino, Capitaneus gentium Communis Bononiæ, qui erat Florentiæ, vênit Bononiam. De mense Aprilis Dominus Michaël de Gabretto de Vulterris fuit Capitaneus Populi Bononiensis. De mense Maji die XVI. Ferrante Sartor de Miralsole, & Dominus Matthæus ejus filius Legum Doctor, Hieronymus Bidellus de Miralsole, & certi alii, fuerunt decapitati, quia eis adscriptum fuit, quòd volebant dare Bononiam illis de Pepolis. Et verè ipsi non potuissent sibi dare unam muscam. Et tunc multi alii de parte Scacchensi fugati fuerunt, qui timebant furorem. Die verò XXI. dicti mensis Prior Fratrum de Angelis, commorantium extra Portam Sancti Mammæ dicta de causa positus fuit in gaiba super Platea, & ibi stetit nonaginta sex diebus, & finaliter ipse in gaiba decessit, & non habebat nisi pellem, & ossa. Tamen ipse numquam fuit culpabilis in aliquo; sed factum fuit per illos, qui tunc regebant, quia volebant opprimere amicos de Pepolis. Et tunc Albertus de Guidottis, Zordinus de Blanchis, Marsilius de Liazariis, & multi alii banniti fuerunt, inter quos etiam fuit Federicus de Pavanensibus. De mense Augusti die XXVII. Dominus Bernabos Miles, filius Domini Andreæ de Pepolis, fuit decapitatus in Platea, eo quia tamquam juvenis vênit simpliciter camufatus ad Civitatem Bononiæ

noniæ unà cum Federico de Pavanensibus bannito Communis Bononiæ. Et ambo capti fuerunt extra Portam Sancti Mammæ. Et tunc oppositum fuit eidem Bernabovi, quòd veniebat causâ committendi contra Statum, & fuit in Platea decapitatus: de quo valde doluit omnibus non Maltraversis; & dictus Federicus fuit eodem die decapitatus in Campo fori. Eodem tempore Comes Lucius de Lando, unà cum XX. aliis, tamquam proditores Communis Bononiæ fuerunt picti in Platea Communis Bononiæ in facie Palatii Dominorum Antianorum, & fuerunt postea in MCCCXC. cancellati. Die XXIII. Decembris natus fuit Johannes filius Peregrini de Zambeccariis ex Domina Ursina uxore dicti Peregrini.

MCCCLXXXVII. die Dominica, tertia Februarii, Comes Lucius de Lando cum magna quantitate gentium armorum vênit hostiliter super Comitatu Bononiæ, & multas & multas domos arsit in Comitatu Bononiensi, & specialiter in Villa S. Marini ad domos Fabrorum, & Minervium, & in illis circumstantiis, & in aliis etiam partibus Comitatus. Sed finaliter cum auxilio Dei, & gentium amicorum Communis Bononiæ ipse fuit conflictus cum gentibus suis in Comitatu Faventiæ, & ipse fûgit in Codognolam, quæ tunc tenebatur per Dominum Marchionem Ferrariæ, & hoc fuit die XXVII. Februarii. Et postea alia vice dictus Comes Lucius fuit conflictus, & vituperosè fugatus per gentes Communis Bononiæ juxta Ravennam, & aufugit ad S. Albertum, & inde fûgit Argentam, quæ tenebatur per Marchionem Ferrariæ, quia revera dictus Marchio secretè favebat dicto Comiti Lucio contra Bononiam. De mense Junii Guiducius Segurani de Monzono fuit captus, & ductus in forciam Communis Bononiæ, propter multa mala, quæ dicebatur commisisse. Et hoc fuit principium destructionis Status partis Maltraversæ, quæ justè regebat in Bononia, quia ipsi nolebant aliquo modo, quòd moreretur; & stetit duobus mensibus detentus, sed finaliter Artifices voluerunt, quòd fieret justitia, & dictus Guiducius die XXIX. Augusti fuit suspensus in Platea Communis Bononiæ; & cum dicto Guiducio de Monzono fuit suspensus quidam Magister Franciscus de Forlivio, qui faciebat Archimiam, & multa mala. Et Jacobus Sixii fecit fieri dictam justitiam de mandato Confaloneriorum, & Massariorum Artium Civitatis Bononiæ. Eodem mense Massarii Artium, videlicet Massarii inferiores, obtinuerunt posse facere unum Collegium pro se, & congregare se pro bono statu & regimine Civitatis Bononiæ. Et congregabant se in Palatio Potestatis in loco, ubi Antiani se congregare solebant, quando Civitas Bononiæ non regebatur ad Populum; & tunc Jacobus de Salamonibus Notarius, erat Corrector Societatis Notariorum, quando datus fuit ille ordo. Sed primus postea, qui fuit factus Corrector Societatis Notariorum, fuit Matthæus Guiducii de Griffonibus, qui intravit officium in Calendis Septembris. De mense Octobris Dominus Antonius de la Scala, Dominus Civitatis Veronæ, & Vicentiæ, perdidit Statum suum, & Dominus Johannes Galeatius Vicecomes, Dominus Civitatis Mediolani, habuit dominium dictarum Civitatum per proditionem; & dictus Dominus Antonius aufugit Venetias, & factus fuit Civis Venetiarum, & de Consilio Venetorum. Die XXVII. dicti mensis Octobris natus fuit Andalò, filius Matthæi de Griffonibus ex Domina Helena sua uxore.

MCCCLXXXVIII. Dominus Petrus Mauroceno de Venetiis fuit Potestas Bononiæ. Die XXV. Martii obiit Dominus Nicolaus Estensis Marchio, & Dominus Civitatis Ferrariæ; & Commune Bononiæ misit ad exequias indutos de nigro Dominum Franciscum de Ramponibus Legum Doctorem, & Nannem de Gozadinis Campsorem. Constructa fuerunt infrascripta Castra in Comitatu Bononiæ per Commune Bononiæ, videlicet Castrum S. Georgii de Plano, Castrum Liglani, & etiam in Comitatu Imolæ Castrum Bolognesium, & Castrum S. Agathæ Comitatus Imolensis. Inchoata fuit guerra inter Comitem Virtutum de Mediolano, & Dominum Franciscum de Carraria Dominum Civitatis Paduæ, & Trivixii. De mense Augusti obiit Dominus Antonius de la Scala, olim Dominus Veronæ, & dicitur quòd fuit tossicatus in Mercatala de Terdotio Diœcesis Faventiæ, & sepultus fuit Mutilianæ. De mense Septembri Dominus Albertus Marchio Ferrariæ Dominus &c. duxit in uxorem filiam Domini Cabrini de Robertis de Rhegio, & Dominæ Margaritæ de la Sale de Ferraria, uxoris dicti Domini Cabrini; & fuit reputatum magnum factum. Die IX. Septembris obiit Naninus de Pelacanio Mercator, Civis Bononiensis, qui solitus erat stare Venetiis, & obiit Bononiæ, & sepultus fuit ad S. Martinum de Apposa. Dominus Guelfus de Puglisiis de Prato fuit Potestas Bononiæ die XV. Septembris. Die XVI. Septembris Domina Electa uxor Astorgii de Manfredis Domini Faventiæ, & filia Domini Guidonis de Polenta, vênit Bononiam causâ visitandi S. Mariam in Monte, & descendit in domo Lippi de Ghisileriis, ubi factus fuit sibi magnus honor, expensis tamen Communis Bononiæ. Decapitatus fuit Ser Beldo de Panzachiis de Roncastaldo Notarius, propter proditionem pro quodam tractatu contra Bononiam, ut dictum fuit. Multi Comitatini Comitatus Bononiæ fuerunt facti Cives Bononienses. De mense Octobris compromissum factum fuit in Faventia in Astorgium de Manfredis per Commune Bononiæ, & Commune Florentiæ de quæstione, quæ vertebat inter ipsa Communia occasione Vallium, & Predamalæ super montem Beni; & quæstio fuit terminata de mense Novembris, & postea positi fuerunt termini ad confinia MCCCLXXXIX. de mense Junii. Et ad prædicta fuit Syndicus Communis Bononiæ Ser Jacobus de Blanchittis Notarius, Custos Cameræ Actorum Communis Bononiæ. De mense Decembri Dominus Paduanus, videlicet Dominus Franciscus de Carraria perdidit Statum suum; & Dominus Comes Virtutum habuit Paduam, & Venetiani habuerunt Trivisium; & expulsus fuit inde dictus Franciscus de Carraria, & filius suus Dominus Franciscus Junior, & iverunt in Lombardiam ad dictum Dominum Comitem Virtutum.

MCCCLXXXIX. die XXII. Januarii Turris

ris de Rodaldis cecidit in terram, quæ erat ex opposito domorum de Blanchis, & destruxit quatuor domos, videlicet duas domos filiorum Fratris Bagarotti de Blanchis, unam Zorgini de Cospis Mercatoris, & aliam Henrici de Ferro. Et dictus Zordinus emit postea terrenum, & super eo fecit pulcherrimum habitaculum. De mense Aprilis maxima mortalitas incœpit in Civitate & Comitatu Bononiæ, ex qua multi & multi in magno numero mortui sunt, & duravit spatio octo mensium. Die VII. Novembris obiit Guilielminus de Medolano in Ferraria, & sepultus fuit ad Monasterium Dominarum S. Antonii de Policino prope Civitatem Ferrariæ commorantium, in quadam Arca, quæ est ante introitum dictæ Ecclesiæ S. Antonii. Die . . . . Commune Bononiæ elevavit vexillum Regis Franciæ in Bononia; & Dominus Guelfus de Prato primò portavit ipsum, quia dictus Rex Franciæ suscepit Commune Bononiæ in sui protectione & salvaguardia contra omnes; & de hoc fuit magna lætitia in Bononia. De mense Novembri discoopertus fuit quidam tractatus, quem habebat hic in Bononia Comes Virtutum cum multis Bononiensibus, propter quod capti fuerunt & decapitati Johannes Mengoli Isolani, & Melchior de Saliceto Notarius in una vice; Ugolinus Comes de Panico alia vice. Et Dominus Bartholomæus de Saliceto fuit captus, & petiit de gratia propalare totum tractatum, & sic dixit omnia coram Dominis Antianis, & Regiminibus, & evasit. Tamen postea quia ipse sensit, quòd aliqui intentabant, quòd ipse Dominus Bartholomæus diceret factum in Consilio generali, ipse causâ non habendi tantam verecundiam, aufugit Ferrariam. Et tunc aliqui Cives condemnati & confinati fuerunt contra justitiam, videlicet Nicolaus de Garsendinis, Petrus Nicola de Albergatis, Fantucius de Fantuciis, Andreas de Tomaris, Johannes de Calcina, Nerinus de Galuciis, Matthæus de Magnanis Campsor. Et dicto tempore Matthæus de Griffonibus erat de numero Antianorum, & non potuit modo aliquo obviare; & valde doluit de ipsis Civibus in tantum, quòd ipse habuit quæstionem cum aliis Antianis, quia volebat, quòd negotium non procederet, & præsertim quia ipse Matthæus valde diligebat Dominum Bartholomæum de Saliceto, & Johannem Isolani, & Comitem Ugolinum; & etiam adhuc plus, quia Matthæus de Magnanis erat suus affinis satis strictus, quia mater dicti Matthæi de Magnanis fuit filia Domini Lianorii de Griffonibus. Sed non fuit modus, quòd ipse potuerit ipsos evadere quoquo modo, de quo non bene contentus fuit. Die XXIV. Decembris missi fuerunt Ambasciatores Communis Bononiæ ad Dominum Regem Franciæ infrascripti tres, videlicet, Dominus Ugolinus de Presbyteris Miles & Doctor, Dominus Johannes Legum Doctor, filius olim Magistri Petri Aristotelis, & Petrucius de Blanchis. Et Dominus Rex Franciæ fecit Milites prædictos Dominum Johannem, & Petrucium. Qui Dominus Johannes decessit, & numquam fuit reversus. Die ultimo Decembris Comes Ugolinus Maghinardi Grandis de Panico fuit decapitatus in Platea Communis, quia unà cum Domino Alberto de Galuciis, & Francisco de Butrigariis, & certis aliis, habebat tractatum in Bononia cum Domino Comite Virtutum de Mediolano. Et dictus Dominus Albertus de Galuciis fuit pictus pro proditore Communis Bononiæ in Platea Communis Bononiæ, & in aliis locis publicis postea per multos dies, quia Matthæus de Griffonibus numquam permisit ipsum Dominum Albertum pingi, donec ipse Matthæus fuit Antianus, quia erat valde amicus dicti Domini Alberti de Galuciis; sed cùm dictus Matthæus exivit de officio Antianatus, incontinenti novi Antiani fecerunt pingi dictum Dominum Albertum contra voluntatem dicti Matthæi, qui voluisset, quòd fuisset suspensus, & non depictus.

MCCCXC. die III. Martii fuerunt destructæ domus, quæ erant ex opposito Hospitalis de Morte, causâ incipiendi ædificare Ecclesiam S. Petronii, ad quod laborerium fuerunt suprastantes Andreas Juliani Cambii Notarius, & Georgius Bonsignoris Lanarolus. Die primo Maji Dominus Comes Virtutum Dominus Mediolani misit tres trombettas ad diffidandum Commune Bononiæ; sed insultavit ante dictam diffidantiam. Et tunc incœpta fuit magna guerra inter ipsum, & Commune Bononiæ. Et similiter his diebus Marchio Ferrariæ, & Dominus Mantuanus diffidaverunt Commune Bononiæ. Die secundo Maji Commune Bononiæ misit gentes suas viriliter ad equitandum, & insultandum territorium Domini Marchionis. Albertus de Griffonibus duxit in uxorem Beatrisiam filiam Domicellam olim Domini Nicolai de Castello Legum Doctoris, pro qua habuit de dote ultra quatuor mille libras Bononiensium in pulchris possessionibus, & mille libras Bononiensium in pecunia numerata. Die XXX. Junii positus fuit primus lapis ædificando Ecclesiam S. Petronii. Die XIX. Junii Dominus Franciscus Novellus de Carraria recuperavit Paduam, excepto Castello, quod Castellum habuit postea de mense Augusti. Die XXV. Julii Civitas Veronæ, quam tenebat Dominus Mediolani, rebellavit se, salvâ Cittadellâ, quam stipendiarii Domini retinebant. Et de dicto mense Ugolottus Biancardus stipendiarius Comitis Virtutum, cum gentibus dicti Comitis, cum banderiis Domini de Carraria, de Padua, fingendo succurrere Populum Veronensem, intraverunt Veronam, & ipsam derobaverunt, & posuerunt ad saccomanum. Die primo Novembris Pax bandita fuit inter dictum Marchionem, & suos, & Bononiam, & Ligam.

MCCCXCI. Magnificus Dominus Dominus Albertus Estensis Marchio, Dominus Ferrariæ & Mutinæ &c. cum pulchra comitiva transivit per Bononiam de mense Martii, qui veniebat de Roma, & factus fuit sibi magnus honor in Bononia. Die XV. Junii Dominus Marcus de Lignano Decretorum Doctor, Canonicus Bononiæ fuit suspensus in vesperis in Platea Bononiæ. De mense Julii Dominus Comes de Armignaco, frater Domini Regis Franciæ, fuit conflictus à gentibus Domini Mediolani inter Alexandriam & Tortonam, & dictus Comes obiit. De mense Novembris obiit Dominus Beltrandus de Alidosiis. Dominus Imolæ; & tunc Commune Bononiæ misit Imolam duos Am-

Ambasciatores eum familiaribus, indutos vestimentis de nigro ad honorandum corpus, videlicet Matthæum de Griffonibus, & Zanum Vezoli de Malviciis. De mense Decembris Commune Bononiæ misit Paduam in auxilium Domini Paduæ sui colligati centum lanceas equitum armorum, & miserunt Matthæum de Griffonibus Ambasciatorem cum dictis gentibus.

MCCCXCII. Dominus Franciscus de Gonzaga Dominus Mantuæ venit Bononiam, & ivit Romam cum magna comitiva, & factus fuit sibi magnus honor in Civitate Bononiæ. Die XI. Aprilis fuit bandita & publicata Liga facta inter Commune Bononiæ, & Commune Florentiæ, Marchionem Ferrariæ, Dominum Paduanum, Dominos de Ravenna, Dominum de Faventia, & Dominum Imolæ ad defensionem Statuum omnium prædictorum colligatorum, & contra quoscumque alios volentes eos offendere. Dominus Comes Johannes de Barbiano discessit de Barbiano, quod erat suum, & fecit unam Compagnam, & de mense Maji ivit Neapolim. De dicto mense Maji Comes Albericus de Barbiano cum suis gentibus fuit conflictus in partibus Neapoli per filium Ducis de Angiò, inimici Domini Regis Caroli. De mense Julii Dominus Mantuanus, Dominus Marchio de Ferraria, & Astorgius de Manfredis, Dominus Faventiæ, venerunt ad parlamentum; & tunc Domini Antiani Communis Bononiæ fecerunt fieri pacem inter dictum Dominum Marchionem, & dictum Dominum Faventiæ, qui erant inimici. Dicto mense Commune Bononiæ misit Ambasciatores ad Dominum Papam, causâ reconciliandi Commune Bononiæ cum Domino Papa, & fuerunt tres Ambasciatores, videlicet Dominus Ugolinus de Scappis Legum Doctor, Dominus Johannes de Canitulo Legum Doctor, Musottus de Malviciis Mercator sirici. Die XV. Octobris Dominus Petrus de Gambacurtis de Pisis Dominus Pisarum fuit mortuus in Pisis, & ipsum mori fecit Ser Jacobus de Piano propter invidiam. Et tunc dictus Ser Jacobus fuit factus Miles & Capitaneus & Conservator Pisarum, prout primò erat dictus Dominus Petrus de Gambacurtis. Die XXV. Novembris reversi fuerunt suprascripti tres Ambasciatores à Domino Papa, & venerunt cum reconciliatione Domini Papæ Bonifacii IX. & cum omnibus gratiis & indulgentiis, quas voluerunt. Die primo Decembris Episcopus novus Bononiæ intravit Episcopatum, & fuit Dominus Bartholomæus de Bononia, Abbas S. Felicis, qui fuit postulatus per Commune Bononiæ, & fuit valde bonus homo, & fecit valde bene reparari Ecclesiam Sancti Petri.

MCCCXCIII. die XXVIII. Julii obiit Illustris Dominus, Dominus Albertus Estensis Marchio, Dominus Ferrariæ & Mutinæ. Et ex eo remansit unus filius ætatis novem annorum, nomine Nicolaus, qui remansit in manibus Domini Philippi de Robertis, & Johannis de la Sale in specie. Dominus Franciscus de Sassolo intravit Castrum Montisbaranzoni, quod tenebat dictus Marchio, & dicta de causa dictus Marchio misit campum ad Rodigla..., quia Actus de Rodigla auxiliabatur dicto Domino Francisco. Et tunc Bononienses miserunt Jacobum de Griffonibus ad tractandum pacem inter Dominum Marchionem, & prædictos Dominum Franciscum, & Actum, & similiter Venetiani miserunt suos Ambasciatores, qui Ambasciatores Venetiarum, & Bononiæ tractaverunt dictam pacem, & subitò campus Domini Marchionis discessit de campo. Matthæus de Griffonibus missus fuit pro Ambasciatore Communis Bononiæ ad Dominum Papam Bonifacium Papam IX., qui stabat in Perusio. Die primo Augusti sepultus fuit Illustris Dominus Dominus Albertus Marchio Estensis Dominus Civitatis Ferrariæ & Mutinæ, relicto unico filio suo Domino Nicolao ætatis novem annorum vel circa.

MCCCXCIV. de mense Septembri elevatus fuit rumor in Platea Communis Bononiæ tempore creationis Correctoris Notariorum, & tunc septa Domini Caroli de Zambeccariis, & aliorum fuerunt deposita per septum Domini Francisci de Ramponibus, Nannis de Gozadinis, & aliorum. Et postea de mense Novembris sequuti, fuerunt cassi multi de officiis, & honoribus; & Dominus Ugolinus de Scappis Legum Doctor, & Johannes Jacobi Oritti fuerunt ambo confinati. Alii multi fuerunt privati consilio, & aliis honoribus, & officiis, inter quos fuerunt Dominus Carolus de Zambeccariis Doctor, Jacobus de Griffonibus, Nicolaus de Zambeccariis, Oppizo de Liazariis, Liazarius de Liazariis, Guzolus de Manionibus, Guido de Manzolino Notarius, Johannes de Desideriis, & multi alii. Et propter istam novitatem multi Cives fuerunt valde gavisi, & levaverunt valde caput, quia viderunt divisionem inter adversarios suos; & sciverunt taliter facere & ordinare in Populo, quòd illi, qui erant depositi, & alii nihil poterant in Bononia. Et ob id videntes Dominus Carolus cum suis, & Dominus Franciscus de Ramponibus, & Nannes de Gozadinis cum suis, quòd illa divisio erat causa destructionis suæ, & erat causa sublevationis partis Maltraversorum, reconciliaverunt se strictè ad invicem; & die XXIII. mensis Decembris circa duas horas noctis armati omnes simul venerunt in Plateam, videlicet Zambeccarii, Ghisilerii, Guidocti, Gozadini, Rampones, Oretti, de Canitulo, Liazarii, Mezovillani, Bentevogli, Malvitii, Papazones, Torelli, Hostexani, de Manzolino, Blanchi, de Pretis, de Vizano, & multæ aliæ Domus cum suis sequacibus. Et miserunt pro capsa, in qua erant officia, & ipsam fregerunt, & fecerunt novem novos Antianos de illis, qui erant armati in Platea, & miserunt ipsos ad sedendum in Palatium Antianorum, invitis aliis tunc regentibus; & continuò sonabat campana Populi. Et tunc omnes clamabant, quòd Dominus Ugolinus de Scappis, & Johannes de Orittis confinati redirent, & sic fuit. Postea in mane fecerunt bandiri, quòd omnes Artifices aperirent stationes, & quòd omnes facerent facta sua; & pars Maltraversa remansit cum pugno pleno muscarum, nec audebant exire de domo. De mense Augusti obiit ille strenuus & valens Capitaneus & Miles probus & expertissimus in armis Dominus Johannes Agud de Anglia, Capitaneus gentium Communis Florentiæ, & obiit in Florentia, & ibi fuit sepultus cum magno honore.

MCCCXCV. Notandum est istud pulchrum novum, videlicet, die XXVII. Februarii Johannes Domini Simonis de S. Georgio Campsor, Civis Bononiensis, causâ complacendi Domino Marchioni de Ferraria, tenebat unum tractatum cum Comite Johanne de Barbiano, & quodam suo attinente, vocato Conselese, quòd ipsi debebant facere interfici Azonem Marchionem, filium olim Domini Marchionis Francisci Estensis, qui Azo tunc erat inimicus dicti Domini Marchionis de Ferraria, & erat legitimus de Domo Estensi; & qui Azo erat tunc in Castro Barbiani, quod tenebat dictus Comes Johannes. Et ordinaverunt, quòd in casu, quo prædicti Comes Johannes, & Consilice darent mortuum dictum Azonem eidem Johanni de S. Georgio, dictus Marchio daret eis triginta mille ducatos auri, & duo Castra in Romandiola, videlicet Lugum, & Consilicem. Et tunc dictus Johannes de S. Georgio ivit Barbianum cum signis dictorum duorum Castrorum, & cum tot zoglis, & argenteriis, quæ valebant dictos triginta mille ducatos. Et dictus Johannes habebat secum unum suum filium pro ostatico, & unum alium dimiserat in Ferrariam, qui erat Præceptor S. Antonii de Bononia. Et sic durante dicto tractatu, dum dictus Johannes cœnasset cum prædictis Comite Johanne, & Consilice, dictus Consilice dixit dicto Johanni: *io voio andare a fornire la facenda*. Et subitò discessit, & iverunt de brigata invicem Comes Johannes, Consilice, & Johannes ad domum dicti Azonis; & intrantes domum dicti Azonis invenerunt quemdam vocatum Cervus de Mutina, qui valde similabatur dicto Azoni, & ipsum Cervum vestierant de vestibus ipsius Azonis, & ordinaverant, quòd ipse Cervus esset ad locum communem. Et tunc dictus Consilice ivit ad locum communem, & vulneravit ipsum Cervum multis percussionibus, & ipsum interfecit, & vulneravit ipsum fortiter in facie, ut non bene cognosceretur. Et cùm hoc fecisset, venit extra, & dixit Johanni de S. Georgio: *ego interfeci Azonem Marchionem: venias; ego ostendam tibi ipsum mortuum*. Tunc Johannes vidit ipsum cum vestibus dicti Azonis, & credidit ipsum esse Azonem, & dedit sibi signa dictorum Castrorum, & omnes dictas zoglas. Et ut negotium videretur esse melius verum, dictus Consilice cepit duos socios dicti Azonis, qui erant ibi, & duxit ipsos secum, vidente dicto Johanne, quo facto detinuerunt dictum Johannem, & filium suum. Sed Commune Bononiæ misit ibi Ambaxiatores, ita quòd dictus Johannes fuit relaxatus, & filius remansit ibi detentus. Et incontinenti cùm Dominus Marchio de Ferraria habuit novum, credens, quòd Azo Marchio esset verè mortuus, misit multas gentes pro corpore, ut Populus Ferrariæ videret ipsum mortuum, & datus fuit eis dictus mortuus. Et dum ipsi portarent illum mortuum, tunc dictus Azo Marchio secutus fuit ipsos per duo milliaria, & cepit, & interfecit ipsos omnes, & duxit ipsos ad Barbianum: & hæc fuit una Romagnola de Romagna, & bestialis de Bononia. Die XVII. Aprilis Azo Marchio, de quo supra dixi, dum esset super territorio Ferrariæ cum maxima quantitate rusticorum ad guerrezandum Domino Marchioni in loco dicto Strada, fuit conflictus per gentes Domini Marchionis, cum auxilio Bononiensium, & Florentinorum, & Astorgii de Manfredis Domini Faventiæ, in quo conflictu dictum fuit, quòd mortui fuerint MLXXII. rustici, & dictus Azo fuit captus ipse, & Consilice de Barbiano, & ducti Faventiam, & fuerunt presones Comitis Conradi de Alamannia. Et fuit mortuus Dominus Johannes Cavalcabò, stipendiarius Communis Bononiæ, de quo omnes Cives Bononiæ valde doluerunt. Eodem anno multi de Massa Lombardorum districtus Bononiæ interfecerunt unum fœneratorem Judæum, qui morabatur, & fœnerator & usurarius erat in ipso Castro; ob quam causam, & quia ipsum derobaverunt, quatuor de illis de Massa fuerunt suspensi per gulam, videlicet duo in dicto Castro, & alii duo in Platea Communis Bononiæ, & quinque alii banniti fuerunt, & multi alii de ipso Castro fugerunt. Et Dominus Antonius eorum Presbyter fuit causa totius dicti mali.

MCCCXCVI. de mense Octobris Gentilis & Isacus de Grassonibus de Vignola de Grassonibus Comitatus Mutinæ, acceperunt Castrum prædictum Vignolæ Jacopino de Rangonibus, qui tunc tenebat dictum Castrum, & furtaverunt ipsam Terram tempore noctis; tamen non habuerunt Rocham. Et Comes Johannes de Barbiano cum sua Compagna succursit dictos Fratres de Grassonibus, & die XII. dicti mensis se reddiderunt, salvo avere & personis, & in ipso Castro erant centum quinque personæ. Die XI. Octobris obiit Dominus Frater Andreas de Faventia, Generalis totius Ordinis Servorum, & sepultus fuit in Monasterio Servorum Stratæ Majoris, & fuit magnum damnum de morte sua, quia fecit fieri Claustra, & omnia pulchra laboreria dicti Monasterii, & alia multa bona, & erat valens homo. De mense Novembris Januenses dederunt Civitatem Januæ Domino Regi Franciæ, & reversi fuerunt expulsi de Janua, videlicet illi de Flisco, & alii expulsi.

MCCCXCVII. die primo Januarii Matthæus de Griffonibus ivit pro Potestate Comitatus Imolæ, & fecit ibi ædificari suis expensis in Burgo ipsius Castri Bolognesii unam Crucem coopertam & muratam cum uno altari, sub vocabulo Crucis Griffonorum, ubi dicitur Missa per Presbyterum, qui ibi eligitur per dictum Matthæum Patronum dictæ Crucis Griffonorum. In Vigilia Conversionis S. Pauli obiit Beatus Frater Marcolinus de Forlivio Ordinis Prædicatorum in Forlivio, & fecit multa & multa miracula. De mense Julii Comes Johannes de Barbiano accepit Castrum Cotignolæ Dominis de Polenta de Ravenna, qui tenebant illud. Die X. Novembris Commune Bononiæ habuit tenutam Castrorum Nonantulæ, & Bazani, quæ magno tempore tenta fuerant per Marchiones Ferrariæ contra voluntatem Communis Bononiæ, quia ipsa Castra semper fuerunt Bononiæ. Decessit Tuniolus de Torellis.

MCCCXCVIII. die VI. mensis Maji, inter primam & secundam horam noctis Dominus Carolus de Zambeccariis Doctor, Jacobus de Griffonibus, & multi alii eorum sequaces, senserunt, quòd Nannes de Gozadinis cum omnibus de Septa sua volebant facere

cere guarnimentum & armatam contra ipsos, causâ deponendi ipsos de statu suo. Et habentes audaciam propter Matthæum de Griffonibus, qui tunc erat Confalonerius Justitiæ, traxerunt ad Plateam cum maxima comitiva armati cum Confalonibus, cridando: *Viva el Povolo, e mora li Tradituri*. Et fecerunt sibi dari libros Extimorum, & ceterarum provisionum, factarum per Nannem de Gozadinis, & Johannem Ludovici de Monteruzoli Notarium de Septa dicti Nannis, quas provisiones fecerat dictus Johannes de duobus mensibus præteritis, quando fuerat Antianus, & ipsas provisiones, & libros omnes comburi fecerunt in Platea, & iverunt pro capsa balottarum Officiorum, & ipsam steccaverunt, & combusserunt. Et quia ad domum Nannis de Gozadinis traxerant gentes, miserunt dicendo Nanni, quòd veniret ad Plateam, sed ipse non erat ausus venire, quia pars Domini Caroli jam acceperat Plateam. Sed Matthæus de Griffonibus Confalonerius Justitiæ, rogatus à Domino Carolo de Zambeccariis, & Jacobo de Griffonibus, & omnibus aliis Magistratibus, ivit ipsa nocte ad domum dicti Nannis, & dixit sibi, quòd veniret securè ad Palatium, & quòd non timeret de aliquo, quia qui offenderet Nannem, offenderet ipsum Matthæum; & dictus Nannes timens expelli de Bononia, ivit ad Palatium cum dicto Matthæo. Qui Matthæus duxit ipsum secum, & fecit sibi bonam societatem; & verè, nisi fuisset dictus Matthæus, Nannes fuisset dicta nocte mortuus, vel confinatus. Sed Matthæus tenuit ipsum Nannem, & Dominum Gozadinum ejus nepotem in Palatio, & numquam permisit ipsos offendi, nec aliquem alium de Gozadinis, nec aliquem de Domo de Canitulo, qui valde timebant, quia erant reputati valde amici Gozadinorum. Et tunc tractatum fuit inter eos, quòd Bonifacius de Gozadinis frater Nannis dedit unam filiam suam domicellam Johanni de Griffonibus filio Jacobi de Griffonibus, & Dominus Carolus dedit unam suam filiam domicellam Brandelisio filio dicti Bonifacii pro bona pace inter eos conservanda. Tamen occasione dictæ mutationis dicti status facti fuerunt aliqui confinati de parte Gozadinorum contra voluntatem dicti Matthæi de Griffonibus Confalonerii, qui repugnavit quantum potuit. Et occasione dictæ novitatis redierunt Bononiam multi expulsi & banniti, inter quos fuerunt Dominus Bartholomæus de Saliceto Legum Doctor, Dominus Jacobus de Isolanis Legum Doctor, Dominus Jacobus de Saliceto Doctor Legum, Comes Leonardus de Panico, Filii Domini Alberti de Galuciis, Petrus Nicola de Albergatis, Nerinus de Galuciis, & multi alii.

MCCCXCVIIII. de mense Januarii Dominus Franciscus de Ramponibus Legum Doctor, Johannes de Arengheria merzarius, Johannes Cypriani merzarius, Nicolaus de Gozadinis Campsor, Georgius Bonsignorius Lanarolus, fuerunt confinati per Commune Bononiæ, & fuit reputatum maximum malum, maximè quia dictus Dominus Franciscus erat infirmus, & valens Doctor. De mense Februarii Dominus Dux Mediolani, videlicet Dominus Johannes Galeaz Vicecomes de Mediolano fuit factus Dominus Civitatis Pisarum per Dominum Gerardum de Pisis, tunc Dominum Civitatis Pisarum. In Vigilia S. Georgii tempore noctis Johannes de Bentevoglis, & Nannes de Gozadinis cum multis aliis fecerunt armatam, causâ veniendi ad Plateam, & deponendi Dominum Carolum, & brigatam suam de Statu, & partem Maltraversam, videlicet illos Maltraversos, qui reversi fuerant die sexto Maji proximè elapso; & dicta nocte acceperunt Portam Stratæ S. Donati, causâ introducendi in Bononiam Comitem Johannem de Barbiano cum gentibus suis pro suo auxilio. Et Dominus Carolus, & alii senserunt hoc, & non dormierunt, & traxerunt armati ad Plateam; & tunc illi de Bentevoglis & Gozadinis se reddiderunt salvis personis; & Populus volebat, quòd morerentur, sed Dominus Carolus, & Jacobus de Griffonibus non potuerunt aliquo modo pati, quòd ipsi morerentur, sed pro meliori ipsi fecerunt aliquos confinatos, videlicet Andream de Bentevoglis Carpo, Bentem ejus filium Parisius; Johannem de Bentevoglis Zaræ; Nannem de Gozadinis Januæ. Fuit magna mortalitas in Civitate Bononiæ, & obierunt multi & multi boni Cives, inter quos obiit Dominus Jacobus de Griffonibus die VI. Septembris, Dominus Carolus de Zambeccariis de mense Octobris die XVII. Dominus Oppizo de Liazariis, qui erat fortitudo Status Popularis tunc regentis; & quum fuerunt mortui, Status modico tempore duravit. Antonius Codeca obiit die XXIX. Novembris. Die III. Junii Gerardus Johannis de Ghisleriis pro quodam tractatu contra Statum fuit decapitatus in Platea; & tres cum eo fuerunt dicta de causa suspensi per gulam in Plateam, videlicet Petrus Rubeus Beccarius, Baldonus de Capitaneis de Tizano, Marcus de Boschitis de Mutina. De mense Augusti Dominus Comes Johannes de Barbiano tempore noctis transivit cum suis gentibus per Comitatum Bononiæ, & robaverunt Comitatum, & violaverunt multas Dominas Civium existentes in rure, & accesserunt ad Castrum Vignolæ de Grassonibus in Comitatu Mutinæ, quod Castrum tunc tenebat dictus Dominus Comes. Et dum dictus Comes cum gentibus suis essent accampati ibi ad Vignolam, tunc Commune Bononiæ misit gentes suas ibi, & invenerunt ipsos Comitem, & suos dormientes, & facientes malam custodiam, & breviter ipsi fuerunt capti, & ducti Bononiam. Qua de causa quidam vocatus Consilice, affinis ipsius Comitis, fuit decapitatus in Platea Communis Bononiæ; dictus verò Comes Johannes, & unus suus filius, & Comes Ludovicus fuerunt positi in Turri horti Palatii Antianorum, in qua Turri dictus filius dicti Comitis obiit morte naturali. Postea die XXVII. Septembris dictus Comes Johannes, Comes Lipatius, ejus nepos, Comes Bandezatus ejus affinis, & quidam eorum familiaris vocatus Bologninus, fuerunt omnes decapitati in Platea Communis Bononiæ. Utinam hoc non fuisset, quia bonum fuisset pro Bononia, licèt ipsi bene meruissent. Sed ego Matthæus de Griffonibus regratior Deo, quòd de hoc nihil sensi, quia eram absens à Bononia propter mortalitatem ibi exstantem. De mense Augusti Episcopus Mutinæ cum Populo Mutinensi, masculis, & fœminis, qui fuerunt

runt circa quindecim millia personarum, venerunt vestiti de albo in Comitatu Bononiæ, & se campaverunt subtus Pontem de Rheno, & ibi parata fuerunt duo altaria; & dictus Episcopus dixit ibi Missam, & prædicatum fuit ibi miraculum de istis vestimentis albis per totam Christianitatem factis. Et Domini Antiani fecerunt valde bene parari comedere dicto Episcopo, & multis aliis Civibus Mutinæ, & postea recesserunt. Die autem VI. Septembris totus Populus Bononiensis tam masculi, quàm fœminæ se vestiverunt de albo, & iverunt novem diebus per Civitatem, per Ecclesias, & multi fecerunt pacem ad invicem; quilibet tamen ibat cum illis de suo Quarterio. Et eodem mense quidam Presbyter de Paderno, qui steterat mortuus tribus horis, resuscitavit, & prædicavit istud miraculum, & die XVI. dicti mensis quasi totus Populus Bononiæ indutus de albo iverunt Imolam, & se campaverunt super Renatio super stratam; & facta fuerunt ibi duo altaria, & Episcopus Bononiæ dixit ibi Missam; & dictus Presbyter de Paderno prædicavit ibi dictum miraculum, quomodo Virgo Maria ipsum resuscitavit, &c. In fine Octobris dum Dominus Carolus de Zambeccariis, Jacobus de Griffonibus, & Oppizo de Liazariis propter mortalitatem essent mortui, videntes multi Artifices, quòd Status non erat plus firmus, & quòd faciliter rumperetur, fecerunt invicem unam armatam cum deliberatione & consilio Domini Ugolini de Scappis, qui primò erat de parte Domini Caroli, & aliorum suorum. Et venerunt in Plateam cridando: *Viva il Povolo*. Et subitò deposuerunt Statum amicorum Domini Caroli, & accesserunt ad domum Nicolai de Zambeccariis, & ipsam robaverunt, & invenerunt, quòd dictus Nicolaus fugerat de Bononia, & fecerunt multos confinatos, & bannitos, & fecerunt reverti illos, qui erant ad confinia, videlicet Dominum Franciscum de Ramponibus, Nannem de Gozadinis, Johannem de Bentevoglis, Johannem Ludovici de Monterizzoli, & certos alios bannitos. Et tunc captus fuit Comes Antonius de Bruscolo, qui occupabat domum dicti Domini Francisci de Ramponibus, & ductus fuit in Platea, & Populus volebat ipsum suspendere per gulam; sed ipse dicebat, quòd aliquis de Domo sua numquam fuerat suspensus, & aliquo modo noluit ire super scalam; & tunc ipsi ligaverunt funem ad unum pirolum scalæ, & interfecerunt ipsum cum lanceis, & ronconibus. Tamen nihil fecerat. Die XXVII. Decembris Johannes de Bentevoglis, Dominus Bente de Bentevoglis, & Nannes de Gozadinis traxerunt ad Plateam cum magna brigata, cridando: *Viva il Povolo, e le Arti, e mora li Maltraversi*; & in dicto furore mortui fuerunt infrascripti, videlicet Azo de Buvalellis Corrector Notariorum, Paulus Domini Bartholomæi de Saliceto, Jacobus filius Matthæi de Magnanis, Antonius de Basso Beccarius, Zenanes Strazarolus; & fuerunt confinati infrascripti Cives, videlicet Dominus Bartholomæus de Saliceto Legum Doctor, Dominus Jacobus ejus filius Legum Doctor, Dominus Bernardinus de Zambeccariis Legum Doctor, Dominus Johannes Capitaneus Castri S. Petri Legum Doctor, Nicolaus de Zambeccariis Campsor, Guido de Manzolino Notarius. Et tunc Guaspar de Bernardinis, Capitaneus Castri Solaroli, dedit dictum Castrum Astorgio de Manfredis ad petitionem Antonii de Caxellis merzarii: qua de causa dictus Antonius de Caxellis, & dictus Cuaspar fuerunt banniti pro proditoribus, & fuerunt picti in Platea, & ad bordellum, & in multis aliis locis; & domus dicti Antonii fuerunt destructæ, quæ erant in Strata Majori prope domos de Gozadinis.

MCCCC. die XXVI. Maji Pinus de Ordelaffis Dominus Forlivii, Capitaneus gentium armorum Communis Bononiæ, cum banderiis Communis Bononiæ equitavit contra Astorgium ad Faventiam, & posuit campum in quodam broilo dicti Astorgii in Burgo Portæ Imolensis, & hoc fuit occasione Solaroli. Die II. Junii Johannes Galeatius filius Astorgii Domini Faventiæ ibat travestitus cum uxore sua, cum matre sua, & cum uxore Caroli de Malatestis, Domini Arimini, & erant in una navi (creditur, quòd ibant Mantuam causâ fugiendi mortalitatem) & fuerunt capti & ducti Ferrariam ad Dominum Marchionem. Et stetit captus in Castello Ferrariæ usque ad XXI. diem Augusti. Et Venetiani fecerunt concordiam inter Marchionem, & Astorgium, & Astorgius dedit sibi magnam quantitatem ducatorum, & liberavit Azonem Marchionem, quem tenebat carceratum in Faventia, cum pacto, quòd dictus Azo deberet mitti ad confines in Candia.

MCCCCI. Johannes de Bentevoglis in vigilia S. Mariæ de mense Februarii armata manu cum suis sequacibus vênit ad Plateam, cridando: *Viva il Povolo, e le Arti*; & obtinuit, quòd omnes expulsi amici olim Domini Caroli redirent Bononiam, & hoc fecit malitiosè, causâ efficiendi se Dominum Civitatis Bononiæ, pro ut citò fuit; & sic omnes confinati redierunt. Die XIV. Martii de nocte Johannes Tunioli de Bentevoglis prædictus, unà cum omnibus de parte Domini Caroli de Zambeccariis, & cum omnibus aliis de bonis domibus Bononiæ, malivolis illorum de Gozadinis, quia videbant, quòd Nannes de Gozadinis secreto modo procurabat facere se Dominum Bononiæ, deliberaverunt velle dictum Johannem pro Domino; & sic factus fuit Dominus illa nocte Civitatis Bononiæ. Et tunc occasione prædicta facti fuerunt Milites infrascripti Cives, quos fecit Milites Dominus Petrus de Blanchis Miles, Dominus Lippus de Ghisleriis, Dominus Johannes de Ghisleriis, Dominus Johannes de Boccadeferris, Dominus Johannes de Pretis, Dominus Baptista de Balduinis, Dominus Baptista de Bentevoglis, Dominus Bartholomæus de Tomaris, Dominus Romæus de Foscarariis, Dominus Bonifacius de Gozadinis, Dominus Bartholomæus de Gumborutis, Dominus Bartholomæus Bombaronus, Dominus Bartholomæus Bolognini de Bologninis, Dominus Bartholomæus de Mazolis, Dominus Andreas de Bentevoglis, Dominus Albertus de Guidoctis, Dominus Zordinus de Blanchis, Dominus Johannes Maghinardi de Cansaldis, Dominus Ugolinus de Ghisleriis. Et postea per modicum tempus homines de Sancto Johanne in Perficeto

ficeto rebellaverunt se contra dictum Johannem de Bentevoglis, & ipse ivit ad campum ad S. Johannem, & ibi mortuus fuit Capitaneus suus cum una bombarda, & rediit Bononiam, & nihil potuit facere. Et similiter multa alia Castra se rebellaverunt contra ipsum Johannem, ita quòd finaliter oportuit, quòd perderet Statum suum, quia Dominus Mediolani fecit sibi guerram, & acceperunt sibi Bononiam cum proditione aliquorum Civium, & dictus Johannes mortuus fuit, prout videbis inferius per ordinem denotatum. Die XVII. Junii Comes Albericus de Barbiano, & Dominus Ottobonus Tertius de Parma, cum suis gentibus venerunt hostiliter contra Civitatem Bononiæ, & de Comitatu Bononiæ ceperunt multos homines & bestias, & fecerunt magna damna, & occisiones. Die X. Julii bandita fuit pax inter Johannem de Bentevoglis, & Astorgium de Faventia. Eodem mense Dominus Johannes de Bentevoglis Dominus Bononiæ misit duos Ambasciatores ad Civitatem Florentiæ, videlicet Dominum Lambertinum de Canitulo Militem & Doctorem, & Matthæum de Griffonibus.

MCCCCII. die XXIV. mensis Junii gentes Johannis de Bentevoglis Domini Bononiæ, & gens Florentinorum, quæ erat cum ipsis, fuerunt omnes conflicti prope Casaliclum per gentes Domini Mediolanensis, & captus fuit Capitaneus, videlicet Bernardonus; & duo filii Domini Paduani, & Jacobus frater dicti Domini Paduani, videlicet Domini Francisci de Carraria. Die verò XXVII. dicti mensis Populus Bononiæ videns, quòd Johannes de Bentevoglis erat conflictus, & malè in ordine propter dictum conflictum, incœperunt cridare: *Vivat Populus, & moriatur Johannes de Bentevoglis*. Et Johannes traxit ad Plateam cum aliquibus suis Civibus & provisionatis ad defendendum Statum suum, & stetit ibi tota nocte prœliando cum Populo, & fuerunt sibi mortui duo equi subtus eum; & ipse Johannes propriis manibus multos vulneravit, & aliquos interfecit. Sed Populus illa nocte cepit duas Portas Civitatis, videlicet Portam Saragociæ, & Portam S. Mammæ. Et miserunt pro omnibus Civibus, qui erant confinati extra Civitatem, qui erant in campo Ducis Mediolani, & illico venerunt in Bononiam. Et primus, qui venit, fuit Galeatius de Pepolis, qui subitò fuit factus Miles in Platea; secundus fuit Johannes Gerardini Negoxantis. Et tunc redierunt illi de Galuciis, de Pepolis, de Gozadinis, de Isolanis; & multi alii Maltraversi, qui erant extra, venerunt Bononiam cum ipsis. Et tunc Capitanei gentium Domini Ducis, videlicet Comes Albericus, Dominus Pandulfus de Malatestis, Malatesta de Malatestis, Dominus Mantuæ, Dominus Jacobus de Verme, & Facinus Canis, ingressi fuerunt Civitatem Bononiæ, dicendo: *Viva lo Povolo, e le Arti*. Et de hoc omnes Cives & totus Populus valde bene contentabatur. Et illo sero veniente ipsi fecerunt novem Antianos, videlicet Melchiorem de Mazolis, Nannem de Gozadinis, Matthæum de Griffonibus, Dominum Albertum de Blanchis, Militem, & quinque alios, de quorum nominibus non bene recordor. Sed Dominus Jacobus Isolanus, & Dominus Bente Andreæ de Bentevoglis nocte prædicta S. Petri mensis Junii accesserunt ad Portam Stratæ S. Donati cum aliquibus Maltraversis, & per vim acceperunt dictam Portam, & posuerunt intus gentes Domini Ducis Mediolani, & in die S. Petri duxerunt ipsos ad Plateam. Et tunc Comes Albericus cum aliquibus de illis, qui redierant Bononiam, ceperunt Johannem de Bentevoglis, qui se absconderat in quadam domo prope Ecclesiam S. Archangeli, & dictus Johannes reddidit se Comiti Alberico, & fuit ductus in Platea; & Populus armatus erat in Platea, & ceperunt dictum Johannem, & fuit vulneratus, & finaliter mortuus, & postea sepultus cum modico honore ad S. Jacobum Fratrum Eremitarum in arca sua. Sed illi novem Antiani fuerunt valde probi homines, quia alii Antiani solent facere officium suum in duobus mensibus, & isti fecerunt in duobus diebus. Die XII. Julii Ambasciatores Communis Bononiæ iverunt ad Dominum Ducem Mediolani, Dominum Bononiæ ad congaudendum secum de dominio, & petendas multas gratias ab eo, & obtinuerunt ab eo. Et ipse dixit, quòd volebat, quòd fieret una Cittadella in Bononia, & sic fecit ipsam fieri, quæ fuit incœpta die XXIV. Augusti, & facta fuit cum maximo damno & tribulatione Bononiensium. Et isto tempore Nannes de Gozadinis accessit Mediolanum ad dictum Dominum Ducem, ut attenderet sibi certas promissiones sibi factas; & dum ibi esset, & videbat se delusum, & duci per verba, ipse discessit, & aufugit Castrum Centi, & Plebis, quæ Castra ipse Nannes tenebat. Et tunc ipse Nannes concordavit se cum Sancta Ecclesia, & cum Florentinis, cum Marchione Ferrariæ, & cum Domino Paduæ, de accipiendo Bononiam dicto Domino Duci.

MCCCCIII. Locumtenens Domini Ducis Mediolani in Bononia videns, quòd ille Dominus non erat dilectus à Populo, & quòd omnes erant de suo dominio malè contenti, exceptis Maltraversis, incœpit timere de Statu ipsius Domini. Et cum consilio aliquorum Civium (Deus parcat eis) fecit infrascriptos quatuor confinatos, quibus die XVI. Aprilis, quæ fuit dies Lunæ Paschatis, præcepit, quòd sub pœna capitis illa die deberent exire territorium Bononiæ, & se præsentare filio Domini Ducis Mediolani, quia per Dei gratiam Dominus Dux erat jam mortuus, & modicum duraverat in dominio. Quorum confinatorum nomina sunt hæc, videlicet, Dominus Johannes de Canitulo Legum Doctor, Nicolaus de Zambeccariis Campsor, Matthæus Guiducii de Griffonibus, Johannes Ludovici de Monterinzoli Procurator. Et dicta die prædicti tres, videlicet Johannes, Nicolaus, & Matthæus, iverunt ad confinia; sed dictus Johannes Ludovici fecit se infirmum causâ evitandi andatam, sed nihil profuit sibi, quia postea per decem dies ipse secutus fuit socios. Et sic steterunt ad confinia, donec Ecclesia Romana habuit dominium Civitatis Bononiæ; & dictus Matthæus duxit secum Andalò ejus filium. Postea verò per spatium aliquot dierum præfatus Locumtenens misit infrascriptos Cives ad confinia Mediolani, videlicet Dominum Baptistam de Balduinis, & Johannem de

de Griffonibus, qui ambo, cùm fuerunt Mutinæ, noluerunt ire ulterius; & dicta de causa Albertus de Griffonibus fuit carceratus; & dicta de causa, quia fuerunt inobedientes, fuerunt banniti pro rebellibus dicti Domini Baptista, & Johannes de Griffonibus. Postea per aliquos dies infrascripti alii duo fuerunt confinati Rhegii, videlicet Dominus Zordinus de Blanchis Miles, & Dominus Hostexanus Laygoni Hostexani Procurator, & sexdecim alii Artifices fuerunt missi ad confinia Mediolani. Die penultimo Augusti Dominus Johannes de Canitulo, Dominus Zordinus de Blanchis, Nicolaus de Zambeccariis, Matthæus Griffonus, Dominus Hostexanus, Johannes Ludovici, Johannes de Griffonibus, & omnes alii confinati redierunt, quia facta fuit concordia per Dominum Cardinalem cum Domino Duce Mediolani, qui dabat sibi Bononiam, & omnes expulsi redirent. Post quæ incontinenti, videlicet die secundo Septembris, Populus Bononiensis cum illis confinatis, qui erant reversi, levaverunt rumorem in Platea, & fregerunt rostas, quæ erant circum Plateam, quas fecerant illi Mediolanenses pro sua fortitudine, & expulerunt Cermisonem Capitaneum sexcentorum famulorum de Platea, & Populus accepit Portam Stratæ S. Vitalis per vim. Sed Facinus Canis cum stipendiariis equitibus Domini Mediolani recuperavit ipsam Portam, & postea de novo Populus accepit ipsam Portam, & dicti Stipendiarii Ducis cum Facino Cane incœperunt ardere domos in Brocaglidosso, & interfecerunt aliquos homines. Tunc totus Populus se armavit, & arrostaverunt valde bene totam Civitatem Bononiæ, & iverunt circum circa Plateam scaramuzando cum Facino Cane, & supervenit magna multitudo Populi, cridando alta voce: *Viva, viva la Ghiesia, e mora li tradituri: a la morte; a la morte*. Et dictus Facinus aufugit per Portam novam, & per S. Felicem, quia in contrata S. Felicis non potuerunt fieri rostæ propter gentes armorum, quæ habitabant in ipsa contrata. Et dictus Facinus firmavit se in S. Felice, & incœperunt ardere, & robare illam contratam, & arsæ fuerunt ultra CCC. domus, & omnes robarias portaverunt in Cittadella, & iverunt cum sua mala hora in Lombardiam. Die autem sequenti, videlicet tertia Septembris, in nomine Domini nostri Jesu Christi Reverendissimus Pater & Dominus noster Dominus Baldesarra Cossa de Neapoli, Cardinalis & Legatus pro S. Ecclesia, intravit feliciter Civitatem Bononiæ; & tunc Populus erat totus armatus, & ivit obviam dicto Domino Cardinali, cridando omnes: *Viva la Ghiesia*; & totus Clerus Bononiæ, & duo ex Antianis, videlicet Dominus Albertus de Blanchis Miles, & Matthæus de Griffonibus de mandato aliorum Antianorum iverunt obviam dicto Domino Cardinali, & duxerunt sibi redanas. Et verè fuit bonum pro nobis, quia Bononia erat affamata propter guerram, & non poterat stare pejus illa vice. Et de dicto mense Nannes de Gozadinis incœpit tradimentum contra Ecclesiam, causâ accipiendi dominium pro se. Et Dominus Cardinalis sentiebat omnia, & fingebat nihil scire, & numquam voluit dicere aliquid. Sed misit unam

A Cridam ex parte sua, quòd si aliquis esset, qui sentiret se culpabilem in aliquo tractatu, deberet recedere de Bononia. Et res stetit sic cooperta usque ad medium mensem Octobris, & in medio ipso mense Gabionus filius major ipsius Nannis cum quadam sua comitiva levavit unum rumorem in Platea, & finxerat velle interficere Maltraversos, & dedit intelligere multis Scacchensibus, quòd volebat currere ad domos Maltraversorum, & isto modo volebat accipere dominium pro patre suo, & interficere omnes amicos Domini Cardinalis, & decipere omnes. Sed per Dei gratiam non vênit sibi factum. Et etiam dicebat Populo, quòd Dominus Arimini, videlicet Carolus de Malatestis, qui

B erat in Cittadella, volebat effici Dominus Bononiæ, & ideo volebat ipsum expellere de Cittadella, & de Bononia; quod sentiens Dominus Carolus misit pro Massariis Artium, & dedit eis Cittadellam de consensu Domini Cardinalis, ut videretur bene ejus innocentia. Sed Dominus Cardinalis tamquam bene sapiens & expertus perpendebat de fictione Gabioni, & suorum sequacium, qui volebant facere Dominum Nannem de Gozadinis, licèt ipse Gabionus cridaret ad cautelam: *Viva la Ghiesia*. Et dum ipse Gabionus esset in Platea modo prædicto, Dominus Cardinalis, qui erat compater suus, stabat

C ad fenestras Palatii, & videbat, & cognoscebat, quòd Gabionus compater suus prodebat ipsum. Et Gabionus fecit pulsari Campanam arenghi, & cridabat: *Viva la Ghiesia; mora la Cittadella*; & similiter dicebat Populus, nesciens proditionem prædictam. Et Gabionus fuit vocatus superiùs, ubi erat dictus Cardinalis, & de illo loco non potuit plus discedere, & fuit detentus. Die verò sequenti de mane præfatus Dominus Cardinalis, qui sciebat totam proditionem contra ipsum ordinatam, misit unam Cridam ex sua parte, quòd omnes Massarii Societatum Artium Civitatis Bononiæ deberent venire armati super Platea cum omnibus hominibus

D eorum Societatum bene armatis. Et sic factum est. Et cùm fuerunt ibi omnes, ipse Dominus Cardinalis cum multis hominibus de domibus partis Scacchensis, eo quia Maltraversi aufugerant, quia erant cum illis Domini Ducis Mediolani, præfatus Dominus Cardinalis eques cum ipsis omnibus dixit: *qui me diligit, me sequatur*. Et tunc ivit ad Portam Stratæ S. Stephani, & omnes, & totus Populus secutus fuit ipsum, quia dictum fuit, quòd Porta Stratæ S. Stephani fuerat accepta. Et tunc totus Populus cridabat: *a la Porta, a la Porta*. Et accesserunt ad dictam Portam cum Domino Legato, & ibi prœliati fuerunt dictam Portam, & ipsam

E recuperaverunt, & ceperunt Dominum Bonifacium de Gozadinis, fratrem Domini Nannis, & secum venerant circa CCC. pedites, cridando: *Via la Ghiesia, via la Ghiesia, via la Ghiesia*, & quasi omnes credebant, quòd dicerent *viva la Ghiesia*, & ipsi dicebant: *via la Ghiesia*. Et quando dicti pedites, qui erant cum Domino Bonifacio, senserunt ipsum esse captum, omnes fugerunt. Et Dominus Cardinalis cum Populo duxerunt Dominum Bonifacium captum in Platea, & multi voluerunt ipsum interficere; sed Dominus Cardinalis noluit, quòd taliter moreretur,

tur, ut melius scire posset proditionem contra ipsum ordinatam, & omnes cridabant: *mora li tradituri*. Et finaliter unus, qui admenavit contra dictum Dominum Bonifacium, interfecisset ipsum, nisi fuisset Johannes de Griffonibus, gener ipsius Domini Bonifacii, qui evasit ipsum Dominum Bonifacium. Et Gabionus erat detentus jam die Veneris de sero, ita quòd modò sunt duo capti, scilicet Patruus, & Nepos. Et tunc dictus Cardinalis præcepit, quòd omnes deponerent arma, & aperirent stationes suas, & facerent facta sua, & quòd nullus dubitaret de aliquo, quia faceret, quòd omnes remanerent contenti, & hoc fuit die Sabbati. Alia verò die Sabbati sequenti Dominus Bonifacius prædictus fuit decapitatus in Platea; & si dictus Nannes de Gozadinis voluisset restituere Domino Cardinali Castra Centi, & Plebis, quæ de facto tenebat, & occupabat, dictus Dominus Bonifacius ejus frater, & Gabionus ejus filius non fuissent decapitati. Nam dictus Gabionus de mense Februarii postea secuto fuit positus ad arengheriam pro decapitando ipsum, & lecta condemnatio, & omnia. Sed pater suus Dominus Nannes misit dicendo, quòd ipse volebat concordiam cum Domino Legato, & habuit terminum octo dierum. Et tunc dictus Gabionus fuit reductus in carcere. Sed pater suus nihil respondit in termino, propter quod Dominus Cardinalis videns, quòd pater Gabioni truffabatur de isto facto, fecit ipsum de novo poni ad arengheriam, & pulsari campanam, & fecit sibi amputari caput in Platea. Et tunc erat Potestas Bononiæ Franciscus de Actis de Sassoferrato. Et Dominus Cardinalis habuit dicta Castra, & omnia, quæ tenebant, & de mense Februarii MCCCCIV. dictus Nannes fugit Ferrariam cum aliquibus suis amicis, quorum nomina hìc scribere non extendo. Eodem anno Civitas Perusii fuit recuperata per Ecclesiam, & Dominus Johannes de Ghisileriis ivit Perusium pro Potestate.

MCCCCIV. de mense Aprilis Claviga, quæ vadit per viam de Scudellis, & habet caput in Platea majori, fuit facta. De mense Maji die septimo Dominus Baptista Ugolini de Balduinis fuit decapitatus propter tractatum, quem habebat cum Domino Marchione Ferrariæ contra Ecclesiam, de dando sibi Bononiam. Et verè ipse non potuisset sibi dare unum merlum; sed fecit tamquam juvenis. Die XI. Julii Domos Gozadinorum, de quibus supradictum est, incœptum fuit demoliri, & totaliter devastari. Die XX. Augusti Dominus Cardinalis prædictus incœpit facere salegari Plateam Communis Bononiæ, & sic successivè fecit ipsam valde bene compleri salegari, quod fuit valde pulcherrimum opus. Die XX. Septembris dictus Dominus Cardinalis suis bonis operibus acquisivit Civitatem Faventiæ, de quo magnum gaudium fuit in Bononia; & Dominus Rizardus de Cancelleriis de Pistorio ivit ibi pro Locumtenente, & Dominus Romæus de Foscarariis pro Potestate. Die V. Octobris præfatus Dominus Cardinalis recuperavit Castrum Crevalcoris Comitatus Bononiæ, quod occupabat Dominus Marchio Ferrariæ, quod fuit bonum & utile pro Civitate Bononiæ. Die VI. Octobris nova valde lachrymosa fuerunt hìc, quòd Dominus Papa Bonifacius Papa IX. erat mortuus, de quo omnes boni Cives Bononiæ debuerunt valde tristari, quia fuit optimus Pastor, & Civitas Bononiæ habuit ab eo omnia, quæ petivit. Dominus misereatur animæ suæ, & provideat nobis de simili, vel meliori, si fieri posset. Die XX. Octobris nova fuerunt Bononiæ, quòd Papa novus erat factus, videlicet Papa Innocentius VII. qui primò erat Cardinalis Ravennæ, de Civitate Sulmonæ, de Domo de Miglioratis.

MCCCCV. die XI. Junii Dominus noster Dominus Baldessarra Cossa Legatus cum sua magna comitiva Civium, Comitatinorum, & Stipendiariorum dedit magnum guastum Comiti Alberico de Barbiano in suis Castris in Romandiola, & ibi fuerunt mortui ultra centum de gentibus dicti Comitis. Eodem tempore obiit Dominus Ugolinus de Scappis Legum Doctor. Die V. Junii Veneciani habuerunt dominium Civitatis Veronæ, quæ tunc tenebatur per Dominum Paduanum. Die V. Julii venerunt hìc nova, quòd treuga facta erat inter dictum Dominum nostrum, & Comitem Albericum per totum dictum mensem; & die XIX. dicti mensis dictus Dominus Legatus reversus fuit Bononiam. Die IV. Augusti Dominus Johannes Gerardini Negoxantis fuit decapitatus in Platea Communis Bononiæ propter tractatum, in quo fuerat cum illis de Gozadinis contra dictum Dominum Legatum. De dicto mense præfatus Dominus Cardinalis per vim recuperavit de manibus Comitis Alberici de Barbiano Castra Ligliani, Flagnani, & Montiscaduni. Postea per modicum spatium recuperavit Garnarolum. Die XXVI. Augusti Dominus Legatus misit Ambaxiatores ad Dominum nostrum Papam, rogando, quòd veniret ad standum in Civitate Bononiæ, eo quia propter partialitates & bella civilia Romanorum ipse non poterat stare in Roma; & Ambaxiatores fuerunt infrascripti quatuor, videlicet Dominus Guido de Pepolis Miles, Dominus Johannes de Canitulo Legum Doctor, Dominus Bartholomæus Bolognini de Bologninis Miles, Paulus de Lectis Strazarolus. Die primo Octobris dictus Dominus Legatus reversus est Bononiam de Romandiola cum bonis novis, videlicet, quòd fecerat pacem cum Comite Alberico de Barbiano, cum pacto, quòd dabat dicto Domino Legato Castrum Bolognesium, & Castrum Duciæ, quod fuit bonum novum. Die XV. dicti mensis Octobris obiit Ser Jacobus de Blanchittis, de quo fuit maximum damnum, eo quia ipse erat custos Cameræ Actorum, ubi steterat quadraginta annos, & ultra, & erat valde bene informatus de omnibus melius, quàm aliquis alius homo de Mundo. Dominus habeat animam suam, quia fuit homo bonæ conditionis, & famæ. Die XX. Novembris Astorgius de Manfredis, olim Dominus Faventiæ, pro quodam tractatu captus fuit in Faventia, existente ibi personaliter dicto Domino Legato. Qui Dominus Legatus habita primò veridica fide de proditione, quam faciebat Astorgius, de accipiendo sibi Faventiam, fecit ipsum decapitari in Platea Faventiæ, per Aldrovandinum de Ariostis de Bononia, tunc Potestatem Faventiæ pro Domino nostro prædicto.

MCCCCVI. die VI. Februarii ninxit ita fortiter in Bononia, & in Comitatu, quòd ab anno MCCCLIX. de mense Januarii citra, quo anno fuit nix, quæ hodie vocatur *la Neve grande*, numquam fuit similis isti; nam fuit alta tribus pedibus Communis, & duravit quinque diebus. Die XV. Januarii obiit Dominus Franciscus de Carraria, olim Dominus Paduæ, & die sequenti obiit Dominus Franciscus Tertius, filius suus in carceribus Venetiarum. Die XXVII. dicti mensis Dominus noster Dominus Baldassarra Legatus, ivit Faventiam ad damna Forlivii, & ante ipsum misit Dominum Rizardum de Pepolis cum CCCC. equitibus; & die XI. Martii reversus fuit dictus Dominus Legatus, & postea die XXII. Aprilis iterum dictus Dominus Legatus ivit Forlivium ad campum. Die XXIX. mensis Maji dicti anni facta fuit concordia inter dictum Dominum Legatum, & Forlivienses, & dederunt se Domino Legato; & tunc dictus Legatus cum omnibus gentibus armorum vênit Bononiam. Die XVII. Julii Cabrinus Fondulus accepit dominium Civitatis Cremonæ Carolo de Cavalcabobus; & tunc Cabrinus fecit detineri Dominum Carolum, & Dominum Andreasium de Cavalcabobus, & fecit capi Dominum Bologninum de Papazonibus de Bononia Militem, qui erat ibi Capitaneus gentis armorum dicti Caroli, & fecit ipsum Dominum Bologninum mori post aliquos dies. Die VIII. Octobris Nannes de Gambacurtis de Pisis Dominus Pisarum, dedit Civitatem Pisarum Florentinis pro Florenis quinquaginta millibus, & quatuor Castris, videlicet duobus de illis de Casentino, quæ fuerant Comitum de Puppio, & aliis duobus de illis, quæ fuerant Domini Azonis de Ubertinis in Valle Ambræ Comitatus Aretii; & die sequenti gens Florentinorum intravit Pisas, & acceperunt tenutam ipsius. Die VIII. Novembris fuit combusta in Campo-Fori Bartholomæa famula Oretti propter quemdam tractatum contra Dominum Legatum, quia portabat literas & ambaxiatas inimicis Domini Legati. Die X. Novembris Dominus Legatus propter mortem Domini Papæ Innocentii VII. qui decesserat die sexta dicti mensis, ivit Romam, & duxit secum infrascriptos Cives, & dimisit hìc loco sui Dominum Guasparrum Cossam suum fratrem, & Dominum Nicolaum de Robertis Militem. Cives, quos ipse duxit secum, fuerunt isti, videlicet, Dominus Rizardus de Pepolis, Dominus Lambertinus de Canitulo, Leonardus de Castello, Johannes de Griffonibus, Johannes de Ludovicis, Nicolaus Balduinus, Jacobus de Blanchis, Thomas de Guidoctis, Jacobus de Ghisileriis, Nicolaus de Malpiglis, Filius Matthæi de Magnanis, Thomas de Blanchittis, Johannes de Blanchittis, Aristoteles Domini Johannis Aristotelis, Corvolinus de Corvis, Franciscus de Bacelleriis. Die XXVI. dicti mensis reversi fuerunt omnes dicti Cives, & Dominus Cardinalis vênit prius Bononiam.

MCCCCVII. Dominus Legatus misit de mense Januarii infrascriptos Ambaxiatores Romam, Dominum Rizardum de Pepolis Militem, Dominum Petrum de Ancarano Doctorem, Poëtam de Poëtis Mercatorem, Nicolaum Ghidinocii Strazarolum. Die Do-
A minica VI. Februarii fuit una pulchra Zostra in Platea, & zostraverunt infrascripti Cives, videlicet Nicolaus de Pepolis, Thomas de Blanchittis, Johannes de Blanchittis, Aristoteles Domini Johannis Aristotelis, Turra de Bencittis de Plebe, Petrus de Canitulo, & omnes alii fuerunt stipendiarii forenses; & quidam, qui vocabatur Elcius de Travi, habuit honorem, & habuit unum helmettum valoris CCC. Ducatorum, quem dedit sibi Dominus Legatus. Die VIII. Julii Dominus Legatus ivit Forlivium ad accipiendum tenutam, quia Johannes de Lardiano de Forlivio, qui erat expulsus de Forlivio, & stabat Bononiæ, habuit tractatum
B in Castro Forlivii, & accepit pro Domino Legato. Die VII. mensis Octobris dicti anni obiit Codeca Antonii Codeca.

MCCCCVIII. Dominus Legatus prædictus de mense Maji fecit infrascriptos de suo consilio, quorum nomina sunt hæc, videlicet, Dominus Guido de Pepolis Miles, Dominus Jacobus de Saliceto Doctor, Dominus Albertus de Guidoctis Miles, Dominus Ugolinus de Ghisleriis Miles, Dominus Ugolinus de Presbyteris Doctor & Miles, Dominus Nicolaus de Vivario de Aldrovandis Doctor & Miles, Dominus Bartholomæus de Bologninis Miles, Dominus Lambertinus de Canitulo Doctor & Miles, Matthæus de
C Griffonibus, Matthæus de Papazonibus, Petrus de Platexiis, Landus Ambrosini, Sassus de Sassolinis, Paulus de Lectis Strazarolus, Nicolaus de Zambeccariis. De mense Junii Dominus Legatus reversus est Bononiam, qui erat Forlivii, & duxit secum Dominum Cardinalem Ravennæ. De dicto mense Dominus Legatus misit Comitem Manfredum de Barbiano cum CCC. lanceis Florentiam in auxilium Florentinorum. Eodem anno Dominus Legatus de mense Augusti ivit Florentiam causâ tollendi Schisma, & faciendi unionem Ecclesiæ, & duxit secum infrascriptos Cives, videlicet Dominum Rizardum
D de Pepolis, Dominum Lippum de Ghisleriis, Dominum Bartholomæum de Mazolis, Dominum Lambertinum de Canitulo Milites, Franciscum de Guidoctis, Andalò de Griffonibus, Johannem de Ludovicis, Nicolaum de Malpiglis, Aristotelem, Leonardum de Castello, Ferinum de Spontonibus: Dominus Legatus cum tota sua comitiva reversus est Bononiam de mense Septembris die secundo. Die secundo Octobris Dominus Legatus intravit Castrum Bolognesium, scilicet gentes suæ, quod detinebatur per Comites de Barbiano; & dicta die Comes Ludovicus de Zagonara ad petitionem Domini Legati accepit Castrum Lughi consortibus suis, & Dominus Legatus misit ibi Dominum Rizardum de Pepolis cum genti-
E bus suis. De mense Decembris Dominus Legatus incœpit facere reduci Castrum Crespellani infra ad planum, & misit Dominum Rizardum de Pepolis pro superstante.

MCCCCIX. de mense Februarii Dominus . . . . interfecit Dominam . . . . . . ejus uxorem, quia ipsa fuit reperta modo inhonesto cum Andalò filio Matthæi de Griffonibus in camera dicti Domini Lambertini. Eodem anno Dominus Nicolaus de Roverbella Legum Doctor, Zacharias Naymi de Isachis de S. Johanne, Zennanes quondam Bar-

Bartholomæi Paltroni Notarius, Petrus quondam Simonis Pini de Camera Notariorum, Guaſparinus quondam Franciſci de Muglo fuerunt mitriati propter unam chartam falſam; & dictus Zennanes fuit combuſtus in una canevella in Campo-Fori, & dicti alii ſtabant mitriati ante canevellam, videntes comburi ſocium. Dominus Nicolaus Eſtenſis Marchio de Ferraria vênit Bononiam valde honorificè ad viſitandum Dominum Legatum. Die XXV. Februarii Dominus Legatus prædictus, Dominus Marchio prædictus, Dominus Pandulfus de Malateſtis, & Malateſta Dominus Penſauri, iverunt ſimul Cæſenam ad parlamentum cum Papa Gregorio, & cum Carolo de Malateſtis, Domino Arimini, causâ tollendi Schiſma. Die VII. Maji Dominus Legatus cum ſuis gentibus ivit ad ponendum campum ad Barbianum, & duxit ſecum infraſcriptos Cives Bononiæ, videlicet Dominum Rizardum de Pepolis, Dominum Lippum de Ghiſileriis, & Dominum Lambertinum de Canitulo. Johannes de Griffonibus fuit factus Poteſtas Civitatis Firmi. Die XVII. Maji Dominus Ottobonus Tertius, Dominus Parmæ & Rhegii, vênit Riberiam ad loquendum cum Domino Marchione Ferrariæ cum quinquaginta equitibus, cum fidantia Domini Marchionis; & erant inimici inſimul; & quando fuerunt ſimul, fecerunt ſibi ad invicem magnum feſtum. Et dum eſſent ſimul, Dominus Marchio fecit interfici dictum Dominum Ottobonum, & ſic mortuum fecit ipſum ſtraſcinari Mutinam, & fecit ipſum ſquartari, & ponere unum fruſtum ad omnem Portam Civitatis Mutinæ, & manus ad merlos Caſtri Mutinæ. Die XXVI. Junii factus fuit Papa Alexander V. qui primò vocabatur Frater Petrus de Candia, & erat Archiepiſcopus Mediolanenſis; & fuit factus Papa in Piſis, ubi fuit coronatus die VII. Julii. Die ultimo Auguſti obiit Andalò de Griffonibus filius Matthæi de Griffonibus morte naturali. Die VIII. Septembris Dominus Cardinalis Militenſis de Carazolis de Neapoli vênit Bononiam, & fuit hìc Legatus, ubi obiit.

MCCCCX. die XII. Januarii Dominus Papa Alexander V. vênit ad ſtandum cum ſua Curia in Civitate Bononiæ, & facta fuerunt magna haſtiludia per Civitatem, & maximum feſtum & gaudium, & homines Societatum induerunt ſe de novo. Die XIX. Januarii Georgius de Ordelaffis de Forlivio intravit Forumpopuli cum auxilio Comitis de Barbiano, cum ducentis equitibus, & trecentis peditibus, & acceperunt Rocham Franciſco de Boccadeferris Caſtellano ipſius Rochæ. Die XII. Februarii Ambaxiatores Romanorum venerunt Bononiam ad viſitandum Dominum Papam, inter quos fuit Comes de Tajacozo de Domo Urſinorum de Roma, & præſentaverunt Domino Papæ banderiam, & claves Romæ. Die II. Maji Dominus Papa vênit in S. Petronio cum omnibus Cardinalibus, & ibi fecit dici unam Miſſam. Poſtea cum una roſa in manu acceſſit in Palatium, & dedit ipſam roſam Domino Marchioni Ferrariæ. Die VIII. Aprilis Dominus Legatus ivit ad campum cum gentibus armorum ad Forumpopuli, & duxit ſecum infraſcriptos Cives, videlicet Dominum Rizardum de Pepolis Militem, Dominum Lippum de Ghiſileriis Militem, Dominum Lambertinum de Canitulo Militem, Leonardum de Caſtello, Johannem de Griffonibus, Franciſcum de Guidoctis, Ariſtotelem Domini Johannis Ariſtotelis, Tomacem de Guidoctis. Die prædicta Antonius de Guidoctis miſſus fuit ad Civitatem Tuderti per Dominum Papam ad ſtandum ibi pro ſuo Capitaneo & Locumtenente, ubi ſtetit ultra XVIII. menſes. Die III. Maji Dominus Papa Alexander V. obiit in Bononia, & ſepultus eſt ad S. Franciſcum valde honorificè. Die XI. dicti menſis Maji, Dominicâ Pentecoſtes, factum fuit Capitulum generale Fratrum Prædicatorum in Bononia in Eccleſia S. Dominici, tempore Domni Fratris Thomæ de Firmo eorum Generalis. Die XVII. Maji, quæ fuit dies Sabbati, horâ XI. creatus fuit Papa, Dominus noſter Dominus Baldaſſarra Coſſa, & vocatus fuit Papa Johannes XXIII. & factus fuit Papa Bononiæ in Palatio ſuæ reſidentiæ per Dominos Cardinales, qui fuerunt XVIII. Cardinales. Et ob id factum fuit magnum feſtum in Bononia; & die XXV. dicti menſis ipſe Dominus Papa dixit Miſſam in S. Petronio, & fuit coronatus Papa in S. Petronio. Die VI. Junii Rex Aluyſius, filius olim Ducis de Angiò, & Nepos Domini Regis Franciæ, vênit in Bononia cum pulchra & honorabili comitiva, & ſtetit in domo Domini Bartholomæi de Bologninis Militis. Die XII. Junii Georgius de Ordelaffis accepit Domino Papæ Caſtrum Orioli, quod eſt prope Faventiam per tria milliaria. Die XVIII. Junii Johannes Galeacius, filius olim Aſtorgii de Manfredis de Faventia, intravit & accepit Faventiam Domino noſtro Papæ. Die XXIII. dicti menſis Junii Rex Aluyſius prædictus receſſit, & ivit versùs Romam, causâ eundi ad damna Regis Lancislai. Die XI. Octobris obiit Andreas, filius Azonis de Torellis; & die XXIX. dicti menſis Octobris obiit Dominus Azzo de Torellis tempore peſtis.

MCCCCXI. die XVI. Januarii Rex Aluyſius, de quo ſupra fit mentio, reverſus fuit Bononiam. Die Dominica S. Catharinæ XXII. menſis Martii Dominus Papa Johannes XXIII. exiſtens Bononiæ in Palatio, dedit Roſam dicto Domino Regi Aluyſio. Et die XXX. dicti menſis dictus Rex Aluyſius receſſit, & ivit versùs Romam ad damna Regis Lancislai. Die ultimo Martii Dominus Papa Johannes prædictus receſſit de Bononia, & ivit Romam, causâ dandi damna Regi Lancislao, & dimiſit hìc in Bononia pro ſuo Legato Dominum Cardinalem Neapolis, & dimiſit etiam Luyſium de Prato ſuum Conſiliarium, qui erat hìc quaſi Dominus Bononiæ, quia valde complacebat omnibus Civibus. Die XXIX. Aprilis Dominus Cardinalis & Legatus miſit campum ad S. Johannem in Perſiceto, rebelle Communis Bononiæ, & omnes Societates Artium miſerunt ibi ſuas banderias cum hominibus Societatum. Eodem anno fuit peſſimus recollectus per totum Comitatum Bononiæ, & valuit frumentum libras quatuor, & ſolidos decem pro corba, & faba libras tres. Die XII. menſis Maji horâ XI. Populus Bononiæ traxit ad arma, & cridatum fuit: *Viva il Popolo, e le Arti*; & robatum fuit Palatium Domini Legati, & ipſe aufugit in domo Domini Melchioris de Ma-

Mazolis Mercatoris. Et facti fuerunt Antiani, & Confalonerii, secundùm modum aliàs usitatum; & Hostexanus de Plantavignis Notarius fuit primus Confalonerius Justitiæ. Et dicta die fuit robatus Potestas, qui vocabatur Argentus de Spoleto, & factus fuit Potestas Johannes de Aliprandis de Mediolano. Die VII. Junii Carolus de Malatestis, qui tenebat Castrum S. Johannis in Persiceto, rebelle Communis Bononiæ, intravit ipsum Castrum cum gentibus suis armorum. Die XI. dicti mensis equitavit magna pars Populi contra S. Johannem in Persiceto, & Dominus Rizardus de Pepolis erat Conductor Populi, & taglarum. Et ivit secum Johannes Viani beccarius, unus ex Dominis Antianis, causâ rumpendi dictum Carolum, qui vênit contra omnem justitiam ad damna Communis Bononiæ. Die XXVIII. dicti mensis Junii bandita fuit pax inter Commune Bononiæ, & suos Colligatos, & Dominum Carolum, & suos Colligatos, & dictus Carolus recessit die primo Julii cum gentibus suis. Die XXIX. Julii Dominus Petrus quondam Nicolai Zillini Piscatoris Juris peritus fuit decapitatus, eo quia dictum fuit, quòd unà cum certis aliis volebat venire contra Statum Populi Bononiensis. Die XI. Novembris Arca S. Dominici fuit remota de loco, ubi semper fuerat, & fuit elevata superius in alto loco per Fratres S. Dominici in Capella nova, quæ est in Claustro Monasterii; ad quæ omnia venerunt Domini Antiani, & Domini de Collegio Civitatis Bononiæ. Die XII. dicti mensis Comes Brancucius de Fuligno intravit officium Potestariæ Bononiæ. Die XXII. dicti mensis bandita fuit Liga facta inter Commune Bononiæ, & Dominum Marchionem Ferrariæ. Eodem mense Commune Bononiæ misit Ambaxiatores ad Dominum Marchionem Ferrariæ, Dominum Romæum de Foscarariis Militem & Doctorem, & Matthæum de Griffonibus. Die V. Decembris Guilielmus de Altedo, sive de Cazanemicis, fuit interfectus ab Augustino suo Fratre.

MCCCCXII. in die S. Thomæ de Conturbia sepultus fuit Dominus Bartholomæus de Saliceto, famosissimus Legum Doctor, ad Sanctum Dominicum cum magno honore, & habuit lectum in Strata publica cum baldachino superius, prout sibi conveniebat, & multi fuerunt vestiti de panno nigro. Discoopertus fuit quidam tractatus die VI. Martii, quem tractatum ducebat Dominus Franciscus de Galuciis, & Dominus Aldreghettus de Lambertinis, Ponarius de Fantuciis, & Bartholomæus de Muglo Notarius, qui unà cum Gozadinis; & multis aliis volebant mutare Statum; & capti fuerunt prædicti omnes, excepto dicto Domino Francisco, qui aufugit; & dicta de causa captus fuit Johannes Domini Simonis de S. Georgio, qui obiit in carceribus. Et postea die IX. dicti mensis dictus Dominus Aldreghettus, & Bartholomæus de Muglo fuerunt decapitati in Platea occasione dicti tractatus. Postea die XV. dicti mensis Ponarius de Fantuciis prædictus fuit decapitatus. Postea die XXIII. dicti mensis illi de Gozadinis fuerunt confinati. Die XVI. Maji Campus gentium Communis Bononiæ equitavit ad S. Johannem in Persiceto, & Dominus Rizardus de Pepolis fuit Capitaneus. Die XIV. Julii Commune Bononiæ misit duos Ambaxiatores ad Dominum Ducem Mediolani, videlicet Dominum Galeacium de Pepolis Militem, & Dominum Jacobum Johannis Isolani Doctorem. Die XXII. dicti mensis Julii Campus gentium Communis Bononiæ, qui erat ad S. Johannem, reversus est Bononiam. Die XXV. Augusti illi de Pepolis, & de Guidoctis, cum multis aliis de parte Scacchensi circa secundam horam noctis traxerunt ad arma ad Plateam, & deposuerunt Statum Artificum, & fecerunt novos Antianos, & novos Confalonerios. Et die sequenti, dum essent armati in Curtili Palatii Antianorum, interfectus fuit Jacobus de Manzolino Beccarius de Strata Majori, qui fuerat principalis ad accipiendum Statum de manibus S. Matris Ecclesiæ. Et dicti novi Antiani fuerunt hi, videlicet Dominus Thomas de S. Johanne Legum Doctor, Dominus Melchior de Mazolis, Johannes de Madalena, Petrus de Guidoctis, Ludovicus de Codagnellis, Paulus de Lectis, Matthæus de Papazonibus, Jacobus de Sanutis, Sibaldinus Draperius. Johannes de Griffonibus fuit electus Potestas Civitatis Mutinæ, ubi accessit die primo mensis Augusti. Die XIV. Septembris Nicolaus de Zambeccariis Campsor fuit missus Romæ ad confines. Die XXII. dicti mensis Septembris illi de dominibus, & bonis familiis Civitatis Bononiæ, qui acceperant Statum de manibus Artificum, & Popularium, cridaverunt: *Viva la Ghiesia*; & dederunt dominium Civitatis Bononiæ Sanctæ Matri Ecclesiæ, & posuerunt Dominum Episcopum Montisflasconis loco Domini nostri Papæ in Palatio, qui unà cum Antianis stetit in Palatio, donec Dominus Papa misit hìc unum Legatum. Die XVIII. Octobris Homines S. Johannis cridaverunt: *Viva la Ghiesia*; & Antonius de Guidoctis accessit ibi, & firmavit secum capitula unà cum Ugutione de Contrariis de Ferraria. Die XXII. Octobris bandita fuit Bononiæ pax inter Dominum nostrum Papam Johannem XXIII. ex una parte, & Dominum Regem Lancislaum ex parte altera. Die XXIV. dicti mensis Dominus Johannes de Bononia, Abbas S. Proculi, fuit factus Episcopus Bononiæ, & accepit tenutam Episcopatus Bononiensis. Die Dominica XXX. mensis Octobris horâ XVII. Reverendissimus Pater & Dominus Dominus Ludovicus de Flisco de Janua, Cardinalis Legatus Apostolicus, intravit Bononiam valde honorificè ad gubernandum Civitatem Bononiæ pro Sancta Romana Ecclesia. Die XI. Novembris Dominus Cardinalis prædictus misit infrascriptos Ambaxiatores Domino Papæ; videlicet Dominus Galeatius de Pepolis Miles; Dominus Jacobus de Saliceto Legum Doctor; Dominus Marcus de Canitulo Legum Doctor; Gabriel de Guidoctis; Benedictus de la Ratta Notarius; Laurentius de Cospis Mercator; Albertus Capitaneus Mercator; & Johannes de Malviciis Mercator. De mense Novembris Dominus Papa misit in scriptis dicto Domino Legato nomina infrascriptorum Civium, qui debeant esse de Consilio dicti Domini Cardinalis, ut in omnibus arduis negotiis ipsos requirat, & faciat cum consilio ipsorum: Dominus Guido de Pepolis

lis Miles, Dominus Rizardus de Pepolis Miles, Dominus Jacobus de Isolanis Doctor, Dominus Nicolaus de Aldrovandis Miles, Dominus Melchior de Mazolis Miles, Dominus Lambertinus de Canitulo Miles, Dominus Lippus de Ghisileriis Miles, Dominus Baptista de Bentevoglis Miles, Antonius de Guidoctis, Matthæus de Griffonibus, Paulus de Vitalianis Strazarolus, Andreas de Albertuciis Sartor, Dominus Cambius de Zambeccariis Doctor, Matthæus de Papazonibus Campsor, Baptista de Poëtis Mercator. De mense Novembris Castrum Cervariæ, Comitatus Imolæ, se rebellavit contra Ecclesiam, & dederunt se Lambertino Ugutionis de Gagio. Die XXII. Decembris duo ex suprascriptis Ambaxiatoribus, missis ad Dominum nostrum Papam, reversi fuerunt Bononiam, videlicet Dominus Galeacius de Pepolis Miles, & Gabriel de Guidoctis; & Dominus Papa retinuit alios sex penes ipsum, & credo, quòd ipsos retinuit potius pro suspectis, quàm alia de causa.

MCCCCXIII. Die XXX. Martii Orettus Augustini, Florianus del Gissò, & Gerardacius de Bazano, fuerunt decapitati propter tractatum. Die V. Martii Aluysius de Prato, qui erat totum continens Domini Papæ, vênit Bononiam. Die XII. Aprilis Bartholomæus, Franciscus, & Gabriel, fratres, filii olim Philippi de Guidoctis fuerunt capti; ac etiam infrascripti alii, videlicet Raymundus, & Guidotinus, fratres, filii olim Guidotini; & Petrus de Guidoctis aufugit; & dicti capti, fuerunt condemnati ad standum perpetuò in carceribus, & Antonius de Guidoctis captus fuit in Roma, & positus in Castro S. Angeli. Die VIII. Junii Rex Ladislaus intravit Romam cum maxima quantitate gentium, & expulit extra Dominum nostrum Papam Johannem XXIII. Qui Dominus Papa aufugit Viterbium, & postea vênit in Bononia. Die XXVI. Julii impositus fuit ignis in Turri Asinellorum. Die II. Augusti Nicolaus Guidotini de Guidoctis fuit decapitatus, eo quia dictum fuit, quòd fuit culpabilis in arsura Turris Asinellorum. Die V. Augusti capti fuerunt infrascripti Cives, videlicet Dominus Bartholomæus Baroncinus; Dominus Petrus de Ramponibus Canonicus Bononiæ; Ludovicus de Ramponibus ejus frater; Dolfolus Cartolarius; Johannes Landini Pelacani; Thomas de Magnanis; Johannes Luchini Calegarius; Bonifacius filius Thomæ de Magnanis; Basiglus de Arengheria Merzarius; Johannes Bellabusca Notarius; Bartholomæus Viani Beccarius; Georgius de Ursellis Notarius; Johannes Panicelli Piliparius; Antonius de Prendipartibus; Hostexanus de Plantavignis Notarius. Die VIII. Augusti Hostexanus de Plantavignis, Johannes Ser Landini Pelacani, & Dolfolus Cartolarius, prædicti fuerunt decapitati propter tractatum contra Ecclesiam; & die sequenti fuit dicta de causa decapitatus Johannes Bellabusca Notarius prædictus. Die XV. Augusti fuerunt confinati infrascripti Cives, & missi ad confinia Aretium in Tuscia, videlicet Dominus Petrus de Scappis, Johannes de Bataviciis Notarius, Gratia Calegarius, Benedictus Lanarolus, Bartholomæus Viani Beccarius, Johannes ejus frater, Guilielmus de la Mola Notarius, Jacobus de Corrigiis Merzarius, Johannes Luchini Calegarius, Petrus Scornetta Calzolarius, Munsus de Sabadinis Notarius, Nicolaus de Negosantibus, Gerardinus de Guidottis, Baptista, & Jacobus de Guidottis, Jacobus de Orittis, Jacobus Guidonis de Castro S. Petri, Laurentius de Cospis Mercator, Antonius de Prindipartibus, Dominus Bartholomæus Baroncinus: Dominus Petrus de Ramponibus Canonicus Bononiæ, Dominus Marcus de Canitulo Legum Doctor, Magister Johannes Magistri Guidotti Medicus. Die XIII. Septembris gens armorum Dominorum de Malatestis, & Comitis Ludovici de Zagonara insultaverunt territorium Bononiæ contra Ecclesiam, & fecerunt maximum damnum, & venerunt usque ad S. Lazarum. Die ultimo Octobris Franciscus Antonii Bassi Beccarius, fuit decapitatus in Campo-Fori propter tractatum contra S. Romanam Ecclesiam. Die III. Novembris finita fuit Capella in S. Dominico, ubi est Corpus S. Dominici, quam compleri fecit Dominus Antonius de Tauxignano Doctor Legum. Die VIII. Novembris Bonifacius filius Thomæ de Magnanis Notarius de Strata Majori, fuit decapitatus in Platea propter tractatum contra Ecclesiam. Die XI. Novembris Dominus noster Papa Johannes XXIII. reversus est, & vênit Bononiam, & hospitatus fuit extra Portam Stratæ S. Stephani in Domo Johannis de Bologninis, & duxit secum Bononiam confinatos, qui erant secum in Roma, tamquam Ambaxiatores, videlicet illos, qui fuerant missi Romam, modò est unus annus completus. Et die sequenti intravit dictus Dominus noster Papa in Bononia cum maximo honore. Die XIII. Novembris bandita fuit & publicata Liga inter Dominum nostrum Papam, & Commune Florentiæ contra Regem Landislaum, Regem Apuliæ pro quinque annis. Die XVI. Novembris Dominus noster Papa fecit Cardinalem Dominum Jacobum de Isolanis Legum Doctorem Civem Bononiensem. Die XXV. Novembris dictus Dominus Papa ivit in Lombardiam ad parlamentum cum Domino Imperatore, qui erat Rex Hungariæ. Die XIX. Decembris Dominus Gregorius Doctor Legum filius Masinigorii Mercatoris fuit decapitatus in Platea, eo quia habebat tractatum contra Statum Ecclesiæ unà cum infrascriptis Civibus, qui aufugerunt, videlicet, Dominus Gratiolus de Tauxignano Doctor, Dominus Johannes Guilielmi Guasconi Doctor, Dominus Ludovicus Johannis Marescotti, Dominus Agnelus filius bastardus Antonii de Poëtis Legum Doctor, Dominus Johannes Opizonis de Liazariis Scholaris. Eodem anno Johannes de Griffonibus fuit electus Potestas Civitatis Rhegii per Dominum Marchionem Ferrariæ.

MCCCCXIV. fuit magnum factum in Bononia; nam de mense Januarii circa finem quasi omnes Cives Bononiæ tam masculi, quàm fœminæ fuerunt fortiter affredati, & amalati de frigore. Die ultimo Januarii obiit Luysius de Prato, qui erat major homo, qui esset apud Dominum Papam, & erat sicut Dominus Bononiæ, & obiit in S. Johanne in Persiceto, ubi stabat, quia Dominus Papa donaverat sibi illud Castrum, & fuit portatum corpus suum ad Pratum. Die IV. Februarii

A

bruarii obiit Magister Johannes de Muglo Civis Bononiæ, Artium & Medicinæ Doctor famosissimus, qui reputabatur excellentior omnibus aliis in Bononia. Die XXVI. Februarii dictus Dominus Papa reversus fuit Bononiam de Lombardia à parlamento Imperatoris. Die XVIII. Martii dictus Dominus Papa existens Bononiæ in Palatio suo donavit Rosam Domino Ludovico de Alidosiis Domino Civitatis Imolæ. Die XIX. Martii incœptum fuit Castrum Domini Papæ ad Portam Galleriæ, quod fuit destructum per Populum, quando se rebellavit contra Ecclesiam. Eodem anno Dominus Nicolaus de Robertis de Rhegio Miles honoratus & magnus apud Dominum Papam die Martis V.

B

mensis Junii duxit in uxorem unam filiam Aimerici de Manfredis de Faventia, de ValdeLamone, & duxit eam, & fecit magnum, & pulchrum festum in S. Dominico Fratrum Prædicatorum, ad quod festum fuerunt omnes notabiles Viri, & Dominæ Civitatis Bononiæ. Et non recordatur, quòd diebus alicujus viventis fuerit in Bononia pulchrius festum maximè à tempore dominii Pepulorum citra. Et Corvolinus de Corvis fuit ille, qui ordinavit, & fecit omnes apparatus dicti festi. De mense Augusti obiit Neapoli Dominus Rex Ladislaus, Rex Apuliæ, filius olim Domini Regis Caroli de Durachio, qui acceperat Romam Domino nostro Papæ. Die primo Octobris Dominus Papa Johannes recessit de Bononia, & ivit cum omnibus Cardinalibus in Alamanniam ad Constantiam causâ tollendi Schisma. Die XXX. Octobris

C

publicatæ fuerunt literæ, & bona nova, quomodo Dominus noster Papa Johannes recuperavit Romam pro S. Ecclesia, & in ea ingressus fuit die XVII. hujus mensis Dominus Jacobus de Isolanis Cardinalis pro Domino nostro, & sancta Romana Ecclesia. Die Mercurii septima Novembris Aimericus Carlini de Ruffinis, qui vocabatur de la Caldararia, fuit decapitatus ad Campum Fori, propter multas captivitates, quæ sibi adscriptæ fuerunt. De mense Novembris Dominus Nicolaus Marchio Estensis de Ferraria elegit Johannem de Griffonibus de Bononia suum Locumtenentem generalem Civitatis Regii.

D

MCCCCXV. de mense Martii Dominus Papa Johannes XXIII. dum esset ad Concilium in Constantia in Alamannia, fuit captus & detentus in uno Castro Episcopi Constantiæ prope Constantiam per unum milliare, & tunc omnes Bononienses, qui erant secum, fuerunt licentiati, & venerunt Bononiam; & ipse solus remansit detentus.

MCCCCXVI. die Dominica V. mensis Januarii illi de Bentivoglis, illi de Canituso, de Malviciis, de Bargellinis, de Poëtis, de Lombardis, & multi alii Cives, armata manu traxerunt ad Plateam de mane in tertiis,

E

clamando alta voce: *Viva lo Povolo, è le Arti*; & expulerunt Dominum Episcopum Senensem de Palatio, qui erat Gubernator Bononiæ pro Ecclesia. Et incontinenti fecerunt novem Antianos, quorum Dominorum Antianorum nomina sunt hæc, Dominus Lippus de Ghisileriis Miles: Dominus Matthæus de Giffo Doctor Legum: Matthæus de Canitulo Campsor: Johannes de Madalena Confalonerius Justitiæ: Nicolaus de Gozadinis: Guido de Mazolino Notarius: Bartholomæus Fulchi Beccarius: Albertus Capitaneus de Montebellio: Baldesarra de Trentaquattro Notarius. Et incontinenti fecerunt cridari per unum Bannitorem, quòd omnes expulsi redirent; & sic redierunt omnes de Gozadinis, de Guidottis, & alii. Sed primus fuit Dominus Petrus de Ramponibus Canonicus Bononiæ. Postea facti fuerunt per Consilium Populi sexdecim Reformatores Status Populi cum plenissima potestate reformandi Statum, & omnia faciendi pro bono & conservatione Status; qui sexdecim fuerunt infrascripti, videlicet Dominus Guido de Pepolis Miles & Doctor; Dominus Lambertinus de Canitulo Miles & Doctor; Dominus Antonius de Bentevoglis Doctor Legum; Dominus Jacobus de Saliceto, Doctor Legum; Dominus Bartholomæus de Mazolis Miles; Dominus Florianus de Sancto Petro Doctor utriusque Juris; Dominus Romæus de Foscarariis Miles & Doctor; Antonius de Guidoctis; Pacius de Pacibus Mercator; Matthæus de Griffonibus; Braiguerra de Cazanimicis; Matthæus de Marescalchis Merzarius; Cambius Beccarius; Johannes de Malviciis Mercator; Laurentius de Cospis Mercator; Baptista de Poëtis Mercator. De mense Januarii Domini Antiani miserunt infrascriptos Cives in Ambaxiatores in locis infrascriptis, videlicet, Dominum Baptistam de Bentevoglis Ferrariam: Dominum Romæum de Foscarariis Ariminum: Dominum Bartholomæum de Mazolis, & Dominum Petrum de Scappis Florentiam: Dominum Gozadinum de Gozadinis, & Franciscum de Guidottis Venetias. De dicto mense facta fuit pax inter Galucios coram Dominis Antianis, qui Galucii habebant guerram ad invicem. Die IX. Februarii Matthæus de Griffonibus maritavit Zannam filiam suam Ludovico, filio Domini Melchioris de Mazolis Militis Bononiensis. Die V. Aprilis Dominus Bixettus de Neapoli, consanguineus Domini Papæ, qui custodiebat Castrum, quod erat ante Portam Galleriæ in Bononia, dedit Communi Bononiæ dictum Castrum pro Ducatis decem mille auri, quos habuit à Communi Bononiæ. Eodem die Dominus Marinus frater Domini Papæ dedit Castrum Centi Communi Bononiæ pro duobus millibus Ducatorum auri. Die XV. Julii dicti anni venit novum Bononiam, quòd Brazus de Montono habuerat victoriam contra Perusinos, & factus fuit Dominus Civitatis Perusii, & sic fuit veritas. De mense Augusti in fine obiit Dominus Melchior de Mazolis Miles, Civis Bononiæ, ex quo remanserunt tres filii, videlicet Dominus Bartholomæus Miles, Nicolaus, & Ludovicus.

MCCCCXVII. die VIII. mensis Junii Commune Bononiæ misit gentes suas ad campum ad S. Johannem in Persiceto. Et Dominus Gozadinus de Gozadinis, & Dominus Bartholomæus de Mazolis, ambo Milites Bononienses, fuerunt caput & Duces dictarum gentium. Postea die XXIV. dicti mensis Junii intraverunt dictæ gentes dictum Castrum, quod erat, & steterat rebelle Communis Bononiæ sexdecim annis; & postea die III. mensis Julii sequentis habuerunt Rocham dicti Castri, ita quòd dicti Rustici proditores contra suam voluntatem reversi fuerunt ad obedientiam Communis Bononiæ.

Die

Die Dominica IV. Julii Reverendus Pater Dominus Frater Nicolaus de Albergatis de Bononia de Ordine Fratrum de Certoxa, fuit consecratus, & factus Episcopus Bononiæ, qui est homo sanctæ vitæ, & de quo totus Populus Bononiensis fuit valde contentus. De mense Septembris Commune Bononiæ fecit destrui omnes Burgos S. Johannis prædicti, & omnes domos in ipsis existentes, & explanari foveas, & non remansit, nisi solummodo Castrum vetus. De mense Octobris obiit Johannes Galeacius de Manfredis, Dominus Faventiæ, morte naturali, filius olim Magnifici Domini Astorgii de Manfredis de Faventia, Domini Faventiæ. Die festo S. Martini, XI. mensis Novembris factus fuit Papa Dominus Oddo de Columna de Roma Cardinalis, & vocatus fuit Papa Martinus V. & factus fuit in Alamannia in Civitate Constantiæ, ubi erat Concilium Cardinalium, & erat Dominus Imperator. Et speratur, quòd per istam bonam & perfectissimam electionem dicti Domini Papæ tolletur Schisma Ecclesiæ, & quòd iste erit unicus Pastor S. Matris Ecclesiæ; & sic Deo placeat, à quo hoc, & cuncta alia bona procedunt.

MCCCCXVIII. die XXVI. Februarii Dominus Bartholomæus de Mazolis Miles, Dominus Florianus de Sancto Petro Doctor, & Matthæus de Canitulo Campsor, fuerunt Ambaxiatores Communis Bononiæ ad Dominum Papam. Et Dominus Petrus de Ramponibus similiter ivit Ambaxiator ad eumdem, pro parte Domini Episcopi, & Cleri Bononiensis. Die XVIII. Maii facti fuerunt in Consilio generali Communis Bononiæ decem Conservatores Status, & Libertatis, nomina quorum sunt hæc: Dominus Gozadinus de Gozadinis Miles & Doctor: Dominus Antonius de Bentevoglis Doctor: Antonius de Guidottis: Matthæus de Canitulo: Ludovicus de Malviciis: Basiglius de Arengheria: Matthæus de Marescalchis: Nicolaus de Folea: Paulus de Nappis: Nicolaus de Zambeccariis. Die IX. Novembris venerunt Bononiam quatuor Prælati, Ambaxiatores Domini Papæ Martini. Eodem anno Henricus de Filixinis Campsor, Civis notabilis Bononiæ, construi fecit unam Capellam in Ecclesia Fratrum Minorum sub vocabulo S. Francisci, suis propriis expensis.

MCCCCXIX. die XIX. Martii vênit Bononiam quidam Frater de Vercellis, Ordinis S. Dominici, qui vocabatur Frater Manfredus, & post ipsum venerunt circa CCCC. mulieres de Vercellis, quæ sequebantur ipsum tam de Vercellis, quàm de aliis Terris Lombardiæ; & steterunt in Bononia circa quatuor menses, & postea redierunt in Lombardiam. Die XXVI. Julii Dominus Johannes Nicola de Salernis de Verona Miles, intravit officium Potestariæ Bononiensis; & fuit valentissimus homo, & valde gratus, & acceptus omnibus Civibus Bononiæ. Die Veneris XXII. Decembris obiit ille famosissimus Dominus Dominus Baldasarra Cossa, Papa Johannes XXIII. & obiit in Florentia; & Florentini fecerunt sibi tantum honorem, quòd quasi non posset nec calamo scribi, nec verbo quolibet enarrari. Ipse enim fuerat Legatus in Bononia, & ivit ad Concilium causâ tollendi Schisma, & demum fuit captus per Imperatorem in Constantia; postea aufugit Florentiam ad Dominum Papam Martinum V. & ibi obiit, & sepultus fuit honorificè. Deus parcat animæ suæ. Eodem anno Dominus Lambertinus, & Matthæus fratres, filii olim Domini Petri de Canitulo Militis & Doctoris, pro se, & Domino Johanne de Canitulo famosissimo Legum Doctore, fecerunt fieri unam pulcherrimam Capellam in Ecclesia Fratrum Minorum Bononiæ, & ejus picturam, & omnia. Die festo Innocentium vênit Bononiam Dominus Philibertus de Francia, Magnus Magister Rhodensis, cum centum equitibus & ultra valde honorificè sociatus, & moratus fuit in domo Domini Petri de Scappis Militis de ejus Ordine, & veniebat de Civitate Florentiæ à Domino nostro Domino Martino Papa V.

MCCCCXX. die Sabbati XXVII. Januarii circa decimam horam noctis, Dominus Antonius de Bentevoglis fecit venire in domo sua secretè Dominum Cambium de Zambeccariis, & fratres suos, qui erant banniti Communis Bononiæ. Et intravit Palatium Dominorum Antianorum cum eis; & illi de Canitulo senserunt eos, & fecerunt magnam armatam gentium contra dictum Dominum Antonium; & finaliter Dominus Antonius obtinuit, & habuit victoriam, & in prœlio mortuus fuit Albertus de Bataviciis, qui erat cum illis de Canitulo, & Bartholomæus de Toaglis, & modici alii. Et postea alia die mortuus fuit Florianus de Mezovillanis ante domum Officialis Bullettarum in Strata publica. Et postea per aliquos dies Baptista, & Baldesarra, filii Matthæi de Canitulo, fuerunt missi ad confinia Veronæ; & Dominus Marcus de Canitulo etiam fuit confinatus dicta de causa. Et verè multi Cives Bononiæ dederunt operam, & se interposuerunt mediare dictum rumorem, ne Civitas Bononiæ destrueretur, inter quos fuerunt Dominus Bartholomæus de Mazolis Miles, Johannes de Griffonibus, Ludovicus Lippi Muzarelli, Antonius de Guidottis, & certi alii, & numquam potuerunt sedare dictum rumorem. Die ultimo dicti mensis Januarii facti fuerunt sexdecim Reformatores Status Civitatis Bononiæ, qui fuerunt isti, videlicet Dominus Baptista de Bentevoglis Miles, Antonius de Bargellinis, Guaspar de Malviciis, Petrus Calegarius, Johannes de Griffonibus, Johannes de Marsiliis Notarius, Leonardus de Castello, Masius de Montecalvo, Dominus Guido de Pepolis Miles, Antonius de Guidottis, Dominus Antonius de Logiano, Nicolaus de Zambeccariis, Dominus Gozadinus de Gozadinis Miles & Doctor, Dominus Nicolaus de Aldrovandis Miles & Doctor, Dominus Bartholomæus de Mazolis Miles, Baptista de Poëtis Mercator. Eodem die Baptista, & Baldesarra, fratres & filii Matthæi de Canitulo fuerunt confinati ad Civitatem Veronæ. Facti fuerunt decem Officiales Bailiæ, videlicet Dominus Guido de Pepolis, Dominus Gozadinus de Gozadinis, Dominus Baptista de Bentivoglis, Nicolaus de Zambeccariis, Johannes de Malviciis, Baptista de Poëtis, Nicolaus de Folea Notarius, Guaspar de Montecalvo Lanarolus, Scardonus de Scardonis, Antonius de Guidottis. Die V. Maji Dominus Cabrinus Fondulus

dulus de Soncino, olim Dominus Cremonæ, vênit Bononiam pro Capitaneo gentium armorum Communis Bononiæ. Die XV. dicti mensis Dominus Ludovicus de Alidosiis Dominus Imolæ, misit ad diffidandum Commune Bononiæ. Die XVII. Maji Brazus de Fortibracis de Perusio, Dominus Civitatis Perusii, misit ad diffidandum Commune Bononiæ ad petitionem Domini Papæ Martini V. & dicta die gentes Domini Papæ venerunt super territorio Bononiæ, & cum eis vênit dictus Brazus cum CCC. lanceis gentium armorum, & Dominus Ludovicus Dominus Civitatis Firmi, & Agnelus de Pergula, stipendiarius Domini Papæ. Die XXVI. Maji Castrum Ligliani se rebellavit contra Civitatem Bononiæ. Die primo Junii Castrum Ulgiani se rebellavit contra Civitatem Bononiæ. Die III. Junii Commune Bononiæ fecit suum Capitaneum gentium armorum Dominum Cabrinum Fondulum, olim Dominum Cremonæ, & Antiani dederunt sibi baculum. Die XVIII. Junii Marinus de Trivixio, qui se vocabat de Argelata, fuit decapitatus propter tradimentum, quod commisit, quando Castrum Medicinæ se rebellavit, ubi ipse erat Vicarius pro Communi Bononiæ. Die XXI. Junii Castrum Crespellani se rebellavit contra Bononiam. Die XXII. Junii Castrum Oliveti se rebellavit contra Commune Bononiæ. Die XXIII. Junii Castrum Bazani se rebellavit contra Civitatem Bononiæ. Die XXIV. Junii gentes Ecclesiæ habuerunt per vim Castrum Montisbudelli. Die XXV. Junii gentes Ecclesiæ habuerunt per vim Castrum Plumacii, & posuerunt ipsum, & omnes personas ad saccomanum. Die XXVII. Junii gentes Ecclesiæ iverunt ad S. Johannem in Persiceto, & subitò Rustici ipsum Castrum dederunt Ecclesiæ. Die XXVIII. Junii de nocte Johannes Bonucii de Papazonibus, & Ghilinus Jacobi de Papazonibus, fuerunt suspensi per gulam ad arengheriam Palatii Domini Potestatis. Et hoc fecit Dominus Paulus de Lionissa, executor Civitatis Bononiæ, nullâ lectâ sententiâ, vel condemnatione; & fuit reputatum maximum malum; & quum fuerunt mortui, inciserunt funes, cum quibus erant suspensi, & ceciderunt in Platea; & fecit fieri furcas, & ipsos suspendi ad furcas, quia dicebat, quòd volebant dare Portam Mascarellæ gentibus Ecclesiæ. Die verò III. Julii sequentis de nocte fuit suspensus Baldus de Ursellis Notarius in Platea Communis Bononiæ, & nemo potuit scire causam; & tunc fuerunt banniti multi Cives, videlicet Lambertinus, & Lodovicus fratres, & filii quondam Rodulfi de Ramponibus, & multi alii. Die XV. Julii obtentum & firmatum fuit in Consilio generali Populi Bononiensis, quòd dominium Civitatis Bononiæ liberè daretur Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Die XVI. dicti mensis bandita fuit concordia ad arengheriam, facta inter Dominum nostrum Papam, & Commune Bononiæ, & dicta concordia facta fuit in campo Ecclesiæ ad Burgum Panicalis cum Domino Cardinali, & cum Braccio Domino Perusii, qui erat in dicto campo. Die XXI. Julii Dominica horâ XII. Dominus Cardinalis prædictus, qui erat Venetianus, & vocabatur Cardinalis Senensis, vênit in Bononia ad standum hìc pro Domino nostro, Domino Martino Papa V. qui erat de Domo de Columna de Roma, qui tunc erat in Florentia. Die VI. Augusti missi fuerunt infrascripti Cives Bononiæ Ambaxiatores Communis Bononiæ ad dictum Dominum nostrum Papam in Florentia; videlicet Dominum Rizardum de Pepolis Militem; Dominum Bartholomæum de Mazolis Militem; Dominum Petrum de Scappis Militem; Dominum Florianum de Sancto Petro Doctorem; Laurentium de Cospis Mercatorem; Franciscum de Guidoctis, & Matthæum de Marescalchis Merzarium. Die dominica XXV. Augusti, horâ XV. Reverendissimus Pater & Dominus Dominus Legatus Hispanus, missus huc per Dominum nostrum Papam Martinum V. intravit Bononiam valde honorificè; & alter Cardinalis Venetianus, qui erat hìc, recessit de Bononia, qui vocabatur Cardinalis Senensis. Die prima Septembris Dominus Matthæus Domini Petri de Perusio vênit Bononiam pro Potestate Bononiæ. Die XVIII. Octobris Baptista, & Baldesarra filii Matthæi de Canitulo, qui erant confinati, reversi fuerunt Bononiam de licentia & voluntate Domini Legati, post quorum reversionem per modicos dies obiit Matthæus de Canitulo eorum pater, & dictum fuit, quòd ceciderat de uno equo, & obiit ad Policinum, & sepultus fuit valde honorificè ad S. Franciscum Fratrum Minorum Bononiæ. Die XXIV. Decembris in Vigilia Nativitatis Domini nostri capti fuerunt & carcerati pro parte Domini Legati, infrascripti, videlicet, Antonius de Bargellinis, Benincasa de Bargellinis, Johannes de Blanchittis, Petrus Venetianus Calegarius, Nicolaus Stancabò Strazarolus, Ser Santus de Lugo Exactor Communis Bononiæ, & Andreas de Albertuciis Sartor.

MCCCCXXI. de mense Februarii Antonius de Bargellinis, Benincasa de Bargellinis, Johannes de Blanchittis, Nicolaus Stancabò, & Andreas de Albertuciis Sartor, noctis tempore fuerunt extracti de carceribus, & missi fuerunt extra Bononiam; & dictum fuit, quòd missi fuerunt in Rocham S. Johannis, sive Centi; & alii duo remanserunt capti in Bononia, videlicet Petrus Venetianus, & Ser Santus de Lugo Exactor Communis Bononiæ. Die XXI. Aprilis Dominus Bartholomæus de Mazolis Miles, Dominus Romæus de Foscarariis Miles & Doctor, & Nicolaus de Zambeccariis Campsor, missi fuerunt Ambaxiatores ad Dominum nostrum Papam Martinum V. Die XIV. Junii Dominus Ugolinus de Miglioratis de Civitate Castelli intravit honorificè officium Executoris Civitatis Bononiæ pro Domino Cardinali. Die XIIII. Junii Potestas Bononiæ, & Dominus Romæus de Foscarariis iverunt ad Dominum Papam pro Ambaxiatoribus.

MCCCCXXII. Die XXV. Februarii fuit publicata & bandita Liga inter Dominum Cardinalem Legatum Bononiæ, & Dominum Ducem Mediolanensem. Die V. mensis Martii Dominus Legatus misit Ambaxiatores ad Dominum Ducem Mediolanensem infrascriptos, videlicet Camerlengum dicti Domini Legati; Dominum Rizardum de Pepolis Militem, & Ludovicum Muzarelli Mercatorem Sirici. Die XXV. Aprilis Dominus

minus Nicolaus Episcopus Bononiæ ivit pro Ambaxiatore Domini Papæ ad Regem Franciæ, & Regem Angliæ. Die primo Augusti Simoncinus de Bondelmontibus de Florentia intravit officium Potestariæ Bononiæ, & fuit probus & valens Potestas.

MCCCCXXIII. Die Lunæ XVI. Augusti vênit Bononiam Dominus Cardinalis Senensis Cives Venetianus pro Legato, missus hìc per Dominum Papam. Qui Cardinalis fuit homo justissimus, & bonus; & tunc recessit Dominus Cardinalis Hispanus, qui erat valentissimus & nobilissimus Dominus. Die primo Decembris Dominus Franciscus de Sicilia Doctor, qui erat Executor Justitiæ in Bononia pro Domino Legato, propter multas robarias, & extorsiones, ac homicidia, quæ fecerat in suo officio, fuit decapitatus in Platea, & condemnatus ad mortem per Syndicos, qui fuerunt electi ad syndicandum ipsum. Qui Syndici fuerunt isti, videlicet Dominus Galeotus de Canitulo, Matthæus de Griffonibus, & Ludovicus Lippi Muzarelli de Seta Mercator. Et quia ipsi Syndici reperierunt ipsum Executorem in tot & tantis malis, & fecisse mori aliquas personas, & extorsisse tot & tantas pecunias, non potuerunt cum suo honore ipsum evadere, ita quòd fuit decapitatus: de quo totus Populus fuit valde contentus & gavisus propter ejus demerita. Die XIV. Maji gens Domini Ducis Mediolani ingressi fuerunt Civitatem Forlivii, & habuerunt dictam Civitatem pro Domino Duce prædicto. De dicto mense Dominus Legatus misit gentes suas ad campum ad Castrum Bolognesium Comitatus Imolæ, in quo Castro erant Dominus Antonius de Bentevoglis Legum Doctor, & Hercules frater suus, qui occupabant dictum Castrum, & in Rocha erat Dominus Bartholomæus de Montefregoso de Janua; & Dominus Cardinalis per vim recuperavit dictum Castrum, salvis personis dictorum occupantium. Qui omnes aufugerunt, videlicet dictus Dominus Antonius, & Hercules, & Dominus Nixius de Garisendis Abbas, Johannes de Balduinis, Thomas Domini Lippi de Ghisileriis, & quidam Cives; & hoc fuit de mense Junii dicti Anni. Die primo Augusti Dominus Bindus de Tolomæis de Senis vênit pro Potestate Bononiæ, & intravit in officio valde honorificè, & fuit bonus & valens homo, & gratus toti Populo Bononiæ. Die VIII. dicti mensis reversus fuit Dominus Nicolaus Episcopus Bononiæ de Ambassaria, ubi steterat XVI. mensibus vel circa.

MCCCCXXIV. Die Martis primo Februarii Agnelus de Pergula, Capitaneus gentium Domini Ducis Mediolani, cum gentibus dicti Domini Ducis ingressus fuit Civitatem Imolæ, & ceperunt ipsam Civitatem, & ceperunt Dominum Ludovicum de Alidosiis Dominum Imolæ, & postea duxerunt ipsum & uxorem Mediolanum ad Ducem Mediolani, qui ipsum fecit subitò carcerari. Die IX. mensis Junii vênit Bononiam quidam Archiepiscopus, qui erat Vicecamerarius Domini nostri Papæ Martini, & vocabatur Dominus Ludovicus, & missus fuit hìc pro Gubernatore Civitatis Bononiæ. Et post aliquos dies cassus fuit Dominus Cardinalis Senensis, qui erat de Venetiis, & erat hìc Le-

A gatus, & ivit [illegible]ndum in S. Dominico, & postea ivit Romam. De dicto mense Junii venerunt nova hìc, quòd gens dicti Domini nostri Papæ conflixerat gentes Bracii de Montone Domini Civitatis Perusii, in quo conflictu dictus Bracius fuit mortuus, pro quo dictus Dominus Gubernator fecit fieri magnos salò & ignes in gaudium mortis dicti Bracii, qui erat unà cum Florentinis contra Dominum nostrum Papam, & Sanctam Romanam Ecclesiam. De mense Julii gentes Domini Ducis Mediolani conflixerunt gentes Florentinorum, quorum Dux erat Carolus de Malatestis Dominus Arimini, in quo conflictu dictus Carolus fuit captus &

B conflictus; & postea de mense Julii in die S. Dominici fuit ductus tamquam captivus ad Dominum Ducem Mediolani, unà cum certis aliis nobilibus Caporalibus de brigata dicti Caroli de Malatestis. De mense Aprilis obiit Dominus Bernardinus de Zambeccariis utriusque Juris Doctor famosissimus Civis Bononiæ. Die XXIX. Julii Perusini dederunt se Domino nostro Papæ Martino, cum pacto, quòd omnes Perusini expulsi & confinati deberent remanere, sicut sunt, & non possint reverti Perusium; & Dominus Papa dedit filio olim Bracii Domini Perusii Montonum, & certa alia fortilicia per concordiam. De mense Augusti obiit, & decessit

C Dominus Baptista de Bentevoglis Miles, filius olim Andalò de Bentevoglis, & obiit de peste.

MCCCCXXV. circa finem mensis Januarii, gentes Domini Ducis Mediolani conflixerunt gentes Florentinorum in Romandiola; & Rustici de Maradi fuerunt magna causa dicti conflictus; in quo conflictu filius olim Bracii de Perusio, olim Domini Perusii, fuit mortuus, & fuit captus Comes de Tajacozo, & Nicolaus de Tolentino, & Capitaneus gentium Florentinorum, & fuerunt omnes totaliter destructi, & capti in magna quantitate. Eodem mense Carolus de Malatestis Dominus Arimini, qui erat captus, &

D ductus in manibus Domini Ducis Mediolani, habuit gratiam à dicto Duce, & fuit liberè relaxatus, & restitutus in pristinum statum, & remissus liberè ad Civitatem Arimini. Et fuit reputata ab omnibus maxima liberalitas, & gratia, quam dictus Dominus Dux fecit dicto Carolo, quia nullus poterat credere, quòd ipse Carolus perveniret ad talem finem. Die XXI. Maji Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis, Marchio Ferrariæ, reperit Ugonem ejus naturalem filium, ætatis viginti annorum, vel circa, cum Domina Parisina ejus uxore, in modo valde inhonesto in lecto cum dicta ejus uxore, ejus noverca. Qua de causa ipse fecit

E ipsos ambos decapitari, & similiter fecit decapitari quemdam Aldrovandinum de Rangonibus de Mutina, socium dicti Ugonis, & fecit etiam decapitari duas Domicellas dictæ Dominæ Parisinæ. Et de ipsa morte dicti Ugonis totus Populus Ferrariæ doluit fortiter, quia ipse erat valde probus, & valde pulcherrimus, & bonus juvenis, & valde dilectus in Populo Ferrariensi. Et dicta Domina Parisina erat de Malatestis, filia olim Malatestæ, Domini Civitatis Cæsenæ. De mense Junii Flumen Padi fecit maximam ruptam Ferrariæ, & inundavit maximum terre-

terrenum Comitatus Ferrariæ, propter quod dicta rupta fecit maximum damnum in Comitatu Bononiæ, videlicet Altedi, & Capitis Sapinæ, & terrenos Podii Rognatici, & ad Domum Salvaticam. Et dictum fuit, quòd Dominus Marchio Ferrariæ fecit fieri dictam ruptam: tamen non credo, quòd ipse fuerit causa, quia ipse & Populus Ferrariæ habuit magna damna dicta de causa. De mense Augusti Hercules de Bentevoglis, frater Domini Antonii de Bentevoglis decessit, & mortuus fuit in quodam prœlio, quod fuit in Comitatu Faventiæ inter gentes Domini Ducis Mediolani, & gentes Florentinorum, ad quorum stipendium erant dicti Dominus Antonius, & Hercules frater suus. De mense Augusti gens Domini Ducis Mediolani, cujus Capitaneus erat Agnelus de Pergula, habuerunt per vim Castrum Solaroli, & ipsum pro maxima parte combusserunt. Die XV. mensis Septembris impositus fuit ignis casualiter in Palatio Domini nostri Domini Legati in campana diei, propter quem ignem combustum fuit Curritorum lignaminis, quod erat prope portam dicti Palatii in facie Plateæ; & fuit maximus ignis, & fuisset valde pejus, nisi fuisset ita prope diem. Et unus Presbyter, qui propter sua delicta erat in gabia Palatii Domini Potestatis, fuit ille, qui tantum clamavit, quòd fecit, quòd illi de Palatio senserunt ipsum ignem, & omnes traxerunt ad extinguendum ipsum ignem. Die . . . . . . Septembris obiit Antonius Philippi de Guidoctis Civis Bononiæ, & sepultus fuit ad S. Dominicum Fratrum Prædicatorum, superstite Philippo ejus filio & herede. De mense Octobris Lambertinus Ugucionis de Gagio de Romandiola fuit captus per gentes Ducis Mediolani, & fuit suspensus ad furcas in Imola, & postea fuit squarzatus. Deus parcat animæ suæ. Die XVIII. mensis Novembris, Martis, Johannes de Isolanis duxit in uxorem Johannam Domicellam, filiam Domini Bartholomæi de Mazolis Militis Bononiensis.

MCCCCXXVI. die XXVII. Januarii ninxit satis fortiter. Et nota, quòd steterat septem mensibus, quòd numquam pluit, nec ninxit in Bononia, vel ejus Comitatu; nec umquam fuit visa per hominem viventem in Bononia similis æstas pro Civibus & Comitatinis. Laudetur Deus, & provideat de bono in melius in his & aliis pro bono ipsius Civitatis: Amen. Eodem anno facta fuit Liga ad invicem per Commune Venetiarum, Dominum Marchionem de Ferraria, Dominum Mantuæ, & Florentinos, & eorum sequaces, contra Dominum Ducem Mediolanensem guerrizantem cum Florentinis. De mense Martii gentes Ligæ Florentinorum intraverunt Civitatem Brixiæ tractatu Guelforum de Brixia, & aliorum Guelforum expulsorum de Brixia, & quia ipsa Civitas est valde fortis, ambæ partes guerrizant ad invicem intus & extra. Die XIII. mensis Maji Dominus noster Dominus Legatus publicavit literas in Bononia pro parte Domini nostri Papæ Martini, quomodo Dominus Dux Mediolani donavit Domino Papæ Civitatem Imolæ, & Forlivii, & omnes alias Terras, quas dictus Dominus Dux acceperat de manibus Florentinorum in Comitatu Imolæ: de quo factum fuit maximum gaudium in Bononia per omnes Cives, & facti fuerunt magni falò, & steterunt tribus diebus clausæ omnes stationes Artificum propter gaudium, & lætitiam, quæ fuit in Bononia, propter recuperationem omnium dictarum Terrarum. Et die sequenti, videlicet die Martis XIII. Maji dictus Dominus Legatus ivit valde sociatus à stipendiariis suis, & à multis Civibus Bononiensibus, ad accipiendum tenutam dictarum Civitatum, & Castrorum. Cives Bononiæ, qui iverunt cum dicto Domino Legato, fuerunt infrascripti, videlicet, Dominus Guido de Pepolis, Dominus Bartholomæus de Mazolis, Dominus Marcus de Canitulo, Dominus Christophorus Capitaneus de Castro S. Petri, Dominus Florianus de Sancto Petro, Dominus Petrus de Ramponibus, Dominus Nicolaus de Ariostis, Castellanus de Gozadinis, Thomas de Ghisleriis, Johannes de Griffonibus, Florianus de Griffonibus, Robertus de Formaglinis, Petrus de Bologninis, Petrus de Guidoctis, Eganus de Lambertinis, Dominus Romæus de Foscariis, Baptista de Canitulo, Guido Antonius de Lambertinis, Thadæus Domini Guidonis de Pepolis, Nicolaus de Loglano. Die XXV. mensis Maji præfatus Dominus Legatus cum tota sua Comitiva Civium reversus fuit Bononiam cum magna victoria propter recuperationem dictarum Civitatum, & Castrorum; & omnes Societates iverunt sibi obviam cum baldachino, & cum maximo gaudio & festo; & fecit relaxari omnes carceratos de carceribus. Die verò XXVII. dicti mensis Maji venerunt hìc nova, quòd Dominus noster Papa Martinus fecerat decem Cardinales, videlicet dictum Dominum nostrum Dominum Ludovicum Legatum, & novem alios, quorum nomina sunt hæc, videlicet præfatus Dominus noster Legatus Dominus Ludovicus, Dominus Nicolaus de Albergatis de Bononia noster Episcopus dignissimus Bononiensis, Dominus Antonius Episcopus & Civis Senensis . . . *(ceteri desiderantur.)* De dicto mense Maji factum fuit Capitulum generale Fratrum Prædicatorum in S. Dominico in Bononia, ubi venerunt ultra sexcentum Fratres, & fecerunt suum Generalem totius Ordinis.

Diverso charactere hæc adduntur.

Die tertio mensis Julii obiit famosissimus vir, ac eloquentiæ peritus, Matthæus de Griffonibus, in laribus Palladis enutritus, & sepultus fuit ad S. Franciscum, superextantibus filiis, videlicet: Florianus, Luixius, Johannes, Franciscus, & Ludovicus.

MCCCCXXVIII. die Lunæ, secundo mensis Augusti, illi de Zambeccariis, de Canitulo, de Griffonibus, & de Ghisleriis, & multi alii de Domibus bonis Civitatis Bononiæ, videntes, quòd per regimina Ecclesiæ in Civitate prædicta non bene tractabatur totus Populus, adhuc & videntes, quòd Civitas Bononiæ erat destructa propter robarias & extorsiones, quas cotidie faciebant, moti compassione sui, & totius Civitatis, traxerunt ad Plateam armata manu cum Populo, & finaliter expulerunt Ecclesiam prædictam de Bononia: de qua expulsione totus Populus collaudabat Deum, & Cives, qui hoc fecerant, cridando: *Viva il Povolo, e le Arti.* Et fecerunt novem Antianos, videlicet Dominus Marcus de Canitulo Vexillifer

Ju-


Justitiæ: Dominus Bartholomæus de Campegio : Thomas de Ghisleriis : Johannes de Malviciis : Petrus de Mezzovillanis : Nicolaus de Zambeccariis: Matthæus Merzarius: Castellanus de Gozadinis : & Nicolaus de Mazolis Mercator. Die . . . . . dum Bononienses expulissent Ecclesiam de Civitate Bononiæ , & Nicolaus de Tolentino per transitum cum Comitiva sua bene in numero MD. equorum esset super dicto Comitatu versùs Medicinam , & videns dictam Civitatem Bononiæ in exterminio, incœpit facere multas robarias Comitatinis, nec videbatur ipsum velle recedere à dicto Comitatu Bononiæ. Tunc Antiani Communis, & Populus Bononiæ miserunt pro Nobili ac strenuo Viro Luisio de S. Severino Capitaneo generali gentium armorum Populi Bononiensis, & dederunt commissionem dicto Capitaneo , ut iret contra dictum Nicolaum de Tolentino. Qui Capitaneus illico cum gentibus armorum expugnavit viriliter dictum Nicolaum, & bene meritò , quia si accessisset, quo accedere debebat , sibi non evenisset hoc. Et dictum fuit, quòd sinè fallo dictus Nicolaus cum Comitiva sua amiserit inter arma, equos, vestes , & argenta , valorem sexaginta millium Florenorum auri.

A Et capti fuerunt ultra quadringenti armigeri de gentibus dicti Nicolai, & adhuc unus ex filiis dicti Nicolai , qui illico ducti fuerunt Bononiam , & carcerati in carceribus Communis Bononiæ. Et filius dicti Nicolai fuit positus in carcere vocata *il Forno*, posita in Palatio Dominorum Antianorum.

(*Alio charactere hæc scripta sequuntur*.)

MCCCCLXXII. isto anno magnus rumor fuit Bononiæ, propter mortem Antonii Domini Jacobi de Lino , qui mortuus fuit à Bartholomæo filio spurio Domini Christophori de Cazanimicis , qui inculpaverat ipsum Antonium interfecisse Cæsarem ejus filium.
B Ex qua morte Antonii Dominus Johannes de Bentivoglis comburi fecit domum dicti Domini Christophori ; & omnia sua bona, quæ ibi in domo inventa fuerunt exstare , combusta fuerunt ; & dicta de causa mortuus fuit Braiguerra Nepos dicti Domini Christophori. Post hæc Dominus Christophorus exclusus fuit de numero Dominorum Sexdecim, & confinatus cum suis affinibus, scilicet Dominus Alexander Legum Doctor ejus filius, & Franciscus ejus Nepos, & in ejus loco in dicto numero positus fuit Dominus Bernardus de Sosano , amicissimus dicti Domini Johannis de Bentivoglis.

F I N I S.



HISTORIA
MISCELLA
BONONIENSIS
Ab Anno MCIV. usque ad Annum MCCCXCIV.

AUCTORE PRÆSERTIM

FRATRE BARTHOLOMÆO
DELLA PUGLIOLA
ORDINIS MINORUM;

ACCEDIT

EJUSDEM CONTINUATIO
Usque ad Annum MCCCCLXXI.

AB ALIIS AUCTORIBUS SYNCHRONIS FACTA.

Omnia nunc primùm in lucem prodeunt

E CODICIBUS MANUSCRIPTIS

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN HISTORIAM MISCELLAM BONONIENSEM

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUum tot egregiis viris, & non mediocri potentia, praecipue vero Literarum studiis floruerit a multis Seculis, & adhuc floreat in Italia Bononiensis Civitas, ampliora fortassis exspectanda mihi non erant aliunde subsidia ad hujus meae Collectionis augmentum, quam ex Urbe illa, quam ingens Literatorum hominum vis, simulque factiones ac bella ferme perpetua celebrem effecere, ita ut sola non levem Italicae Historiae materiem ministrare potuerit. Verum quid tempus, quid intestinae discordiae non faciunt! Historicorum veterum Bononiensium Commentaria pleraque exciderunt, aut saltem frustra ab amicis ego expetii, nihil antiquius habens, quam celebratissimae ac literatae Urbis decus pro virili amplificare. Unum tantummodo *Matthaei Griffonis Memoriale Historicum* inde acceptum supra dedi, quod tamen pro sua brevitate dignitati amplissimae Urbis non satis respondet. Itaque sua laus Estensium Principum Bibliothecae & heic debetur, cujus beneficio uberius illustrare nunc mihi licet Bononiensium Historiam. Sunt autem in eadem Bibliotheca tria & quidem inter se diversa, Chronica manu exarata, singula Italico sermone confecta, quibus Bononiensium res fuse describuntur. Primum ex iis Auctorem habet *Jacobum filium Antonii de Podio Civem Bononiensem*, qui *Annibali filio Johannis II. de Bentivolis*, tunc *Vexillifero Justitiae*, suum hunc laborem dicatum voluit. Ab origine Urbis ad Annum usque 1200. paucis narrationem suam Auctor expedit, exinde vero multis. Desinit ille in primos dies Anni 1506. & descriptione rerum suae Patriae, vicinarumque Civitatum, Lectori se se non parum commendat. Secundi Chronici non unus est Auctor, ut infra ostendam. Exordium dicendi ibi factum est ab Anno Christi MCI. & usque ad Annum MCCCCLXXI. narratio perducitur. Tertium Chronicon & ipsum non uni Auctori tribuendum. A Nativitate Christi principium illius est, finis in Anno MCCCCLXXI. ibique nil fere aliud in antiquis descriptum legi, nisi Romanorum Pontificum Vitas.

Tres ergo Historias in eodem argumento versatas contemplatus, dubius eram prae copia quid agerem. Vicit haec tamdem sententia. Scilicet in mentem venit postremas hasce duas simul jungere, atque ex eis unum conflare corpus Bononiensis Historiae, iis tantum dimissis, quae Annum MCIV. praecedunt. Neque enim ibi quidquam solidi occurrit, unde res gestae illius Urbis lucem vel minimam accipiant. Alienae patientiae & chartae prodigus fuissem, si pro Felsinea Historia Lectores detinuissem in legendis Pontificum ac Imperatorum veterum actis millies repetitis, & infelici etiam studio congestis. Ubi in utroque Codice res eadem tradebatur, illum dumtaxat sequutus sum, qui accuratius & copiosius argumentum illud pertractabat. Nil autem e recentiore Historia *Jacobi de Podio* desumsi, ratus, me satis superque facturum ad institutum meum, si duas tantum antiquiores Historias, easque etiam in narratione ditiores, Lectori exhiberem. Ceterum placuit Opus hoc appellare *Historiam Miscellam Bononiensem*, & duplici quidem de caussa. Altera est, quod ex geminis Historiis simul compactis unam efformavi; altera, quod plures Scriptores Bononienses deprehendi suum contulisse studium diversis temporibus ad consignanda literis haec ipsa monumenta. Mecum proficisci Lectorem ne pigeat. Ad Annum 1347. teterrima fames describitur, quae universam fere Europam, ac potissimum Bononiam afflixit. Ibi haec verba se offerunt:

E questo

E questo vidi io Scrittore in San Jacopo de' Frati Eremitani, la qual cosa era una grandissima compassione a vedere. Habes heic Historicum Anno 1347. viventem, & quae sub oculis erant, scripto tradentem. Veri videtur simile, Scriptorem hunc militasse in Religioso Ordine Eremitarum Sancti Augustini. Alterum nunc accipe. Ad Annum MCCCXCIV. ista se offerunt in altero ex Estensibus Codicibus: *Infrascritte sono le Antichità di Bologna, che ho ridotte quì io Frate Bartolomeo della Pugliola dell' Ordine de' Frati Minori, tratte dalle Scritture di Ser Jacopo de' Bianchini, che fu veridico e notevole Cittadino, e anche da altri onorevoli uomini a compiacenza di Leonardo da Villola mio benevolo e onorevole Cittadino*. Pollicitus eram alterum Scriptorem, sed en geminum exhibeo, nempe *Fratrem Bartholomaeum de Puliola Ordinis Minorum*, qui Anno 1394. floruisse, eaque tunc monumenta coacervasse videtur; tum *Jacobum de Blanchinis*, qui longe antea Historiam Patriae fuerat persequutus.

Rursus ad Annum MCCCCII. novus Scriptor (a Fratre Bartholomaeo, qui non ultra Annum 1394. processit, certe diversus) se nobis prodit. Postquam narravit Arcem Bononiae designatam a Duce Mediolanensi, tunc Urbis Domino, haec subdit: *La qual Cittadella io, che scrivo quì, non volli mai vedere. E mi partii da Bologna, per non tornare mai sotto quella Signoria, e servai mia intenzione*. Deinde ad Annum MCCCCXXXI. aut idem Scriptor, aut alter subsequutus, testis est, se proelio interfuisse tunc inter Venetos & Mediolanenses commisso apud Cremonam. Sunt ejus verba: *Et io Scrittore fui alla detta battaglia; e furono maggiori i fatti, che non sono scritti*. Ibi ingenti Venetorum caede atque jactura pugnatum diserte ait, ut mirari subeat Corium, qui proelium illud neque certa ratione temporis, neque suorum prosperis successibus sat cognitis, incuriose descripsit. Haec autem omnia cohaerent cum iis, quae praeter alios Scriptores Petrus Candidus Novariensis, Scriptor & ipse synchronus, in Libello MSto *de Laudibus Mediolani* congessit; ubi cruentissimum hoc proelium sua aetate confectum, & Mediolanensium victoriam describit. Ad haec intuere acta Anno MCCCCXLVI. Inter alia describitur monstruosus puer Bononiae natus, atque haec subduntur: *Et io Scrittore vidi, e toccai il detto putto con mia mano in casa sua*. Ad Annum quoque MCCCCLV. refertur ingeniosa translatio Turris Ecclesiae Fratrum Hospitalis Hierosolymitani de uno loco in alterum, quod se oculis suis conspexisse Scriptor testatur his verbis: *Io Scrittore vidi menare più volte la detta Torre, e fui nella cava fatta &c.* Atque in his, nec non & in aliis locis Historiographi isti apertis verbis significant, se praesentia narrare, atque exspectare futura, quasi Ephemerides rerum identidem gestarum conficerent. Quot ergo Scriptores ad hanc Historiam elucubrandam confluxerint, ignoro: attamen ex illis video multos, eosque synchronos, ita ut in uno Chronico praesertim postrema duo Secula rerum Bononiensium ab oculatis testibus descripta, praecedentia vero ex antiquiorum monumentis derivata, habeamus.

Est igitur, cur adeo illustris Urbis Civibus gratuler, quum Historiae Felsineae non levem partem hactenus ab injuriis temporum illaesam demum beneficio typorum donare mihi licuerit publica luce ac spe longioris vitae. Possunt quidem Bononienses, praeter alios jam editos, operosum suarum rerum Scriptorem ostendere nobis *Cherubinum Ghirardaccium* ex Ordine Eremitarum. Attamen & hinc multa Eruditi accipient, quae illic frustra conquirant; ac nemo praeterea nescit, Veritatem plerumque tutius & gratius ex fontibus quam e rivulis hauriri. Sed neque multum commendandus ipse Ghirardaccius, qui si non omnia suae Civitatis Chronica, nunc in Estensi adservata, aliquod certe prae manibus habuit, eaque diligentissime expilavit, dum suam condebat Historiam; & nullam tamen de iis, quum res poscebat, mentionem reliquit, hoc est ab illis laudandis caute abstinuit. Est animi grati, per quos profeceris, aperte, & non semel fateri. Postremo tamdem loco monendus est Lector, primo Annalium istorum Collectori ante oculos fuisse, ni mea me fallit opinio, *Chronicon Estense*, a me vulgatum in Tomo XV. Collectionis hujus, quippe ex illo integras lacinias in hoc Opus translatas vidisse mihi videor. Verum neminem pigebit legere Italicis verbis, quae Ferrariensis retulit Latinis, & praecipue quum jamdiu in hac ipsa Collectione assuefacti fuerimus ad eamdem rem a pluribus, verbis tantum diversis, accipiendam.

CRO-



CRONICA DI BOLOGNA.



ANno Christi MCIV. morì Bernardo Vescovo di Bologna, e succedettegli il Vescovo Vittore. A

MCXV. morì la Contessa Matilde, la quale fece edificare Nonantola, Bazano, Monte-Veglio, e alcune altre Fortezze sul Contado di Bologna. Fece anche edificare il Monastero di Santo Stefano di Musignano in Piano di Masena del Contado di Bologna. La detta Contessa molto sostenne i Papi e i Cardinali nelle sue Castella contra di Arrigo III. Imperadore, che fu contra la Chiesa, e che fece molti Antipapi. B

MCXIX. fu compita di fare in Bologna la Torre degli Asinelli, che è in Porta Ravignana. La quale è alta 316. piedi alla misura di Bologna, ovvero passa 94. braccia alla detta misura.

MCXVI. Arrigo IV. Imperadore confermò a i Bolognesi tutti i lor Privilegi, e tutte le ragioni, che sono nell'Archivio di Bologna, e rimise loro tutte le ingiurie e offese, ch'esso avea ricevuto dal Comune di Bologna per la distruzione della Rocca, ch'egli avea fatta edificare in Bologna, e che era stata disfatta da i Bolognesi con consentimento del Popolo. C

MCXX. fu compita in Bologna la Torre de' Ramponi, ch'è nel Mercato di mezzo, e in quel tempo furono similmente compite alcune altre Torri nella Città di Bologna.

MCXXV. *Honorius II. sedit Annis V. mensibus II. diebus III. patriâ Bononiensis natus. Descendit in Aquilam, à Baronibus vocatus, ut eam, quæ juris Sancti Petri est, tueretur à Comite Rogerio Siculo; sed quum Papa vidisset infidelitatem Baronum, saniori consilio habito, Rogerium recepit in gratiam, factoque homagio & fidelitate firmata, ipsum de Ducatu Apuliæ investivit.*

MCXXXI. i Nonantolani vennero sotto il dominio del Comune di Bologna. La Città di Bologna arse per la maggior parte, il dì di San Pietro *in Vincula*, ed arse la Chiesa di San Pietro.

MCXXXIX. morì Vittore Vescovo di Bologna, e in suo luogo successe il Vescovo Arrigo.

MCXL. fu edificata la Chiesa di Roncano, e fecela una religiosa donna, che avea nome Madonna Cremonina.

MCXLII. del mese di Agosto fu una gran battaglia appresso della Valle di Reno tra i Bolognesi e i Modenesi, nella quale battaglia furono sconfitti i Modenesi, e la maggior parte presi e menati a Bologna con grande loro danno e pregiudizio.

MCXLIV. fu creato Papa Lucio II. il quale fu figliuolo di Alberto Orso de' Caccianemici da Bologna, il quale sedette mesi XI. e dì IV. e fu sepellito in Laterano. E questo Papa essendo innanti Prete Cardinale del Titolo di Santa Croce, rifece tutta quella Chiesa infino da i fondamenti.

MCXLV. Eugenio III. da Pisa fu fatto Papa di Roma.

MCXLVII. *Dominicâ in Ramis Palmarum Bononia iteratò combusta fuit.*

MCLI. Il Decreto fu fatto in Bologna nel Monastero di San Felice; e lo compose Graziano Monaco della Città di Classa di Toscana.

MCLXI. del mese di Giugno, *fuit interfectus Dominus Albarinus de Scannabechis super Platea Communis Bononiæ per Dominum Brancam de Griffonibus ad rumorem Populi; & tunc Barufaldinus quondam Rodulphi de Ramponibus*

in

in eodem rumore interfecit Nicolam de Asinellis. Quo facto illi de Asinellis cum amicis fuerunt insequuti dictum Barufaldinum usque in cortili de Ramponibus, & fuisset ibi interfectus, nisi ibi supravenissent illi de Ramponibus, qui fugarunt illos de Asinellis.

MCLXIII. L'Imperadore Federico I. fece spianare i fossati e le mura della Città vecchia di Bologna a molti uomini del paese, e d'altri paesi.

MCLXV. a dì 8. d'Agosto morì Grasso Vescovo di Bologna. In quel tempo Guido da Canossa fu Podestà di Bologna, e fu il primo Podestà, che avesse Bologna. In quell'Anno Messer Bozzo, ch'era Luogotenente di Bologna pel detto Federigo Imperadore, fu morto da i Bolognesi. In quell'Anno a dì 14. di Dicembre i Bolognesi ebbero il Castello di Gesso. Messer Salinguerra antico morì del mese di Decembre. Nota, che la Casata di quel Salinguerra fu una nobile Casata di Ferrara, la quale chiamavasi de' Torelli, e furon sempre nemici della Casa d'Este.

MCLXVI. morì il famosissimo Dottore ed eccellente Messer Bulgaro de' Bulgari, nobilissimo Cittadino di Bologna, e fu sotterrato a San Procolo.

MCLXVII. Milano Città si cominciò a rifare, e cominciossi per la festa di San Giorgio. Tortona e Alessandria, Città di Lombardia, si cominciarono a edificare nel principio di Quadragesima; le quali Città furono costituite a i Lombardi.

MCLXVIII. Federigo I. Imperadore fece una battaglia a dì primo di Giugno contro la Chiesa e i Romani.

MCLXIX. fecero gran battaglia i Bolognesi co' Faentini in servigio de' Ravignani, e fu tra San Procolo al Senio, e molti Bolognesi furono presi.

MCLXX. la Città di Faenza fu assediata da i Bolognesi, e vi stettero tanto, che tutti i Bolognesi e Ravignani, ch'erano stati presi, furono rilasciati, i quali erano da quattrocento in su. Allora i Bolognesi fecero il primo Carroccio, che mai avessero, e andarono col detto Carroccio a campo a Faenza. Il Popolo di Ferrara prese Argenta. In quell'Anno Ruggieri Re di Sicilia morì.

rizia, nè lusinghe, o proferte, che i Fiorentini far ti volessero. E dei pensare, che sempre s'è veduto, che quando Fiorenza ha potuto prendere lena, a tutte sue infirmità ha messo rimedio, e poi punito, e vendicatosi, di chi tale infermità gli fece venire. E puoine vedere molti esempli, de' quali al presente te ne saranno notati alcuni. E prima quello fece a Santa Chiesa, che essendo alquanto inferma, pagò a Messer Giovanni Aguto CXXX. mila fiorini, e preso polso, e lena, fe' alla Chiesa perdere venti Cittadi con tutte loro Castella, come innanti nell'altro Libro si contiene in MCCCLXXVI.

Appresso dico: il Duca di Milano per lo suo soprasedere e indugio, quanto spese denari e tempo. Che prima che fosse con quel di Mantova nimico, se avesse voluto essere in Toscana, avrebbe potuto Fiorenza sottomettere; ma lo indugio fe' a Fiorenza prendere riparo, per lo quale fu costretto il ditto Duca a doversi di Toscana partire. E preso questione con quello di Mantova, i Fiorentini sempre in Toscana acquistando, il ditto Duca contro del ditto Signore poco overo nulla fe', e convennesi con tale pacificare. E vedendo tal Duca i Fiorentini esserne cagione, volendo contra di loro seguire, lo Comune di Fiorenza ciò sentendo, preseno pensieri allo indugio, e sommossero lo Imperadore nuovo a scendere in Lombarbia: per la qual cosa preseno a loro scampo indugio e termine, e il ditto Imperadore poco o nulla fece.

Lo Duca ciò vedendo, e sapendo tutto, volendo prima il Signore di Padova deponere, perchè era stato con Fiorenza a fare venire il ditto Imperadore, pensando poi il Comune di Fiorenza pagare, fece oste contra del ditto Signore di Padova, e poco gli valse al contrasto de' Fiorentini, perochè loro avendo tempo sommossero Bologna contra il ditto. Lo Duca sentendo tal cosa, avendo Pisa, Siena, Perugia, e gran parte di Lunigiana, per ristringere Fiorenza, prese pensieri di volere Bologna, e quinci mettendo campo, ultimamente dopo molto ajuto avuto Bologna da Fiorenza, il ditto Duca Bologna ebbe al suo dominio. Ora che valse tal presura a danno di Fiorenza, che subito morto il ditto Duca, i Fiorentini potenti e astuti, col loro sentimento, e senno, e denari hanno fatto predare, disfare, e disertare a' figliuoli del ditto Duca, tutte Terre, Città, Castella, e tutti beni, intantochè Pisa, e gran parte di Lunigiana, venuto in le loro mani, Siena, Perugia, Bologna in nelle mani delle Comunità; e tutte queste cose sono state, perchè chi ha avuto podestà e potenzia, sono stati negligenti e pigri, e hanno voluto dare indugio a quello, che è stato loro disfacimento.

E pertanto si dice ora a te, Re Lancilao, che se hai volontà d'essere grande, non dare indugio per cosa che venga, che la guerra si dilunghi da Fiorenza, perochè quello sempre è stato suo volere, che ogni guerra sia da se rimossa, perchè con denari può altro supplire. E l'opera, che hai cominciata, è arte lunga, la vita corta, lo sperimento fallace, e le cose sono difficili ad avere. Quasi a dire, volere venire grande, come desideri, è arte molto lunga; e la vita di noi mortali è corta; e l'arte del combattere è fallace; e danari, che è quello, che bisogna alla guerra, non avendo tempo da procacciarne, sono difficili ad averne; e pertanto ti dico: chi tempo ha, e tempo aspetta, è ragione che tempo perda.

Come i Cardinali ridutti a Pisa fenno appellagione al Papa, che dovea venire.

I Cardinali partiti di Lucca, e andati a Pisa contra la volontà di Papa Gregorio, come è stato contato, fenno al ditto Papa protesto e appellagione, appellando al Papa, che dovea venire. E questo fu per vilipendere il ditto Papa; e simile, perchè durante l'appellagione, non potessero essere rimossi, nè privati. E più fenno, che si trovarono a Livorna più volte a pratica co' Cardinali del Papa di Vignone, e così si steo fino per tutto il mese di Maggio in MCCCCVIII. Or come di loro seguirà, altro si notarà.

Come si ordinò certo trattato contro il Signore Paolo Guinigi di Lucca.

IN que' tempi del mese di Maggio, cioè a' XIII. in MCCCCVIII. il Signore Paolo Guinigi di Lucca ebbe sentimento, come Messer Jacopo di Giovanni Viviani, e Messer Puccinello di Bortolo Turchi di Lucca con certi ribelli, e massimamente con quelli delli Opizi trattavano lo disfacimento di tal Signore, e della sua Casa, e de' suoi amici. Per la qual cosa i preditti Messer Jacopo, & Puccinello funno messi in nelle mani di Messer' Antonio da Camerino Podestà di Lucca, e sopra di loro fatto processo, secondo li Statuti di Lucca, e confessato, e dato il termine a fare loro difesa, a dì primo Giugno detto Anno i preditti Messer Jacopo e Puccinello funno condutti per la famiglia del ditto Podestà dalle prigioni, e letta la condannagione, e quelli giudicati alla morte, il preditto Signore Paolo Guinigi mosso di misericordia, e d'alcuni prieghi, subito mandòe al ditto Podestà uno suo Cancelliere con decreto, che la vita fosse loro riserbata, con dovere dare piageria di ubbidire le confine. E così seguìo, che i preditti ebbeno grazia della vita, e data la piageria delle confine, funno liberi: per la qual cosa ebbero dal prefato Signore per misericordia buona grazia.

Come Papa Gregorio XII. mise molti protesti a' Cardinali partiti di Lucca.

A dì XVI. Maggio 1408. Papa Gregorio XII. mise a tutte Chiese di Lucca protesti contra de' Cardinali partiti ed altri Cortigiani, di perdere tutti onori, e beneficj, qualunque d'essi si fusse partito di Lucca, o che si dovesse, o volesse partire; e i partiti se in fra certi dì non fussero ritornati, s'intendessero chi contrafacesse, incorrere nella pena preditta. E per tutto questo neuno Cardinale ritornò, e molti non ubbidinno, e così rimasero in contumacia.

Come

Come lo Re Lancilao mandò a Lucca l'ulivo della presura di Roma.

LO Re Lancilao avendo preso Roma, come è stato contato, mandò messi coll' ulivo a dì 16. di Maggio in 1408. a notificare tal presura, e in spezialità a Lucca al Signore Paolo, al quale per lo ditto Signore fu per contemplazione del ditto Re donato uno cavallo, e coperto quello cavallo di settanino verde, e quello che tale ulivo arrecò vestito di settanino vigliutato verde foderato di settanino azurro; e oltra il ditto vestimento donògli fiorini L. e uno suo paggio di panno verde; e fatto loro le spese e partissi a dì XXII. Maggio in 1408.

Come morìo alcuno Cardinale in Pisa di quelli, che s'erano partiti di Lucca.

NArrerassi ora d'alcuni Cardinali ridutti a Pisa. Dopo tale andata non molto tempo passò, che morìo il Cardinale di Fiorenza del mese di Maggio in MCCCCVIII. della cui morte molti ne funno contenti, e molti dolenti; i contenti quelli, che di lui dubitavano, perchè era lui, e'sua Casa Ribelli di Fiorenza; e alcuni, perchè ne speravano avere ajuto, e per la sua morte la speranza venne fallita. E molti per la sua morte n'ebbeno grande tesoro, perchè di lui rimase il valore di più di cento mila fiorini. E così morto in Pisa gli fu fatto smisurato onore, e'l corpo dopo tale onore fu portato in nel Monasterio di Certosa presso a Fiorenza, l'anima del quale fu raccomandata a Dio, a cui sta a cognoscere il vero dal falso; e così rimase la Chiesa privata di tal Cardinale. Dappoi a pochi dì appresso morìo il Cardinale di Leggie in Pisa, e fu quine sepellito, al cui corpo fu fatto singulare onore. Iddio, che tutto sa, arà quell' anime collocate, dove la sua dritta giustizia l'attribuirà.

Come lo magnifico Signore Paolo Guinigi di Lucca mandò a visitare il Re Lancilao.

SEntendo il magnifico Signor Paolo Guinigi di Lucca, che il Re Lancilao avea preso il dominio della Città di Roma, e di molte Terre, e vedendo che lui desiderava più oltra prendere: come suo compare & amico avendo prima onorato quello, che tale ulivo addusse, deliberò come ad amico e padre mandare imbasciaria per rallegrarsi del suo buono stato, e con tale imbasciaria presentare alcuno presente, secondo che a tal Signore si conviene, e simile chi tal dono porgere dee. E il dono, che fatto fu, infra le altre cose funno corazze di prova, e d'acciajo, & elmi a prova forniti tutti d'oro, e d'ariento, con sopravesti ricamate all'arme del ditto Re onorevoli molto. E a fare tal dono fu eletto Jacopo Fantinelli di Lucca, e per Ambasciadori fu Messer lo Vescovo Nicolò Guinigi Vescovo di Lucca, e in sua compagnia Nicolao Anolfini, i quali onorevolmente vestiti, e con buona compagnia si partirono di Lucca a dì primo Giugno in MCCCCVIII. e giunseno a Roma alla presenzia del ditto Re del ditto mese; e quelli ricevuti graziosamente dal ditto Re, e lui ricevuto il dono fatto per parte del ditto Signore Paolo delle cose ditte di sopra.

Come si fe' Lega tra Re Lancilao, e Lucca.

IL preditto Re, che mandò Jacopo Fantinelli con imbasceria segreta a Lucca al Signore Paolo Guinigi, notificandogli, se volea con lui essere in Lega, e che a ciò mandasse procuratori, che ciò fare potessero. E giunto il ditto Jacopo a Lucca, & esposta l'ambasciata del Re al ditto Signore Paolo, il preditto Signore mandò Ser Guido suo Cancelliere segreto, e Ser Domenico Totti, eziandio suo Cancelliere con il ditto Jacopo Fantinelli a Roma a dì XVI. Giugno, e quine giunti fenno quello, perchè andarono di fermare Lega col ditto Re. Il predetto Re donò al Signore Paolo Guinigi uno corsiere di stima di fiorini CCCC., e così si partirono di Roma a dì XXII. Giugno, e tornarono a Lucca a dì XI. del mese di Luglio.

Come il Consiglio di Francia dilevò l'ubbidienza dall' uno Papa, e dall' altro.

SEntendo lo Re di Francia, e'l suo Consiglio, come il Papa di Vignone dava lunga all'unione della Chiesa, e cognoscendo, che il Papa di Roma stava simile pertinace a non volere rifiutare, acciochè tale unione non fusse, deliberò il ditto Re di Francia, e'l suo Consiglio di ponere silenzio al ditto Papa di Vignone, e a dì XVI. Giugno in MCCCCVIII. fenno divieto, e dilevarono tutte rendite, e beneficj, che il ditto Papa di Vignone possedea in nel Reame di Francia, con non volere più ubbidire nè a lui, nè a quello Papa di Roma; nomandò quello di Vignone Piero della Luna, e quello di Roma Angelo di Vinegia. E così viene la resia di tali Papi a multiplicare: per la qual cosa il predetto Papa di Vignone scomunicò il ditto Re di Francia, e'l suo Consiglio, e i Cardinali del ditto Papa da Vignone si divisono parte da lui, e più ubbidire non volseno, e da lui si partirono. E il ditto Papa da Vignone con circa tre Cardinali delli XI. o più che n'avea, montò in sulle galee, e di quello di Genova si partìo, e caminò verso Perpignano in Catalogna. Lo Re di Catalogna sentendo quello, che il ditto Papa avea fatto di non volere venire all'unione, non volse che tal Papa in sul terreno suo entrasse, e così si steo in mare più tempo senza pigliare terra. Or come di lui altro seguirà, tutto si noterà.

Come Papa Gregorio XII. si partìo da Lucca.

SEntendo Papa Gregorio XII. di Roma, come il Papa di Vignone s'era partito, avendone allegrezza, perchè lui all'accordio male vi si conducea, deliberò di partirsi di Lucca, e andare a Siena, dando suono, che le brigate del Re di Napoli lo dovessero di Lucca levare. I Fiorentini sentendo questo, del mese di Giugno quasi all'uscita mandarono imbasceria a Lucca, e simile sommossero i Senesi a mandare imbasceria al ditto Papa, che gli piacesse che con gente del Re non si dovesse muovere, nè quelle far venire,

re, assegnando nuove ragioni al loro scampo, e mettendo i dubbj nel capo al ditto Papa, che male facea a fidarsi di genti del Re, e che lo Comune di Fiorenza lo metterebbe salvo in quel luogo, dove a lui piacesse, e che di ciò lo farebbono cauto e securo per quanti Stadichi volea. E così il ditto Papa non fidandosi delle genti del Re per lo sospetto messo, e simile rivoltosi di non volere andare a Siena, deliberò di mandare uno suo nipote per quelli Stadichi, e avutoli in salvo luogo mettersi in nelle mani de' Fiorentini. E così seguìo, che dopo molti parlari uno Sabbato a dì XIV. Luglio in MCCCCVIII. il ditto Papa si mosse da Lucca con assai piccola brigata, perochè molti pochi Cortigiani lo seguìo, e de' tre Cardinali vecchi, ch' erano in Lucca, uno solamente andò con lui, e questo fu il Cardinal di Todi. E' vero, che quelli quattro Cardinali, che avea fatto in Lucca lo seguiro, & onorato senza palio, di Lucca si partìo, e la sera si posò a Monte-Carlo. Or come seguirà suo camino, altro si noterà.

Come i Cardinali, ch' erano in Pisa, fenno ambasciaria al Signore di Lucca.

I Cardinali, che si partirono da Papa Gregorio XII. e andonno a Pisa, e poi a Livorna, sentendo la partita, che il ditto Papa fatto avea, a dì XVIII. Luglio i preditti Cardinali mandarono due di loro Ambasciadori al Signor Paolo di Lucca, cioè il Cardinale di Brancaccio, e quello di Mileto; e loro imbasciata fu, che volentieri delibererebbono di tornare a Lucca, se al Signore piacesse. Lo preditto Signore di Lucca vedendo, che loro erano stati prosontuosi a partirsi di Lucca, lasciando il Papa in abbandono, e non avere voluto consentire al consiglio, che il ditto Signore dava loro, consigliandoli che di Lucca non si partissero, e loro volendo la lor volontà seguire, tale andata per loro fatta fu: per questo il preditto Signore Paolo non consentìo, che a Lucca ritornassero, per le ragioni ditte, e anche per le promissioni, che i ditti Cardinali aveano fatto al Comune di Fiorenza. E così rimaseno i ditti Cardinali in Pisa. Or come di tale Collegio seguirà, altro si noterà.

Come Papa Gregorio si ridusse a Rimini, e quine fe' alcuni Cardinali.

Ritornasi a contare, che poichè Papa Gregorio si partìo di Lucca, dopo molto andare in quà e in là, ultimamente si ridusse a Rimini sotto la Signoria del Signore Carlo Malatesta, e quine tenendosi securo restò, avendo seco poca brigata di Cortigiani, e facendo alcuni Cardinali, poichè di Lucca si partìo, fra' quali fu Messer Bandello di Michele Bandello di Lucca, il quale era Vescovo della Città di Castello, e alcuni altri, i quali quì non si mettono. E stando il preditto Papa a Rimini, i Cardinali, che da lui s'erano partiti, e andati a Pisa, e molti di quelli del Papa di Vignone concorsi a Pisa a disfacimento del ditto Papa, & Antipapa, con lettere e processi intendeano di fare contra de' ditti due Papi. E mandonno certe lettere citatorie a' preditti, e per tutta Cristianità mandonno lettere e imbasciata. E perchè sarebbe lungo lo scrivere, chi andò, e dove, la conclusione fu, che per tutto Maggio del MCCCCIX. fussero a Pisa a vedere pubblicare per Eretici i preditti due Papi, e di nuovo ordinare il Concilio per fare elezione d'altro Papa. E così si steo spettando tal dì. Or perchè queste cose non si ponno ordinatamente notare, quello seguìo di tal materia fino al ditto dì si tacerà; e contaremo alquante altre cose, che sono apparite d'altre materie, e quelle contaremo sotto brevità, finochè tornaremo al nostro proposito de' ditti Cardinali, e del Papa.

Come fu tagliato la testa a Messer Gabriello Maria in Genova.

COme inanti avete sentito, quando Messer Gabriello Maria figliuolo che fu del Duca di Milano, concedeo Pisa a' Fiorentini per mezzo del Governatore di Genova, dovendo il Comune di Fiorenza pagare al ditto Messer Gabriello per compimento di tale pagamento Fiorini LXXX. mila, & essendo venuti i tempi di tale pagamento, il preditto Messer Gabriello andò a Genova, per domandare al Governatore come pagatore di tali denari, che gli concedesse ripresaglia contra de' Fiorentini per li ditti fiorini LXXX. mila. E dopo molte dimande fatte, e alcune ripresaglie fatte contro de' Fiorentini, ultimamente seguìo, che non essendo il ditto Governatore in Genova, ma in suo luogo alcuno lassato, fu informato della intenzione del Governatore. E stato in Genova il ditto Messer Gabriello alcuni dì, fu al ditto Messer Gabriello apposto, che lui era venuto in Genova a petizione di Fasino Cane, e di parte Ghibellina per torre Genova, e darla in nelle mani del ditto Fasino & di parte Ghibellina. E preso, senza che mai ne avesse alcuna cosa saputo, nè condutte brigate; e messo in nelle mani d'un'Officiale poco amico del ditto Messer Gabriello, e della Casa de' Visconti di Milano, dopo molta colla, non potendo il ditto Messer Gabriello come giovane d'anni XXII. sostenere, gli fu fatto confessare, sotto nome, che alcuno male non arebbe. E lui come giovane confessò prima per la pena, appresso per le buone promessioni, e non credendo morire. Avuta il preditto Officiale tale confessione, come era sua volontà, e simile perchè tale governatore dovesse avere quelli fiorini LXXX. mila che il Comune di Fiorenza dare dovea, e lui n'era segurtà, consentìo, e volse, che al ditto Messer Gabriello fusse la testa tagliata. E così ordinato, e letta la condannagione, alla quale nè scusa nè altro, che dicesse, non gli fu consentito, e menato in su uno taulino a ciò ordinato, presente il ditto Officiale, sopra lo quale molto cottone era disteso, acciocchè il sangue non si spargesse in terra, ma sì in su quello cottone; e così posto giù la testa, gli fu tagliata. E a questo modo fue condutto quello giovane innocente per la parte, e per tollerli il suo. Della qual morte Fasino Cane molto fu malconteuto, sperando di ciò far vendetta.

Come

Come fu sconfitto, e morto il popolo di Leggie in Francia.

COme sempre s'è veduto e udito, che quando il capo sta male, ogni membro ne sente, pertanto si conterà, che sendo il Vescovo di Leggie alle confine di Francia in discordia col popolo suo, e già partitosi di Leggie, e riduttosi dell'Anno MCCCCVIII. a una sua Fortezza, e quine assediato, il preditto Vescovo richiese il Duca Giovanni di Borgogna suo amico di soccorso & di gente. E'l preditto Duca cavalcò con molta gente da cavallo de' suoi, e dopo molto combattere con quelli di Leggie, il ditto Duca di Borgogna, e il ditto Vescovo rimasero vincitori, e quelli di Leggie sconfitti, e di loro morti XXXV. mila e di quelli del Duca III. mila. E per questo modo quella Città di Leggie rimase disfatta.

Come lo Duca di Borgogna cominciò a guastare lo Reame di Francia.

AVendo il Duca Giovanni di Borgogna principiato il guastamento di Francia, dopo la sconfitta data a quelli di Leggie, armata mano si ridusse verso Parigi. Il Re, e li altri Reali dubitando di lui, si partirono di Parigi, e caminarono a certo luogo forte, dove pensavano di potere essere salvi. E il ditto Duca di Borgogna venuto a Parigi, e quine stando, non avendo potuto avere del Re sua intenzione, fu per alquanti trattato certo accordio, e dell'Anno MCCCCIX. quasi all'entrata il ditto Re colli altri ritornarono a Parigi con avere fatti alcuni parentadi tra il ditto Re, & il figliuolo del Duca d'Orliens, e il ditto Duca di Borgogna: e così s'acquetò per allora tal discordia.

Come Paolo Orsini si soldò col Re Lancilao di Napoli.

LAsciasi al presente di narrare del ditto Duca, e tornarassi a contare, seguitando lo richiedere, che i Cardinali ridutti a Pisa fanno di tutte genti, e le citazioni, che fanno a' due Papi, come si mosse lo Re Lancilao di Napoli con moltitudine di gente d'arme, dopo la presura di Roma, non ostante li stroppi, che i Fiorentini fenno sì di porgere ajuto a Paolo Orsini, e a' Romani, che erano in Roma, sì di volere corrompere sue brigate, e fare alcune Terre ribellare. Ma poco valse loro, che in effetto Roma fu del ditto Re, e Paolo Orsini riconciliato con lui come è stato ditto.

Come lo Re Lancilao ebbe la Città di Perugia.

LO Re Lancilao sentendo quello, che i Fiorentini gli avevano fatto in contra-

A rio, e vedendo, che loro aveano condutti i Cardinali in Pisa, solo perchè s'opponessero al ditto Re, dispose il ditto Re di concordarsi con tutti quelli delle Marche; e mosso suo esercito si ridusse verso Perugia colli usciti di tal Terra in nel principio di 1409. E ultimamente quelli, che signoreggiavano Perugia, come fu Cecolino con suoi aderenti, fermarono, che il ditto Re fusse di Perugia Signore e maggiore, con conditioni che li usciti di Perugia non si dovessino rimettere. E così il preditto Re acconsentìo, e di Perugia ebbe il dominio, dando parole generali alli usciti, i quali come meglio poterono, sterono contenti, acconciandosi come meglio poteano per campare

B lor vita.

Come lo Re Lancilao dispose di fare guerra a' Fiorentini.

DIsposto il Re Lancilao di fare guerra contra Fiorentini, e contra coloro, che con ditti Fiorentini si tenessenо, dispose, che in mare fussenо a sua stanzia navi otto, e galee XV. bene armate, le quali stessero verso le parti tra Piombino e Pisa; e per terra con Dino avere a soldo circa XV. mila cavalli con buoni capi, fra' quali

C fu Paolo Orsini, Janni Colonna, lo Conte di Troja, e molti altri Conti, e Duchi, e capi valenti; e a sua guardia, e della sua persona cinquecento provigionati bene armati, cinquecento uomini d'arme, tutti a sua livrea vestiti; e così fantaria da piè gran numero, disposto di venire verso Toscana, pensando che Siena come sua amica fusse la prima, che desse volta, e simile Cortona facesse tal'atto, per promessione, che il Signore di Cortona gli avea fatta, che sarebbe la prima, che a lui si darebbe. E molti altri pensieri ebbe da Cecco di Cione di Sandro, e dal Conte Bertoldo, e da molti usciti di Siena, e principalmente da Messer Gui-

D do da Sciano, i quali tutti s'erano proferti di morire, prima che di lasciare il ditto Re in abbandono.

Come i Fiorentini fenno officio di Balìa.

I Fiorentini sentendo, che lo Re Lancilao era disposto di far loro guerra, dubitando del ditto Re, deliberarono e ordinarono di creare uno officio di Balìa di certi Cittadini; e dopo il molto mettere a partito, s'ottenne, e vinsesi, & fessi delli infrascritti Cittadini, i quali avessino prima Balìa, come tutta la Comunità


E di Fiorenza in tutte le cose, che guerra richiede: I nomi de' ditti Cittadini sono questi, cioè:

Nicolao da Uzano,
Rosso di Piero di Rosso Fornaciajo,
Bernabà delli Agli,
Messer Jacopo Salviati,
Piero dal Pontrizzo Baroncelli,
Messer Bartolomeo Popoleschi,
Scholajo di Nespio delli Spini,
Jacopo di Francesco Cambi,
Luca di Manetto di Filicaja,
Leonardo Lorigliajo.

I quali

I quali così eletti ordinarono e deliberarono molte cose, delle quali alcuna se ne noterà. E prima, che della Città di Pisa si traessino, e mandassesi a Fiorenza a confine LXXV. per centenajo; e molti per tal cagione se n'assentarono, e simile della Città di Arezzo, Pistoja, Prato, San Miniato, e Volterra, & d'altre loro Terre, per sospetto; mettendo tale a Pisa, tale ad Arezzo, e tale altro altrove; disponendo di mandare per tutte loro Terre uomini a difesa, e Commissarj per potere riparare contro il ditto Re. E simile mandarono a Siena Messer Cristofano delli Spini, a Cortona Messer Jacopo Gianfigliazzi, e a tutte Terre a loro racomandate, overo collegate mandarono così.

I L F I N E.



ANNALES
ESTENSES
JACOBI DE DELAYTO
CANCELLARII
D. NICOLAI ESTENSIS
MARCHIONIS FERRARIÆ
AUCTORIS SYNCHRONI
DE GESTIS IPSIUS MARCHIONIS

Ab Anno MCCCXCIII. usque ad MCCCCIX.

Nunc primùm editi

E MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN ANNALES ESTENSES JACOBI DE DELAYTO *PRAEFATIO* LUDOVICI ANTONII MURATORII.

JAm dedi *Chronicon Estense* Tomo XV. Collectionis hujus, in quo Marchionum Estensium gesta perducuntur usque ad Annum MCCCXCIII. Eorumdem vero Principum Historiam ad eum ipsum Annum excepit *Jacobus de Delayto*, & quae subinde a Nicolao III. Ferrariae, Mutinae &c. Domino, atque a Ferrariensi Populo, peracta sunt, continuavit ille usque ad Annum MCCCCIX. ejusque Commentarium sive Annales Lectori nunc sisto. Geminum Codicem MStum heic mihi suppeditavit Estensis Bibliotheca, quorum alter membranaceus e characterum forma mihi idem visus est, quem Delaytus ipse conscripsit. Haec autem ille literis consignanda suscepit *jussu* Nicolai Marchionis, inclyti Principis, qui Regium, Parmam, aliasque terras antiquae Estensium Principum ditioni adjunxit, sive restituit. Atque utinam hunc morem ceteri Principes, immo & singulae Civitates imitatae jamdiu fuissent, neque per summam incuriam sivissent excidere tot rerum monumenta, e quibus Italica Historia barbarici aevi plenius conflari nunc posset. Quod etiam Delayti laborem nobis arctius commendat, narrationem ille suam non intra fines angustos concludit, sed ad finitimos etiam Populos, immo longius, perducit: atque inter cetera heic habes Scaligerorum & Carrariensium fata postrema; quae non contemnenda pars est Italicae Historiae. In calce vero vetustioris Codicis additamenta quaedam legebantur, recentiori manu facta, de Borsii Estensis assumtione ad Ducatum. Ea retinere visum est mihi, neque Lectorem accepisse pigebit.

Ceterum ut de Auctore Annalium aliquid adferam, *Jacobo Delayto* Rhodigium patria fuit, nobile Oppidum, seu mavis Civitas, quae jam Seculo XI. parebat, ac deinde etiam per plura Secula imperio Principum Estensium paruit. Cuidam ex Jacobi Majoribus (ita conjicere liceat) nomen fuit *Delayti*, hoc est *Dio l'aiti*, aut *l'ajuti*, quod est Latine *Deus illum adjuvet*: ut etiam in usu fuit *Deusdedit*, *Diotallevi*, *Nascimbene*, *Bentivegna*, *Cito-natus*, *Bene-natus*, & alia id genus nomina, Hebreae potissimum Linguae familiaria, & ex illius imitatione efformata. Marco Antonio Guarino teste Lib. de Ecclesf. Ferrar. tumulatus fuit in Aede Sanctae Mariae de Vado Johannes Franciscus Surchius, *detto il Dielaì*. Agnomen hoc idem est ac *Delayti*. Atque nomen istud, sive agnomen postea in cognomen Familiae Historici nostri pertransiit. Quod & de aliis non paucis factum. Ferrariam vero profectus Jacobus, Notarium ea dexteritate agebat, ut sibi comparata sui Principis gratia, ab Anno circiter MCCCXC. per multos subsequentes Cancellarii munere apud ipsum fuerit functus. Ejus non solum nominis, sed & munificentiae erga illum Nicolai III. Marchionis Estensis & Ferrariae Principis, vestigia se se obtulere mihi in Archivo Serenissimi Ducis Mutinae Domini mei. Scilicet in Regestis MStis, ubi descriptae habentur publicae tabulae Feudorum, quae olim Estensis Familia largiebatur, geminae occurrunt ad Jacobum nostrum spectantes. En priorum exordium: *In Christi nomine Amen. Anno ejusdem Nativitatis* 1394. *Indictione II. die* 18. *Mensis Maji*, *Ferrariae in Palatio* &c. *Illustris & Magnificus D. D. Nicolaus Marchio Estensis* &c. *natus olim recolendae memoriae Illustris & Magnifici D. D. Alberti Marchionis Estensis* &c. *praesente egregio & potenti Milite D. Guidone de Matasaris de Jadra*, *Civitatis Ferrariae & districtus ejusdem honorabili Potestate*, *supplente defectum tutoris* &c. *jure Feudi ad usum Regni*, *investivit Jacobum de Delayto Notarium*, *filium quondam Nascimbene de Delayto de Rhodigio*, *Civem & habitatorem Civitatis Ferrariae*, *in Contrata Sancti Michaëlis*, *dicti Domini Marchionis Cancellarium praesentem* &c. *De infrascriptis rebus & petiis terrarum positis in Viscontaria Rhodigii* &c.

&c. Datae sunt alterae tabulae *Anno* 1399. *die* 7. *mensis Aprilis in Palatio de Belflore infrascripti D. Marchionis, sub logia inferiori ejusdem Palatii, praesentibus testibus ad haec specialiter vocatis & rogatis, Egregiis & Nobilibus viris Domino Alberto de Robertis Milite, filio egregii Domini Cabrini de Robertis, Alberto de Piis nato quondam spectabilis Militis D. Ghiberti de Piis de Carpo, Ugutione de Contrariis filio quondam nobilis viri Maynardi de Contrariis, infrascripti Domini Marchionis Provisionatis* &c. Ibi idem Nicolaus Marchio eumdem Jacobum de Delayto investivit de nonnullis terris positis *in fundo Rhodigii a latere Sancti Stephani, ubi dicitur i Masi*. Praeterea si quis Jacobum nostrum in hac ipsa Historia negotiis immixtum deprehendere velit, consulat quae scripta sunt ad Annum MCCCXCVIII. Scilicet is narrat, restauratam fuisse pacem inter Nicolaum Marchionem Estensem, & Polentanos Ravennae dominantes: quo tempore eisdem restituta fuere praedia & jura, quae *Arzentae & infra Riperiam Fili citra Padum jure belli fuerant eis occupata. Ad quae restituenda praefato Opizzoni Jacobus de Delayto Domini Marchionis Cancellarius missus fuit*. Atque haec satis sint de Historia ista ejusque Auctore.

CHRO-



CHRONICA NOVA

ILLUSTRIS ET MAGNIFICI DOMINI

DOMINI NICOLAI

MARCHIONIS ESTENSIS &c.

Incœpta in principio sui felicis Dominii, videlicet die penultimo Julii Anni MCCCXCIII.



Illustrium Heroum, & magnanimorum Virorum ad cognitionem memorabilium gestorum hoc unum præcipuè solet, & dignopere debet animos cōmovere, ut videlicet prætentorum gesta ipsa quasi quædam se offerant exemplaria ponentia ante oculos virtuosæ vitæ semitas deligendas, quo fiat ut in laudabilibus actionibus se instituant, in priorum magnificis operibus delectati; infima verò quæque, & laudum inimica declinent, & tamquam pestem virulentam abhorreant, itaque universa tam bono quàm malo memorabili insignia diligenti cribro dijudicent. Quoniam verò vivæ vocis beneficium æternum esse non potest, quia morte aufertur; item quòd præsentia ut plurimum à memoria excidunt: ideo ut priorum ad præsentes, & præsentium ad se ipsos, & à se ipsis ad posteros rerum cognitio transferatur, occurrentium, & incidentium in temporibus est instituta descriptio, brevi restricta compendio, quæ Chronica nuncupatur. Idcirco ut & apud Illustrem & Magnificum Dominum Dominum Nicolaum Marchionem Estensem &c. natum recolendæ & celebris memoriæ quondam Illustris & Magnifici Principis Domini Alberti olim Marchionis Estensis, post chronicata hactenus in Bibliotheca inclytæ Domus suæ, ex more Illustrium Progenitorum suorum ejusmodi descriptio habeatur, eorum videlicet, quæ ætatis suæ tempore, utinam longævæ atque felicis, post paternum obitum evenient, tam hìc quàm alibi cognita hìc & memoratu digna, huic novæ Chronicæ, novisque tractatibus in Dei nomine per me *Jacobum de Delayto de Rodigio ejusdem inclyti Domini mei Cancellarium* jussu ipsius opera data est; habiturus initium ab initio dominatus ejusdem, & processurus per temporum accidentia & eventus, quos qui tempora condidit, ille felicitet.

IN Dei nomine Anno ejusdem gloriosæ nativitatis MCCCXCIII. die Mercurii penultimo Julii Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. natus celebris & recolendæ memoriæ quondam

dam Illustris Principis & Magnifici Domini Domini Alberti olim Marchionis Estensis &c. heresque, & successor legitimus & testamentarius ejusdem Domini Marchionis Alberti, agens tunc ætatis suæ annum nonum, & menses septem, & dies viginti, immediatè post obitum prælibati genitoris sui, qui die prædicta penultima Julii vitâ excesserat, successit in dominiis & jurisdictionibus, quibus præfuerat idem Dominus Genitor ejus, videlicet in Dominio Civitatis & Districtus Ferrariæ pro Sancta Romana Ecclesia, & Romano Pontifice; à quo de Vicariatu ante patris obitum erat solennissimè investitus, & post per populum, & universitatem Ferrariæ in dominio unanimiter confirmatus. Item in dominio Civitatis Mutinæ ejusque Comitatus & Districtus pro Sacro Romano Imperio. In Dominio Civitatum Adriæ, & Comacli, ac Policinii Rodigii, Argentæ, Lugi, Bagnacavalli, Cotignolæ, & Consilicis, & generaliter universarum aliarum rerum & bonorum præmemorati Domini Genitoris sui. Et eadem die summo assensu totius Ferrariensis Populi dominari incoepit, assistentibus sibi, & ad gubernationem suam statusque sui Consiliariis olim præfati Domini Genitoris sui viris electissimis, ac probatissimæ fidelitatis, & singularis conspectionis spectabilibus, & egregiis militibus Domino Philippo de Robertis de Tripoli, & Domino Thomasio de Obbicis de Luca, & egregio ac prudentissimo viro Bartholomæo de la Mella, qui erat ejus Referendarius, sicut fuerat Genitoris, adjuncto insuper viro egregio Johanne de la Sale Cive Ferrariense. Et ultra hos pro Communi & Populo Ferrariæ ad prælibati Domini consilium & gubernationem superadditi fuerunt sex Cives Ferrarienses, qui fuerunt hi, videlicet. Egregius vir Albertinus de Joculis. Egregius vir Nicolaus de Costabilis. Egregius vir Magister Compagnus de Bonleis Physicus. Egregius vir Mainardus de Contrariis. Honorabilis vir Ser Jacobus de Gualengo Notarius. Honorabilis vir Ser Johannes de Griffis Notarius. Et hi omnes Consiliarii insimul tam primi quàm superadditi ut supra, appellati sunt Consilium Domini Marchionis. Tunc verò cœpit præfatum Domini Marchionis Consilium circa omnia incumbentia necessaria & utilia pro statu ipsius Domini summo studio, & circumspectissima diligentia providere. Intentum inter cetera stipendialibus præsidiis ad omnem cautelam pro statu, & largissimè se habens in erogandis gratiis atque commodis erga Cives Ferrarienses, & alios universos dicti Domini Marchionis subditos tam in remissionibus condemnationum & debitorum, quàm aliter multifariam. Nam ea vel liberalitate & Munificentia visum fuit opus esse tum ad convenientiam honoris in ipsa novitate Dominii juxta morem, & tum aliis laudabilibus & fructuosis respectibus circa statum.

In hujus novi Dominii & regiminis primitivis delata fuit ad notitiam dicti Consilii & patefacta quædam maligna seditio, quam ante transitum prælibati olim Domini Marchionis Alberti aliquot Cives Ferrarienses & Advenæ contra Majestatem conceperant ducendam ad actum, eo mortuo immediatè, si ipsis possibilitas affuisset. Sed Dominus justus, qui concidit cervices impiorum, eorum perfidiam inritam fecit. Erat autem eorum tractatio, ut Illustrem virum Azzonem Estensem natum olim Domini Francisci Estensis ad dominium Civitatis Ferrariæ introducerent. Jamque tempore obitus Domini Marchionis Alberti eorum fabrica atque suasu idem Azzo abscedens de Florentia, ubi tunc habitabat, ad Villam Capariæ Comitatus Bononiæ declinaverat, ibique suum expectans successum latitaverat. Quod tamdem sibi & complicibus visum fuerat impossibile propter adhibitas validissimas cautiones tam præsidiorum acceptorum, quàm reliquorum cum optima solertia provisorum in conservationem & fortitudinem status novelli Domini. Ob quam sic detectam seditionem aliqui ex machinatoribus capti fuerunt, & Castri carceribus introclusi, à quibus per quæstiones totius sceleris series deprompta est. Ceteri se fugæ præsidio tradiderunt, qui post pro seditione banniti fuerunt. Ipse verò Azzo tali tunc spe sua frustratus retro in Tusciam profectus est. Per dies istos progressa fama de obitu prælibati Domini Marchionis Alberti, & de successione præfati Illustris & Magnifici filii sui Domini Nicolai Marchionis Estensis: quod etiam ex more ipse novus Dominus significaverat Principibus, & Dominis, ac Communitatibus multis per Literas suas, confluxerunt ad eum undique Ambaxiatores solemnes, condolentes de patris obitu, & congratulantes de ejus successione, & offerentes eos, quorum parte missi erant, ad omnem ipsius & status ejus commoditatem. Summus verò Pontifex, & Dominus Imperator responsa sua benignissima per Literas transmiserunt. Isto tempore Oppizzo de Montegaruleo Castellanus in Fregnano, & subditus dicti Domini Marchionis, homo numquam simplex, sed semper impurus, fidifragus, versatilis, cum Antonio, & Nerio ejus filiis non dissimilibus patri, ejecto post terga omni pudore, & memoria beneficiorum susceptorum, rebellavit præfato Domino Marchioni inimicando circumvicina loca, & subditos dicti Domini quocumque sibi possibili genere hostilitatis. Propter quod Consilium dicti Domini Marchionis nolens ab eo tantas impunè pati molestias, facta confœderatione cum Communitate Lucana, quæ etiam ab ipso Oppizone erat multis injuriis lacessita, de movendo arma contra ipsum decrevit. Sic itaque missus fuit exercitus Domini Marchionis, similiterque Lucana Communitas strenuè concurrit cum exercitu suo, & frequentatis obsidionibus atque prœliis, devictisque aliquibus ex fortilitiis ejus, inter quæ fuit Rocha Pelagi, quæ erat oculus ipsius, fuit Oppizzo idem ferè ad ultimum tractus excidium, ita ut de habenda pactione penes Dominum Marchionem magnopere cogitaret in processu negotii.

Eodem Anno MCCCLXXXXIII. Die XVI. Septembris. Principiatum fuit laborerium muri & portæ de novo provisæ fieri pro barbachano & claustro introitus Burgi Sancti Antonii juxta Ferrariam versùs Burgum Ploppæ apud caput pontis Sancti Georgii super ripa: quod quidem opus sic fieri decretum fuit per Consilium prælibati Domini Marchionis tam pro decore, quàm pro tutela Civitatis. Principio mensis Octobris. Cùm

Cùm deliberatum esset noviter, quòd illi sex Cives, qui pro Populo & Communitate Ferrariæ adjuncti erant ab initio Consilio præfati Domini Marchionis, exactis jam duobus mensibus permutarentur, & alii sex Cives subrogarentur per bimestre, & sic successivè quolibet bimestri idem ordo permutationis deinceps servaretur: electi & surrogati fuerunt pro dicta Communitate infrascripti sex videlicet: Nobilis Vir Ubertinus de Guidobertis, & Bartholomæus Ottolini Draperius, Nobilis Vir Philippus de Montanariis, Petrus Rubeus Piliparius, Carnevalis de Sancto Georgio Notarius, Monte Speciarius. De mense Octobris. Quia maximi sumtus pecuniarum instabant, atque emersuri videbantur ad negotia Status & Civitatis, petitum fuit per Cives ad diminuendas expensas, quòd Studium revocaretur propter gravamen salariorum dictorum auferendum; & ita annuente Consilio præfati Domini Marchionis factum est. Eodem Anno MCCCLXXXXIII. Magnificus Dominus Dominus Franciscus Senior de Carraria natus quondam Domini Jacobi de Carraria olim Dominus Paduæ, multis magnificis & memorabilibus gestis recolendus, degens in calamitosa captivitate sub potestate Illustris Principis & Domini Domini Johannis Galeaz de Vicecomitibus Comitis Virtutum, & Domini Mediolani, de mense Octobris decessit in Montia, cujus corpus concessione ipsius Domini Comitis, natus ejus Magnificus & potens Dominus Dominus Franciscus Novellus de Carraria Dominus Paduæ aromatibus & capsis plumbeis conditum filiali ac debita pietate à Montia Paduam traduci fecit, & in Majori Ecclesia Paduæ fabricato sepulchro magnifico cum præclaris exequiis tumulari. Die XII. Novembris Magnifica Domina Domina Margarita de Malatestis filia quondam Domini Galeoti de Malatestis de Arimino, virgo desponsata Magnifico & potenti Domino Domino Francisco de Gonzaga Domino Mantuæ, transiens ad virum, venit Ferrariam, recepta in domo præfati Domini Marchionis valde honorificè juxta morem; in cujus comitiva fuerunt Magnifici fratres sui Galeotus & Pandulfus de Malatestis, ac Magnificus Dominus Dominus Ludovicus de Alidosiis Dominus Imolæ, & Magnifica Domina Domina Isabetta conjux Magnifici Domini Karoli de Malatestis cum Magnifica Domina Consorte Domini Imolæ, aliorumque Nobilium Virorum, & Dominarum comitatu. Die XXII. de mense Novembris. Transiverunt juxta Ferrariam in navibus deorsum per Paduam Magnificæ Dominæ Domina Lianoria, & Domina Catherina filiæ Magnifici Domini Domini Georgii Marchionis Cevæ de Pedemontium, euntes Ravennam ad Viros suos, videlicet Magnificos Dominos Bernardinum & Staxium fratres de Polenta, quibus erant conjugatæ auctore quondam Illustri Domino Domino Alberto Marchione ipsorum patruo & Protectore. In principio mensis Decembris fuerunt permutati Consiliarii Cives, & subrogati pro bimestri juxta ordinem infrascripti sex Cives, videlicet: Nicolaus de Fabro, Bartholomæus Acaris Speciarius, Jacobus Bilionus Notarius, Antonius Zuchetta Strazarolus, Nicolaus Brunellus Becharius, ... Isto tempore Dominus Franciscus de Saxolo miles, qui jamdiu propter rebellionem tempore inclytæ memoriæ quondam Illustris & Magnifici Domini Domini Nicolai olim Marchionis Estensis expulsus, exul per diversa climata Orbis erraverat, audito de obitu præmemorati Domini Alberti Marchionis, & præsumpta inde spe possibilitatis ineundæ suos olim penates per facinus vendicandi, de occupanda terra Monbaranzoni cum quibusdam loci ipsius hominibus primum tractatum tenuit, ita ut illis faventibus atque introducentibus nocturno tempore ipse Dominus Franciscus Terram occupaverit. Post quæ Rocham per deditionem obtinuit, deinde paucis interjectis diebus Terram Montiszibii, successivè Arcem, & ulterius quædam alia Fortilitia minuta. Ad quæ omnia tentanda atque patranda Attus de Rodilia Dominus Castellarani Comitatus Regii, fervidus hostis ac rebellis Domini Marchionis, tam cum præsentia propria, quàm cum suis hominibus & auxiliis prædicto Domino Francisco continuè ac pertinaciter assistebat. Hujus quidem Atti de Rodilia pater longo tempore & successivè ipse Attus cum fratre suo usque ad obitum Illustris Domini Marchionis Alberti fuerant Domus Estensis recommendati, & adhærentes, atque provixionati; nunc autem demersa in baratrum fide idem Attus ad omnem perfidiam se dicaverat. Circa finem Decembris Oppizo de Montegaruleo, qui se cum filiis suis in principio Dominii novi Domini Marchionis rebellem fecerat, atque hostem diversis criminibus adhærendo, etiam & receptaculum ac favores dando Azzoni Estensi, tandem conflictatus usque ferè in extremum bello sibi illato à Domino Marchione, & Lucanis, sicut ante fuit mentio, nullumque cernens suis criminibus remedium, nisi ad gremium ipsius Domini Marchionis confugere, de pacificatione referri fecit. Ad quod annuente Consilio in aliarum rerum necessitate, & concesso ei salvoconductu impunè veniendi, ipsoque adventante, & de commissis veniam implorante, factum est, quòd ad gratiam dicti Domini Marchionis cum debito obedientiæ clementer reassumptus est. Qui deinde ad propria remeans, Rocham de Pelago, quam amiserat, & quæ in potestate Lucanorum erat, per dolum recuperavit non multos post per dies.

Anno prædicto de mense . . . . . Paulus de Guinigiis Nobilis Civis Lucanus dominium Civitatis Lucæ de Tuscia, quæ in libertate regebatur per Populum, occupavit.

Anno Domini MCCCLXXXXIIII. Cùm jam evanuissent certi conatus Azzonis Estensis, quos ipse quamplurium complicium suorum consilio & sequela ad dispendium Dominii & Status prælibati Illustris Domini Domini Marchionis Nicolai novi Domini attentaverat, ipse illectus oblatis sibi favoribus certorum Castellanorum de Mutinensi, videlicet Domini Zordani de Savignano, & Lanzaloti de Montecuculo subditorum præfati Domini Marchionis, nec non Atti de Rodilia supra memorati, circa negotia Civitatis Mutinæ intentum & conatum admovit, ut exinde sibi foret ad reliqua prævium fundamentum. Cui Azzoni adhæserat, & continuè assistebat Dominus Raphetus de Maro-

Marocellis miles Ferrariensis extorris. Itaque seditionibus, & præsidiis, aliisque discursionibus & ingeniis per ipsos omnes agebatur in Mntinensi, idemque Azzo ad stipendium suum isto tempore habuit Philippum de Pisis cum una armigerorum societate, cum qua planitiem Mutinensem vexabat; sed tamen omnia cesserunt in vanum. Hoc tempore Consilium præfati Domini Marchionis, ut resisteretur conatibus & insidiis dicti Azzonis, & status ipsius Domini Marchionis esset in tuto, multa providet, & specialiter de augmento stipendiariorum equestrium & pedestrium in optimo numero tam Ferrariæ, quàm Mutinæ, & in reliquis locis juxta rei exigentiam. Et deinde vir strenuus Azzo de Castello de Mutina dux famosus armigerorum cum insigni & probissima comitiva ad servitia dicti Domini Marchionis assumtus fuit, qui in Saxolo residens omnem hostilitatem in illis partibus viriliter propulsabat. Principio mensis Februarii dicti Anni MCCCLXXXXIIII. Facta fuit secundùm ordinem permutatio Consiliariorum Civium, & surrogati fuerunt pro futuro bimestri hi sex Cives, videlicet: Jacobus de Bone, Ventorinus de Guarinis, Thomas de Bondeno, Bartholomæus de Monte Speciarius, Franciscus de Prisiano Notarius, Aloixius Draperius. Successivè in primo Aprilis. Guido Pasqualetus, Federicus Maffei, Cittadinus Becarius, Benevenutus de Superbo, Bonsignorius Draperius. Subsequentes in primo Junii hi, videlicet: Johannes Pasinus Notarius, Dominicus ab Ecclesia Piliparius, Raynaldus de Codereta, Johannes Facii Speciarius, Merlus Becharius, Ziliolus à Caris. Quibus functis officio per dictum bimestre nulli alii fuerunt subrogati, sed cessavit ordo post dictos. Remansitque tota Consilii summa & auctoritas in reliquis continuis Consiliariis Domini, videlicet: Domino Philippo de Robertis, Johanne de la Sale, & Domino Thoma de Obicis, Bartholomæo de la Mella. Eodem Anno Porta inferior Civitatis Ferrariæ, quia informis erat, nihil habens moderni decoris, nec satìs valida, provisione Consilii præfati Domini Marchionis reparari & fortificari cœpta fuit, in optimam formam fabricata successivè, & fovea extera recavata.

Eodem Anno MCCCLXXXXIV. die XIX. Februarii, fuerunt strascinati per Civitatem Ferrariæ, & demum ducti extra Portam Leonis suspensi fuerunt laqueo Albertinus de Utino, Currerius, Orvasinus Faber de Sancto Felice, Antonius de Fossalta Strazarolus, Jacobus Barberius, & Bartholomæus Strazarolus. Quorum causa fuit, quòd tractassent contra Majestatem, spondentes Azzoni Estensi, qui nunc erat Venetiis, occidere Dominum Philippum de Robertis & Johannem de la Sale Consiliarios Domini Marchionis, & introducere ipsum Azzonem in Ferrariam sub ficta veste, atque tumultum in populo excitare: in quam machinationem potius ex dementia quàm ullo recto argumento prolapsum habuerant cùm essent conditionis infimæ atque dejectæ. Et die XII. Martii. Suspensus fuit laqueo in littore Padi juxta mœnia Civitatis quidam Ambrosius de Mediolano, cui prænomen erat Corazza, familiaris in domo Domini Marchionis, quia Azzoni Estensi tunc existenti Venetiis ad eum clam pergens promiserat se suum esse exploratorem & notificatorem de omnibus, quæ Ferrariæ agebantur. Eodem Anno MCCCLXXXXIV. Paulus de Lendenaria longævus familiaris in Domo Estensi, & olim pincerna Illustris Domini Marchionis Alberti, die XII. Junii fuit judicatus ad mortem & strascinatus usque ad Ripam Padi extra Portam Sancti Pauli, fuit ibidem suspensus ad furcam, eo quod veneficio machinatus diceretur agere contra vitam dicti Domini Marchionis Nicolai ad instantiam Azzonis Estensis, & Domini Rafeti de Marocellis. His diebus videns Azzo Estensis, se hactenus omnia frustra tentasse, concipiensque se nihil profuturum, quoad tam valida latera præsidiorum & favorum essent prælibato Domino Marchioni collata, & præsertim à Ducali Dominio Venetorum, & à Magnifica Comunitate Bononiensi fautoribus suis suggerentibus, pro divertendo precibus suis eorumdem auxiliorum præstationem ad magnificos Dominos Bononienses personaliter iter susceperat à quibus petitio ejus nullo pacto fuit exaudita, sed omnino neglecta. Ipse deinde Venetias ad Ducale Dominium se contulerat, quod & similiter suam sprevit petitionem. Et insuper quia per Oratores ipsius Ducalis Dominii existentes Ferrariæ tunc fuit eidem Domino significatum de tractatibus habitis per dictum Azzonem Venetiis, præcipuè cum illis, qui nuper fuerant suspensi, ut supra fit mentio, ipsum Ducale Dominium edici fecit eidem Azzoni repentinum discessum à Venetiis, & finibus suis. Tunc ipse secus Provinciam Forojulii secessit ad Dominum Schinellam de Collalto cognatum suum, & operam attulit circa pedites congregandos & traducendos ad dispendium prælibati Domini Marchionis in Romandiolam. Cùm jam concepisset in Regione illa, videlicet Romandiolæ, cum favore Comitis Johannis de Barbiano viribus & progressibus se munire. Sed hæc omnia Consilio præfati Domini Marchionis per exploratores nota fiebant, quòd in rebus & cautionibus quotidianis optimè providebat. Nullas tamen, vel paucas peditum subventiones dictus Azzo loco illo trajecit. Verùm & ante hoc tempus, & hoc tempore, & in subsecuto postmodum tempore, dictus Azzo sæpe de industria simulatè fingebat se optare concordiam cum præfato Domino Marchione. Quam simulationem præcipuè faciebat penes Magnificos Dominos Florentinos, Bononienses, ac Ducale Dominium Venetiarum, & pro eadem concordia conficienda ipsa dominia se libenter offerebant, atque operabantur, volente, & in nullo recusante Consilio Domini Marchionis, sed ad ipsam concordiam se continuè offerente sub conditionibus honestissimis & convenientibus. Multas quoque practicas super hoc dicta Dominia incœperunt; sed Azzo inconstanter se habens cum ineptitudine suarum petitionum à prosecutione concordiæ diffidebat.

Eodem Anno MCCCLXXXXIV. de mense Junii. Crescentibus indesinenter & usque ad omnem insupportantiam rebellionibus & insidiis infestissimi hostis Atti de Rodilia, quæ infinitæ erant, & maximæ de favoribus, quos afferebat, Azzoni Estensi, & Domino Francisco de Sassolo, nam propter loci commo-

moditatem & situm, videlicet Terræ suæ Castellarani, potens erat multa facere nocumenta: Consilium dicti Domini Marchionis decrevit bellum sibi inferendum, & Oppidum suum obsidendum, atque auferendum pro posse. Facto igitur omni gentium equestrium & pedestrium exfortio, & acceptis à Colligatis auxiliis, factoque exercitu, cui fuit Capitaneus Nobilis vir Antonius de Robertis, firmata fuit obsidio contra Terram ipsam Castellarani, atque erecta bastita fortissima, & frequentibus insultibus ac bombardarum & balistarum flagellis quotidie pugnatum non sinè cæde multorum. Nam in subsidium ipsius Atthi ex locis Domini Comitis Virtutum pedites & equites clandestinè mittebantur. Perseveravit obsidio ista certos per Menses; sed appropinquante hyeme & aliis necessitatibus cingentibus decretum fuit, quòd obsidio ipsa removeretur, & sic destructa bastita fuit inde exercitus revocatus. Dum autem in dicta obsidione stabatur de mense Julii, ad notitiam Consilii prædicti delatum fuit, Azzonem Estensem, qui de Forojulio in Romandiolam venerat, congregatis cohortibus velle invadere Ferrariam: propter quod pauca erant præsidia Ferrariæ, & Mutinæ, Consilium ipsum subventionem adjutorii à Dominis Bononiensibus, & à Ducali Dominio Venetorum impetravit. Illicoque de Bononia ad exercitum prædictum, ut fortior esset, centum lanceæ equestrium cum CL. peditibus Ferrariam, XL. lanceæ & CL. pedites Mutinam missæ sunt: De Venetiis verò Ferrariam duæ Banderiæ bonorum Balistariorum missæ ab illo Domino advenerunt. Eodem Anno die X. Septembris. Propter scelestissimas actiones, ad quas pervicaciter vacaverant & vacabant sinè intermissione Dominus Jordanus de Savignano, & Dominus Raphetus de Marocellis, ipsi ambo ad arrengeriam Comunis Ferrariæ præconia voce pronunciati sunt Hostes & rebelles Domini Marchionis, & positi in banno perpetuo cum bonorum publicatione, ista superaddita conditione sive talea proscriptionis, quòd quicumque eos aut alterum eorum vivos sive vivum traduceret in fortiam Domini Marchionis, lucraretur ab eo Ducatorum tria millia auri pro quolibet ipsorum. Quicumque verò eos mortuos aut alterum eorum mortuum præsentaret, Ducatorum duo millia pro quolibet acciperet. Et si aliqua Communitas ullius loci id faceret, lucraretur pretium antedictum. Et si foret sub Dominio Domini Marchionis, exemtionem perpetuam ab omnibus gravaminibus obtineret. Eodem tempore bona dicti Domini Jordani existentia Mutinæ publicata fuerunt, postea penates sui, sive domus antiquæ, funditus eversi atque diruti.

Eodem Anno MCCCLXXXXIV. de mense Septembris. Padus fluvius mirabiliter excrevit, itaut nullis juvantibus repagulis fregerit juxta Casellas Massæ superioris Districtus Ferrariæ die XIV. Item die XX. noctis tempore fregit ad Fossadalbarum, faciens sibi scissuram sive ruptam vastissimæ latitudinis, & tanti impetus aquæ, quòd poterat illa regio uni pelago comparari. Tantaque fuit eo tempore ipsius Padi in aquis licentia, quod fuit multorum opinio, nisi aquæ partem per certas ruptas factas in Lombardia extra alveum divertisset, eum pæne totam Ferrariam submersurum. Circa finem mensis Augusti. Præfatus Illustris Dominus Marchio, & Magnifici Domini Bononiæ conduxerunt ad sua stipendia strenuum Virum Azzonem de Castello de Mutina, Dominum Spezani cum mille equitibus, mansurum in campis in Mutinensi Territorio ad exterminium quorumcumque hostium, & ad protectionem status Domini Marchionis, & etiam Communitatis Bononiensis in quolibet casu necessitatis. Et quoniam Azzo ipse erat summæ industriæ rerum bellicarum, eratque probatissimæ fidelitatis & fervoris ad statum dicti Domini Marchionis, ipse Dominus constituit eum suum Capitaneum Generalem super omnes gentes armigeras, concessitque sibi pro residentia sua, & in ejus custodia posuit Terras Saxoli, atque Formiginis, loca aptissima ad offendendum Rebelles, & arcendum eos ab offensis. Nam eo tempore Dominus Franciscus de Saxolo, & Attus de Rodilia cum alienis etiam favoribus admodum erant infesti. De mense Septembris Terra Formiginis Districtus Mutinæ per Illustrem Dominum Marchionem prædictum donata fuit strenuo viro Azzoni de Castello supra proximè memorato. Die IV. Novembris præfatus Illustris Magnificus Dominus Dominus Marchio Estensis &c. & Consilium suum, videlicet Dominus Philippus de Robertis, Dominus Thomas de Obicis, Johannes de la Sale, & Bartholomæus de la Mella, de conscientia & assensu Civium & Communitatis Ferrariæ fecerunt cum Magnificis Dominis Ravennatibus Bernardino, Straxio, Oppizone, Aldrovandino, & Petro, & Domino Azzone fratribus de Polenta cambium, & permutationem de Terris Bagnacavalli, & Cutignolæ, pro Riperia Filli usque ad Sanctum Albertum, sicut patet Instrumento publico ipsius permutationis. Quam quidem permutationem eo tempore sic faciendam esse visum fuit utile, & admodum necessarium ad statum Domini Marchionis multis respectibus, sed in speciali propter ambiguam fidem dictorum Dominorum Ravennatensium seu aliquorum ex eis, quos constabat fovere partes Azzonis Estensis. Die nono Augusti. Terra Mellariæ Domini Marchionis decreto Consilii sui, & de scientia Civium Ferrariæ, cum quibus hoc præcommunicatum exstiterat, consignata & posita fuit in manibus Magnifici & Potentis Domini Domini Francisci de Gonzaga Domini Mantuæ nomine & loco pignoris & securitatis pro debito Ducatorum XXVIII. millium auri, ad quod sibi tenebatur præfatus Dominus Marchio pro prioribus debitis Illustrium olim Patrui & Genitoris prædecessorum suorum, ut patebat ex Libris. Circa hujus Anni exitum Terra & Rocha Marani Comitatus Mutinæ venit in manus & gubernationem spectabilis Militis Domini Marci de Piis de Carpo permissione Domini Marchionis, qui eam suo nomine gubernandam concessit eidem Domino Marco. Tamen res ista quodammodo non voluntaria propter jam anticipatam occupationem per Nicoloxium de Piis fratrem Domini Marci, instigantibus quamplurimis ex hominibus ipsius loci, qui contra spectabilem virum Jacopinum de Rangonibus diffidere cœperunt, ubi in perpetuum de factione Rangonorum satis esse videbatur. Eodem Anno Populus & Communitas Januensis se &

& Civitatem Januæ subdidit Illustrissimo Principi & Domino Domino Karolo Regi Francorum, & in ipsius Regis protectione & gubernatione se commendavit, sublato pristino & longævo ritu sui regiminis, videlicet, habendi Ducem & Senatum in sua Republica, propter civiles dessidentias, quæ Civitatem illam tam magnificam pæne deleverant. Cui Civitati præfatus Dominus Rex Locitenentem Regium & Gubernatorem præfecit magnificum & præcipuæ strenuitatis Militem Dominum Johannem Lemeingre dictum Boutiquant Marescalchum Franciæ, vulgò verò nominatum Bulcicaldum.

Anno Domini MCCCLXXXXV. die XI. Januarii. Decapitati fuerunt in Civitate Ferrariæ tres homines, qui conscii erant unius tractatus Azzonis Estensis procurantis invadere Territorium Ferrariense cum una Societate Armorum. Post multa per Azzonem Estensem exquisita & tentata ad dispendium Status & Dominii prælibati Domini Marchionis in Mutinensi, in Bononiensi, in Venetiis, in Forojulio, sicut ante fit mentio, in quibus omnibus se nihil profecisse cognoverat: Ipse Azzo ad antiquam omnium astutiarum matrem, videlicet Romandiolam, & ad hominem verè tali matre genitum, & cunctos pæne nostri ævi scelestos homines perfidiæ operibus superantem, scilicet Comitem Johannem de Cunio de Barbiano confugere instituit, ut tam edocti magistri consilio & auxilio successus suos experiretur. Profectus itaque ad eumdem penes ipsum per multos dies versatus est in Oppido Barbiani, & interim fabricatis ex maligno Magistri talis pectore machinationibus, fuit sibi consilium & decretum, ut gentem equestrem & pedestrem in quanto numero reperiretur congregaret, & trajicerent citra Padum, ut exinde Azzo prædictus ad optatum suum attingeret: Quod sibi facilè eventurum arbitrabatur, quam primum tali munitus præsidio Territorium Ferrariense ingredi posset. Ad hunc autem conficiendum apparatum, idem Comes Johannes cum omni solertia intendebat, tum illectus pretio nummorum sibi datorum ab Azzone, tum spe & ingluvie maximæ prædæ, tum etiam aliis amplissimis sponsionibus meritorum, quas ipse Azzo protulerat, & præcisè Terrarum Lugi & Consilicis sibi vicinarum. Concurrerunt insuper ad ista commercia duo ex Dominis Ravennæ, videlicet Obbizo, & Petrus Fratres de Polenta consanguinei præfati Domini Marchionis, immemores profectò, & ingratissimi tam cognationis colendæ, quàm innumerabilium beneficiorum Patri eorum, & demum ipsis collatorum ab Illustribus quondam Patruo & Patre præfati Domini Marchionis, sinè quibus beneficiis erat Domus de Polenta omnino Ravennæ Dominium amissura. Sed superabat avaritia rationem, semper inimicatrix fidei, atque morum. Nam erat, ut dictavit fama, inter eos, & Azzonem inita conventio, ut remunerationis favorum suorum loco Civitatem Comacli & Riperiam Filli essent habituri. Convenit etiam alter ex Dominis Forlivii Cechus de Ordelaffis, cui magnificorum præmiorum promissio facta fuit. Dividebant igitur, & sortem ponebant super incertum, immo verius ab omni consecutione semotum. Paratur deinde communi omnium eorum studio atque jussu multitudo armatorum tam ex stipendiariis, quàm ex subditis, usque ad numerum MD. æquestrium, & DCCC. peditum. Parantur naves studio prædictorum Obbizonis & Petri de Polenta. Deliberant de loco transitus Padi, videlicet juxta Primarium in finibus Ravennatibus ultra citraque Padum. Statuunt diem, videlicet XX. Januarii, & tamdem ad iter se accommodant. Applicat se iis Comes Lodovicus de Zagonaria. Cùm autem hæc sic pararentur, fuit per quosdam ex locis illis amicos præfati Domini Marchionis in secreto Ferrariam delatos Consilio ipsius Domini nuntiatum negotium hujus tanti motus & intentionis, sub incertitudine tamen specialis diei, atque loci, quibus esset transitus ipse tentandus. Quamobrem consilium præfatum sinè mora Navigiorum armatam cum omnibus ad defensam necessariis, & robustis pugnatoribus, ac balistrariis, & remigibus jussit navigare, ut loca illa aquatica usque ad mare lustraret, atque hostium transitum impediret. Insuper equitatum armigerum de Ferraria ad loca illa eadem causa transmisit. Et ecce die prædicta, videlicet XX. Januarii, Azzo Estensis, Comes Johannes de Barbiano, Obbizo, & Petrus de Polenta, ac Cecchus de Ordelaffis, & Comes Lodovicus de Zagonaria prænominati, cum numero gentium antedicto se præsentantes ad litus sive ripam Padi juxta Primarium, ubi navigia quædam missa de Ravenna parata erant, pedites primò trajicere nitebantur: Opposuerant se in altera ripa equites missi de Ferraria; sed superveniens classis, sive armata Domini Marchionis acrem impetum fecit in multos, qui jam navibus impositi transpadare cœperant. Navigia dissipat, ipsosque omnes transeuntes vel submergit, vel captivat, vel retrocedere cogit; equestrem verò turbam in littore stantem, cujus nulla pars adhuc transitui se commiserant, ballistis impetit atque bombardis. Itaque dictus Azzo cum Ministris suis & tota turba retro pulsus, & omni sua intentione frustatus, abiens se cum alumno suo Comite Johanne ad speluncam, à qua prodierat, videlicet Barbianum, cum ignominia remeavit. Ceteri complices cum pœnitudine tentati facinoris ad patrias redierunt.

Repulsis, ut supra dicitur, hostibus, & cognito quantum causæ talis novitatis constiterant in illis duobus Dominis de Ravenna, & ad auferendum sibi omnem possibilitatem in Pado, ille, qui præerat armatæ Navigiorum prædictæ, videlicet Franciscus de Bellais cum promtitudine omnium, qui in armata ipsa erant, classem adduxit ad faucem Cavodorcii, ubi erat bastita quædam Dominorum Ravennæ, & facili prœlio & incendio captivatis custodibus devicit eamdem. Deinde jussu Domini Marchionis, sive ejus Consilii, fuit juxta locum illum alia bastita fortis ædificata, ac munita custodibus & aliis necessariis. Fuitque clausus introitus Cavodorcii cum una palata, & interdicta negotiatio ac transitus de Ravenna Ferrariam, habitis deinceps dictis Dominis Ravennatibus pro hostibus Domini Marchionis, & ablatis sibi omnibus suis possessionibus & Jurisdictionibus citra Padum usque ad mare.

Et

Et post paucos dies fecit dictum Consilium invadi, & discurri territorium eorum per viam de Primario & de Pigneta cum ingenti præda grossorum animalium. Quæ discursio facta fuit sub ductu egregii Viri Johannis de la Sale Consiliarii dicti Domini Marchionis. Quum de novitate supradicta per Azzonem Estensem & ceteros nominatos tentata fama ad Magnificos Dominos Bononienses evolasset, repente coacto Consilio suo ipsi Domini censuerunt esse usque ad ultimum virium Communitatis Bononiensis securitati & necessitatibus prælibati Domini Marchionis illico subveniendum. Et è vestigio ex gentibus suis armigeris CX. lanceas Ferrariam direxerunt. Ducale verò Dominium Venetorum eadem cognita novitate Galêam unam misit ad Portum Primarii. Deinde requisitum & rogatum à Domino Marchione, sive ejus Consilio, de præsidio, misit duas Galêas, & XL. barchas armatas cum ducentis balistariis ad fauces Padi in mare, Ferrariam verò C. balistarios. Nec non misit quinque ex suis Nobilibus notabiles Cives, ut assisterent Domino Marchioni consilio & favore cum amplissima oblatione omnium necessariorum subsidiorum. Item misit in Policinum Rodigii XX. barcas armatas pro custodia passus Abbatiæ, ne quicquam noxii à superioribus partibus posset in dictum Policinum declinare. Insuper Magnifici Domini Florentini centum lanceas miserunt Ferrariam, offerentes se ad reliqua necessaria. Transacto autem certo temporis intervallo, Azzo Estensis à Barbiano discedens, se in Territorium Mutinæ transtulit ad complices suos, videlicet Attum de Rodilia, Dominum Jordanum de Savignano, & Dominum Franciscum de Saxolo, ac Lanzalotum de Montecuculo, quorum omnium auxiliis ad offensas quotidie nitebatur, & in partibus illis, frequentiusque in Castelarano penes Attum de Rodilia prædictum, moram transit usque in mensem Februarii sequentis anni; nam pluries & pluries conflictis & repulsis suis, & dictorum suorum complicium turmis per strenuum Virum Azzonem de Castello, de quo supra fit mentio, idem Azzo Estensis sedem suam in Oppido illo Castellarano firmaverat, quasi amodo omni spe voti sui destitutus. Et interea cum ipso Azzone Estense dicente se velle concordiam cum Domino Marchione per interventum Ducalis Dominii Venetorum, & Magnificorum Dominorum Florentinorum & Bononiensium tenta fuit ingens practica de ipsa concordia facienda; sed superveniente obitu Azzonis de Castello, de quo obitu infra fit mentio, ipse Azzo ab omni practica resiliit, opinatus se majora consecuturum.

Eodem Anno MCCCLXXXXV. die III. Februarii. Cùm strenuus vir Azzo da Castello, de quo supra facta est mentio, de Saxolo Ferrariam venisset tam gratiâ visitandi Illustrem Dominum Marchionem, quàm conferendi de opportunis & emergentibus cum Consilio ipsius Domini, nam in magna ipse reputatione & honore penes ipsum Consilium habebatur, præfatus Dominus Marchio spatiandi gratiâ ad Pomerium suum, quod dicitur Belfiore, juxta Urbem Ferrariæ se transferens, eumdem Azzonem de Castello, & egregium virum Antonium de Obicis insignem Caporalem sub ipsius Azzonis conducta secum duxit, comitantibus etiam quibusdam aliis consociis & familiaribus. Dumque super pratum latissimum dicti Pomerii ventum esset idem Dominus Marchio, licèt puer, animi & indolis suæ strenuitate suasus instititit sibi ostentari similitudinem congressionum sive scaramuciarum, quæ inter armigeros hinc inde in campis exercentur. Cujus Domini petito obtemperantes Azzo de Castello, & Antonius de Obicis antedicti cum nonnullis aliis ex Comitibus suis per pratum illud cursu equorum suorum congrediebantur & discurrebant velocissimo. Inter hæc cursu ad invicem congredientibus transitive Azzone & Antonio, accidit sinistro fato, quòd latere equi ipsius Antonii idem Azzo compressus fuit in genu sinistro, quod aliquanto diu ante ex quodam vulnere ægrum habebat; fuitque tanti impetus & doloris illa contusio, ut Azzo ipse semianimis efficeretur. Defertur in urbem, & in domo reponitur sibi continuè pro sua residentia constituta, quæ Domus Alba vocatur. De Medicis quoque medelis ceterisque necessariis jussu Domini, & sui Consilii curiosissimè providetur. Sed omnibus frustra tentatis ex vehementia doloris coactus in pasmum sequenti nocte decessit. De cujus morte, tamquam admodum pro temporis illius conditione dispendiosa negotiis status Domini Marchionis, ipse Dominus Marchio, Consiliumque suum, & alii, qui sana mente meditabantur, non mediocriter doluerunt. Consilio ipso proinde super incumbentibus curas vigiles & provisiones optimas adhibente, sequenti die idem Dominus Marchio cum Consilio suo, & sumptibus suis, corpus dicti Azzonis deferri fecit ad funus in majorem Ecclesiam Ferrariensem honorificè valde. Affuerunt inter cetera XII. Banderiæ cum insigniis illius, & duæ de bruna, delatæ omnes super equis coopertis sindone nigra ad Armam suam, & uno cum suis armis, & uno cum vexillo sive pennono ad armam Sancti Georgii. Et Dominus Marchio, omnesque Consiliarii, ac Nobiles, & ingens numerus Civium dicto Funeri interfuerunt. Quum innotuisset Domino Marco de Piis de Carpo militi de obitu suprascripti Azzonis de Castello, ipse Dominus Marcus Spezanum, & Formiginem de Mutinensi Territorio Oppida ejusdem quondam Azzonis sibi concessa, videlicet Spezanum à quondam Illustri Domino Marchione Alberto, & Formiginem ab Illustri moderno Domino Nicolao Marchioni ejus filio, ductis præsidiis occupavit, & tenuit cum fratribus suis. Circa dies illos Terra Florani cum Rocha vênit ad manus Nobilium de Bojardis, videlicet Gerardi, & fratrum filiorum quondam Domini Salvatici de Bojardis de Irberia. Sublato per mortem Azzone de Castello, sicut proximè supra fit mentio, Azzo Estensis, qui in Castellarano diversabatur, ut ante dictum est, ad ulteriores processus intentionis suæ animum reassumens, cùm jam amodo difficilius obstaculum, videlicet ipsum Azzonem de Castello, sibi censeret ablatum, destituta omni practica, qua de concordia conficienda secum agebatur, accersitis ad se complicibus suis, & consultatione secum facta, Romandiolam rursus petere statuit, & artifici scele-

ſerum Magiſtro ſuo Comiti Johanni de Barbiano inhærere, ut deinde circa reliqua conſilium prenderetur. Prædigeſta igitur re inter eos per Nuntios atque Literas, & Comite Johanne ad id prono, ſicut & ad cetera facinora ſemper ac maxima exinde ſperante, idem Azzo Eſtenſis cum fidis complicibus & Comitibus ſuis Attone de Rodilia, & Lanzaloto de Montecuculo, & aliis quamplurimis, qui eum ſequebantur, abiens à Caſtellarano Barbianum profectus eſt. Ibique morabatur penes Comitem Johannem, conferens & agitans ſecum de progreſſibus ad intentum. Et per hos dies Comes ipſe Johannes captus cupidine Terræ Lugi, ipſam crebris inſultibus & moleſtiis, nihil tamen proficiens ex intentione, pulſabat.

Eodem tempore de menſe Martii. Cùm jam dictus Azzo Eſtenſis, ſicut præmiſſum eſt, penes Comitem Johannem in Barbiano degeret, ac multa tentaret contra ſtatum præfati Illuſtris Domini Marchionis, quæ pro majori parte per exploratores Conſilio ejus nota diætim fiebant: Magnificus miles Dominus Philippus de Robertis, in quo ferè totus Conſilii principatus conſiſtebat, & egregius vir Johannes de la Sale etiam unus ex Conſiliariis, ac Dominus Antonius de Montecatino Judex Curiæ, & de Conſilio etiam, inſciis ceteris de Conſilio, cum dicto Comite Johanne de occidendo Azzone Eſtenſe præfato tractatum tenuerunt, interprete & machinatore ejuſmodi. Ad quem tractatum Johannes ipſe ſolertem operam dabat, nulla tamen alia magìs tractus cauſa, quam ingluvia maximæ remunerationis, qua ad votum fieri ſe locupletem ſperabat, quia ſic ab auctoribus ſponſionem acceperat. Erat quidem tractatus idem, quòd Comes Johannes Azzonem perimi faceret, & quòd ob id Terras Lugi & Conſilicis cum ſuis fortilitiis, quæ tunc erant Domini Marchionis, ac certam nummorum quantitatem lucraretur. Quarum Terrarum conſignatio & dimiſſio ſibi facienda eſſet quamprimum de occiſione Azzonis clarè conſtaret. Et in ea re bene cognoſcenda ac teſtimonio verificanda, eſſet dictus Interpres miniſterium operis habiturus. Ita fuerunt interceſſu Interpretis fœdera ſtabilita. Et ut de cautione Officialium ſtipendiariorum, aliarumque gentium Domini Marchionis in Terris illis exiſtentium, & ad illas hac de cauſa mittendorum, provideretur, fuit à Comite Johanne impetratus ſalvus conductus & fidantia in pleniſſima forma pro illis omnibus cum rebus ſuis dimittendis liberè, & illæsè egredi Terras ipſas in earum conſignatione, & repetere Ferrariam ſinè ulla reali vel perſonali novitate. Ad iſta omnia perficienda oſtendebat ſe Comes Johannes ſimpliciter & tota intentione procedere; ſed antiquus in homine tali fallacitatum mos intra doloſi pectoris fabricam verſabatur. Cogitavit enim per acutiſſimæ proditionis viam pollicitum ſuum irritum fieri, & Terras illas nihilominus eripere, atque ſalvi conductus fidem infringere. Ventum eſt tamdem ad terminum præfixi diei facinoris committendi, & inſtitor Interpres, videlicet Johannes de Sancto Georgio, ut omnia palpet, teſtimonium facturus, illuc ſe transfert. Cùm autem doli fabricator Comes Johannes Azzonem conſcium feciſſet, atque

A faciliter induxiſſet ad aſſenſum doli ſui, familiarem unum Atthi de Rodilia inibi exiſtentis non parum habentem de ſimilitudine formæ Azzonis indui fecit ſub fictione joci veſtes & caligas ac caputeum Azzonis, quibus die illa uſus erat paulo ante hanc horam viſus per dictum Interpretem in veſtibus illis. Hæc equidem ſimulata veſtitio acta erat in Camera quadam ſecreta, in quam Azzo antequam veſtes traderet perituro tranſiverat, de induſtria vidente Interprete, & credente eum illic eſſe interficiendum, ſicut data erat intentio, ac excidium promiſſum expectante in alia Camera illi contigua. Mox remotis per aliud oſtium Comite Johanne, & Azzone ſervus ille ſic veſtitus victi- B ma triſtis, & ſuæ immolationis ignara, per manus Conſilicis Comitis Johannis affinis, & aliorum carnificum confoditur pugionibus, videlicet daghis & enſibus in omnibus partibus corporis, ſed pluribus multiplicioribus vulneribus ſuper facie, ut difficilior cognitu efficeretur fallacia in contemplatione faciei. Audiebat Interpres ſtrepitum & infelices oppreſſi gemitus & clamores. Quo extincto evocatur Interpres ipſe, & trucidatum taliter cadaver oſtenditur. Et inſtante ſinè mora Comite Johanne hoc nunciari Ferrariam illis, cum quibus tractatum habuerat, & ſibi exſolvi promiſſum de Terris conſignandis. Eoque ſignificato cum C celeritate permaxima per Interpretem ſuis literis firmiter atteſtantem de viſu, Azzonem fore interemptum, tranſmiſſus fuit Magiſter Bertholinus Ingeniarius Domini Marchionis, & cum eo Nicolinus de Bonazolis ipſius Domini Cancellarius, dato ordine eidem Magiſtro Bertholino cum literis & ſignis de conſignatione ejuſmodi Terrarum & Fortilitiorum Comiti Johanni facienda, ſciſcitaturo & ipſo Magiſtro, ſi ita conſtabat de facto, quemadmodum literæ dicti Interpretis nunciaverant. Et cùm ipſe profectus Lugum, versùs Barbianum tranſiret, ut rem ab Interprete iterato conciperet, & oculo- D rum fide concerneret, ecce turbam in itinere obviam habuit familiarium atque Satellitum Comitis Johannis versùs Lugum equitantium, ut pro Comite ipſo introitum haberent, ducentes ſecum Interpretem memoratum; erat quidem jam nox. Et dum prope inſimul conveniſſent, inquit Magiſtro Bertholino ſciſcitanti Interpres, nulla profectò eſſe amplius inquiſitione neceſſe, quia interemptum Azzonem ipſe cum omni certitudine viderat, & cognoverat, propterea eſſe ad conſignationem Terrarum ſecundùm conventionis debitum intendendum. Ducebant etiam ſecum ſub ficta ſpecie captivitatis compoſitæ fraudis participes Atthum de E Rodilia, & Lanzalotum de Montecuculo falſis ejulatibus mortem Azzonis & captivitatem propriam illius cauſâ querulè deplorantes. Retrogreſſus itaque Magiſter Bertholinus ingreſſum Terræ & fortilitiorum patere fecit, illique introeuntes noctu, ut erat, omnia occuparunt. Similiter & de Terra Conſilicis & ejus fortilitiis actum fuit Comiti Johanni per ſuos nuntiato, in poteſtatem ſuam omnia ſic redacta, ut irrevocabilia forent, ſequenti diluculo ipſe, cum equitatu magno Lugum properavit, ſecum habens Azzonem Eſtenſem paulò ante creditum

tum

tum mortuum, & Comites Ludovicum, & Manfredum, ac quosdam alios de progenie sua, & introgressus omnia suo modo composuit; & ne quid suæ perfidiæ deesset universos Officiales stipendiarios atque nuntios Domini Marchionis jam se accingentes ad recedendum, sicut credebant sibi licere vigore dati salvi conductus, tamquam in hostes irruens, captivavit, incipiens à Capitaneo, qui erat Anfrionus de Obicis, & a Vicario, qui erat Dominus Bartholomæus de Dinagiis de Regio, Magistro Bertholino Ingeniario, & Nicolino de Bonazolis Cancellario supra memoratis, & Camerario, qui erat Ugolinus Jordani, & procedens ad stipendiarios equestres, inter quos erat Clericus de Crespellano, & pedestres, sicque usque ad ultimum quemque indifferenter, impositis deinde gravissimis taleis quibuslibet captivatis, nullo excepto præter stipendiarios; sed & his equos & arma abstulit. Hoc idem factum fuit contra existentes in Terra Consilicis pro Domino Marchione. Tunc se patefecit apertè Azzo Estensis & tota peractæ fraudis series vènit in lucem: quæ res delata Ferrariam pro tanta rerum jactura hominum animos vehementissimè perturbavit, sed illorum permaximè trium, qui factum illud sub spe finis & quietis imponendæ molestiis tam curiosè tentaverant. Insuper ne interpres etiam, videlicet Johannes de Sancto Georgio supradictus transiret sinè præmio sui laboris, Comes Johannes, instante multum Azzone de illius supremo excidio, eum retroductum Barbianum in miseram captivitatem conjecit, & certò tempore tenuit, extortis etiam ab ipso pecuniis: quod quidem fuit ipsius Johannis quo ad opes & famam irreparabile detrimentum.

Ob tam dispendiosæ novitatis casum postulatis per Consilium Domini Marchionis præsidiis, Ducalem Dominium Venetiarum repente dedit duas Galèas, & XL. Barchas armatas cum ballistariis in optimo, nec non duos ex suis Nobilibus cum ducentis ballistariis bene armatis, Communitas Bononiæ lanceas L. armatorum, Communitas Florentiæ lanceas L. Dominus Mantuæ lanceas XL. & Dominus Paduæ lanceas XXX. Et his diebus ad Fossatum Zanioli in finibus Argentæ fecit dictum Consilium bastitam unam fabricari. Post hæc præfatus Illustris Dominus Marchio, sive ejus Consilium, concurrentibus ad id Magnificis Dominis Florentinis & Bononiensibus ac Magnifico Domino Astorgio de Manfredis Domino Faventiæ, deliberavit guerram facere Comiti Johanni de Barbiano supradicto: propter quod optima armigerorum copia sub probis Ducibus ex gentibus horum omnium ad præfatum Astorgium missa fuit, cum quibus dictum Comitem Johannem & loca sua continuis bellorum strepitibus exturbabat extructis bastitis & aliis oppugnaculis: quo tempore etiam structa fuit bastita Bonconforti per Dominum Marchionem & Astorgium in finibus Lugi & optimè communita.

Eodem anno MCCCLXXXXV. die 27. Martii Reverendissimus Pater Dominus Antonius Gajetanus creatus Patriarcha Aquilegiæ fuit Ferrariæ in domo D. Marchionis cum LXXX. equis & cum maximo honore susceptus. Eodem Anno de mense Aprilis. Jamtamdem exhaustis prælibati Domini Marchionis pecuniaribus facultatibus inter tot difficultatum accessiones, & urgentibus temporis ac rerum necessitatibus pro manutentione status ipsius Domini, cùm novam & non modicam thesauri reparationem habere, opus esset, sinè qua nec stipendiario præsidio, nec aliorum diversimode incumbentium expeditioni locus esse poterat, decrevit Consilium numismatis servitium ex causa mutui ab inclyto Ducali Venetorum Dominio, tamquam à certo & sperato per veram experientiam refugio, impetrare. Missis igitur ad idem Legatis, egregiis videlicet Johanne de la Sale, & Domino Antonio de Montecatino Consiliariis, ab ipso Dominio celebratis Consiliis ex more fuit impetrata voluntas mutui dicto Domino Marchioni faciendi de quinquaginta millibus Ducatorum pro quinquennio liberè, sed à quinquennio supra, si non restitueretur mutuum, subjiceretur onus meriti, quod prode dicitur, ad rationem ducatorum sex & unius tertii pro centenario sortis, juxta concurrentem tunc ritum meriti suorum impræstitorum. Ita tamen quòd loco securitatis & pignoris pro mutuo illo Terræ Pollicini Rodigii, & omnia fortilitia ibi, ac ipsorum possessio & Jurisdictio, quia sic sibi oblatum erat, in eorum ipsius Dominii & Communis Venetiarum potestate ponerentur, ac manerent, quo ad fieret sibi mutui & meriti, si quòd intercideret, restitutio: qua facta restituerentur Domino Marchioni Terræ ac Fortilitia sic deponenda, & quòd ad istas conventiones pro parte Domini Marchionis sic ineundas interveniret Communitatis Ferrariæ auctoritas & assensus, sinè quo præfatum Dominium ad talia condescendere non intendebat. Cum hac intentione reversi Legati eam Consilio retulerunt, quòd Consilium rem & causam communicans cum Civibus interpositionis adhibendæ, auctoritatis, & consensus eorum impetrationem obtinuit. Postea accersitis nonnullis hominibus de Rodigio, Lendenaria, & Abbatia explicatoque negotio cum exhortationibus, ut eorum abdicatio ad Venetos in tanta rei incumbentia sibi gravis non foret, cùm essent infra breves annos sub solita & eis percara Domini Marchionis ditione per solutionem debiti redituri, cum difficultate non parva eos ad annuendum disponere potuit: tantæ acredinis & diritatis eis videbatur ista translatio, qua erant ab antiquissima subjectione Inclytæ Domus Estensis sejungendi. Compositis ergo sic rebus, Oratores & Syndici Ducalis Dominii & Communis Venetiarum cum mandatis specialibus Ferrariam profecti omnia super materia ejusmodi necessaria cum Domino Marchione suoque Consilio, adjecta Civium & Communis Ferrariæ auctoritate atque consensu, per publica Instrumenta in Dei nomine concluserunt, factaque successivè consignatione Pollicini, certa pars mutui fuit soluta, residuis persolvendis ad certos terminos in conventione statutos.

Eodem Anno MCCCLXXXXV. de mense Aprilis. Erupit quædam scelestissima & perniciosæ admodum intentionis conspiratio ad excidium universæ conditionis status Illustris Domini Marchionis concepta, quæ tamdem concedente illo, qui falli non potest,

teſt, in capita propriorum auctorum converſa eſt. Fuit equidem hujuſmodi Thomas de Montanariis filius naturalis quondam Ser Bartholomæi de Montanariis, Domini Marchionis Officialis, homo non mediocris aſtutiæ, & Philippus de Montanariis natus quondam Antonii de Montanariis, ac Criſtophorus filius quondam Pauli de Montanariis, Cives Ferrarienſes divites valde, & ſatis inter primos computati, atque quidam Cato de Spinellis de Porto, Notarius habitator Ferrariæ, habentes in Villa Porti & dependentiis illis maximam ruſticorum illorum factionem atque ſequelam, tum quòd majores eorum illinc originem habuerant, & tum propter amplas divitias ſuas & poſſeſſiones multas, quas in regione illa tenebant, inhæſerant animis jampridem per multos ante dies partibus Azzonis Eſtenſis ad dominium Civitatis Ferrariæ aſpirantis, ſe cum eo per interpretes occultiſſimos ſuper rerum proceſſu intelligentes, non ob aliam cauſam differentes ſui maligni conceptus proceſſum, quam propter non cognitam temporis aptitudinem, & propter valida præſidia ac circumſpectas proviſiones adhibitas circa Statum. Itaque hoc ſuum malignans deſiderium ſagaciter diſſimulantes, in arcano pectorum ſuorum ſecretiſſimum conſervabant, uſquequo depromendum eſſet in operam per commoditatis eventum. Erat his diebus Azzo penes alumnum ſuum Comitem Johannem de Barbiano, ſicut & ante commanſerat per multos dies, & cum illo erat Gabriel quidam de Porto de armigerorum profeſſione, pronus ad omne facinus, amicus & conſors in ſeditione prædictorum de Montanariis, & Catonis. Erat & in iſto tempore Civitas Ferrariæ non multo munita præſidio, quia auxilia, quæ ob novitatem Lugi & Conſilicis venerant, retromiſſa erant, & armigerorum pars major penes Aſtorgium de Manfredis Dominum Faventiæ degebat in hoſtilitate contra Comitem Johannem, contra quem erat noviter motum bellum ob proditionem ſuam de Lugo & Conſilice, uti ante expoſitum eſt. Elegerunt idcirco dicti Conſpiratores hanc temporis opportunitatem viſam executioni ſui conceptus aptiſſimam. Inſtabat enim dies Paſchalis Reſurrectionis Dominicæ, qui anno illo fuit duodecimus menſis Aprilis, & ne ſuorum motuum faciendorum principia ſuſpecta haberentur, utque foret eis pronior & aptior via excogitatæ ſeditionis, hanc fallacitatis fictionem propoſuerunt. Suggeſſerunt enim Conſilio Domini Marchionis, ſe ſenſiſſe nonnullos bannitos & rebelles amicos Azzonis Eſtenſis in Villa & circumſtantiis Porti aliquando converſari, quos ſe intercepturos offerebant, ubi favorem & ſequelam haberent ruſticorum, quando illos requirerent, & propterea opus eſſe ut patentes literas Domini Marchionis haberent: quæ literæ per dictum Conſilium ſibi conceſſæ fuerunt. Abeuntes igitur ab Urbe, Portumque profecti, ubi fundamentum ſuæ rebellionis ponere decreverant, die Paſchali univerſorum Villanorum loci illius, & circumſtantiarum ſuarum, tumultum concitaverunt ad rebellandum, proponentes, & ſuadentes quòd eſſet Azzo Eſtenſis in eorum Dominum evocandus. Convenerunt inſuper ad hujuſmodi rebellionis tu-

A multum Villa Conſandali, Villæ Milliarii, & Maſſæ Fiſcaliæ cum circumſtantiis earundem, certæque aliæ. Factaque eſt congregatio & tumultuatio illa ad numerum ferme octo millium Villanorum. Mittitur ad Azzonem Nuntius per ſeditionis auctores, ut præſto ſe conferat. Novitas hæc die ſequenti serioſè relata non parum attulit admirationis atque terroris. Frequentant & alii de momento in momentum Nuntii, proceſſus novitatis referentes, & tumultum illum continuò exaugeri, partemque illius in Villa Conſandali ſe tenere. Placuit igitur Conſilio cum illis non multis Armigeris, qui Ferrariæ erant tunc, & omni alio conatu poſſibili

B experiri, numquid tanta novitas ſedari poſſet, vel ſaltem in parte aliqua infirmari. Et nihilominus abſque mora, novo illo ſuſcepto, Conſilium ipſum auxilia de Bononia, de Florentia, de Mantua, de Padua, & de Venetiis per Ambaxiatores & Literas inſtantia maxima requiſivit. Interim juxta deliberatum, ut prædicitur, ad invadendum ruſticanum exercitum, qui penes Conſandalum rebellabat, paratur omnis equitatus poſſibilis in Ferraria, ubi tunc erat Antonius de Obicis Scutifer, in bellicis exercitiis ſtrenuus & expertus. Præficitur pro Capitaneo Miles ſtrenuus Dominus Nicolaus de Robertis de Tripoli, natus Domini Philippi de Rober-

C tis. Fuerunt & inter iſtos Dominos Dominus Albertus de Robertis natus Domini Cabrini, & Albertus de Robertis germanus Domini Nicolai. Et cum equitatu iſto exiens idem Dominus Nicolaus rapido itinere contra rebelles illos de Conſandalo ſe contulit, illos impetit diro inſultu, qui tamen vallis, & anguſtia aditus, ſe muniverant, ut non libero aut diffuſo prolapſu hoſtium circumveniri poſſent. Sed dum Dominus Nicolaus in eos cum paucis, ut erat, aditus audacter irruit, & fortiter pugnat, confoſſo à Ruſticis equo ſuo vulneribus lancearum ſternitur, & ſauciatur graviter intra inguina, & in caput, vinciturque captivus, & Portum mit-

D titur in cuſtodiam intra arcem. Reliquus equitatus Ferrariam regreditur, & exinde priori diſcrimini plus adjectum eſt difficultatis. Die ſequenti nunciatur, Azzonem Eſtenſem Portum adventaſſe. Venerat enim de Barbiano per Canale, quod declinat in Padum juxta Villam Buccaleonis, & per paludes tranſiens deinde Conſandalum inque Portum, & magnas ſecum adduxerat cohortes ſibi à Comite Johanne & aliis complicibus datas, equeſtres inſuper & pedeſtres de Barbiano, de Ravenna, de Bagnacavallo, & Cutignola, quarum Dux erat Conſilex Comitis Johannis filius naturalis, homo au-

E dax & ſceleſtus. Erant etiam in cœtu iſto cum Azzone profecti multi Ferrarienſes rebelles, atque banniti, & inter ceteros Franciſcus de Fleſſo cum Dalfino, & Baldeſera ejus filiis, duo filii Arriberti de Coſtabilis, Franciſcus Luciolus, Jacobus de Pochaterriis, & Antonius Magnanus. Inter hanc nutantiam & incertitudinem finis tantæ molis cùm novitas horatim excreſceret, decreto Conſilii ad omnia poſſibilia remedia circumſpecti emanaverunt in Ferraria, & in locis finitimis novitati, Cridæ publicæ danda venia & impunitate cuilibet ex rebellibus volenti deſiſtere, & à tumultu ad Domini Marchio-

chionis gratiam remeare: quodquidem de industria provisum erat, quia sciebatur, non parvum numerum ex illis rebellibus seductum fuisse à principalibus, & amodo pœnitere: Nullus tamen eo Cridarum beneficio uti voluit, & missa fuit armata navigiorum infra per Padum apud Consandalum ad p . . . . transitum coercendum. Hoc dierum intervallo, tam arduè ferventibus rebus, cùm jam Azzo & Complices sui de insultando mœnia Ferrariæ Consilium agitarent, Dominus Marchio postulatis auxiliis roboratur, videlicet de Bononia CCC. lanceis equestrium, & D. peditibus cum Oratoribus suis, scilicet Viro spectabili Nanne Gozadino; & de Florentia L. . . . . equestribus; de Mantua LXXXX. equestribus, & LXXX. peditibus; de Padua CL. equestribus, & C. peditibus; de Venetiis quampluribus Barchis armatis cum multis ballistariis: quæ auxilia diversis profecta diebus die XV. Aprilis in sequenti nocte contigit Ferrariam omnia convenisse. Cùmque per ipsorum adventum computatis desuper DC. equitibus & mille peditibus, quos ponere poterat Dominus Marchio, visum esset Consilio satis roboris esse ad hostes invadendos, parato exercitu, in quo multi strenui & Nobiles erant, utpote Dominus Cabrinus de Robertis, Johannes de la Sale, Dominus Albertus de Robertis, & . . . . . de Robertis, compluresque alii ad ipsum exercitum die XVI. Aprilis ad militandum accesserant. Et ecce per Magnificum Dominum Astorgium de Manfredis suis literis nuntiatum est, se cum DC. armigeris appulisse nocte illa ad Consandalum, & nunc esse in Villa Sancti Nicolai, ut rebus Domini Marchionis & statui suo quoquo modo succurrat, hortarique, ut quantocyus de insultando hostes cum omni exfortio deliberatio capiatur. Audito enim de tumultuatione illa, & de discessu Azzonis à Barbiano, ipse Astorgius non requisitus, quòd guerram domi habebat, sed sua sponte cum DC. equestribus gentis armigeræ, quam penes se habebat ex gente Ligæ, & cum Capitaneis suis Domino Comite Conrado de Altimberg, & Domino Comite Ugone de Montfort Teuthonicis, à Faventia discedens, & iter nocturnum diurno conjungens, transiensque per fines æmuli sui Comitis Johannis juxta Barbianum & Lugum celerrima profectione, non destiterat, quousque per viam de Argenta usque Consandalum equitaret; ibique illum rebellium, rusticorumque conventum, cui superadditus erat Consilex cum centum lanceis & CCCC. peditibus Romandiolis, nocte eadem prœlio pulsaverat, adeòque quampluribus cæsis & captis in fugam positi rebelles ipsi ad altum exercitum principalem & maximum, qui Porti erat, & ad Azzonem festinanter migraverant. Hoc quippe insignis memoriæ præclarum & nulla oblivione delendum servitium censeri profectò debet, & eo nobilius, quo in illius necessitatis arctamine non requisitum, sed spontaneum, atque tempestivum extiterit. Suscepto itaque de ipsius Astorgii adventu nuncio, ut prædicitur, de quo ingens gaudium omnibus accessit, egreditur in Dei nomine exercitus Domini Marchionis proficiscens ad Astorgium, & se illi conjungens, tradita Capitaniatus omnium dignitate. Dein de consultatione agendorum inter eos, uti in talibus expedit, nocte occupata, sequenti mane in armis positi Portum petunt. Ibi ipse Astorgius dispositis aciebus & collatis signis hostes insultant; illi resistere & propellere moliuntur; exiverat enim Azzo, & fortiter oppugnabat ad subarras in vicis. Conseritur hinc inde prœlium, nec incruentum quidem; sed tanta virilitate tantoque conatu Astorgius cum exercitu insurrexit in hostes, ut Azzo cum pluribus ex suis fugæ præsidio, quod sibi ultimum remedium esse concepit, superatus atque fugatus, relicto prœlio, se in Castellum Porti transferre coactus fuerit. Tunc irrumpens Astorgius intra sbarras cum exercitu cruentam stragem in quoscumque occurrentes exercet. Tamdemque hostes omnes, exceptis illis, qui in Castrum confugerant, & aliis, qui fugam anticipaverant, seu se absconderant, quorum numerus maximus fuit, aut interficiuntur, aut captivantur, aut fugæ errore disperguntur. Itur deinde ad Castellum, in quo levatis pontibus Azzo tutari se conabatur. Fit oppugnatio in prœlium asperimum; nam Azzo cum intrusis secum, jactatis lapidibus, & tectorum tegulis, atque telis balistarum, extrinsecos jam foveis annixos per certæ moræ spatium molestabat. Sed instaurato impetu jam ad irruptionem fortilitii violentam aditus parabatur: quod ut Azzo animadvertit, nullam animo spem defensionis sibi concipiens, deditionis consilium & propositum cepit. Dato igitur sufferentiæ signo, & implorata pactione fidei de personarum salute, ipsaque impetrata se captivum dedidit Comiti Conrado cum reliquis introclusis, & fortilitii aditum patefecit, intra quod mox conventum est. Liberatur Dominus Nicolaus de Robertis ibi captivus, sicut supra, & vulneribus affectus, quæ pridie receperat juxta Consandalum.

Iste igitur fuit rebellionis, & rebellatorum eventus, quorum vel cæde, vel captivitate, vel fuga, universum patuit exterminium. Ex ipsis quidem in illis prœliis ceciderunt ad numerum quingentorum, multique intra domos, & per agros interempti gladio reperti fuerunt. Infinitus quasi fuit numerus captivorum, inter quos fuerunt Atthus de Rodilia, Lanzalotus de Montecuculo, Consilex de Barbiano, Cristophorus Montanarius, Franciscus de Flexo cum Dalfino, & Baldesera ejus filiis, Franciscus Luciolus, duo filii Ariberti de Costabilis, & Jacobus de Pochaterriis, qui fuerunt Captivi Comitis Conradi, cum quibusdam aliis circa numerum CCL. Ceteri in aliorum diversorum potestatem captivati fuere, & ingens numerus puerorum. Thomas verò de Montanariis, & Cato de Spinellis supra in principio memorati, duo ex principalibus rebellionis auctoribus, quamprimum fortunam suam in prœliorum strepitu in sinistram partem declinare cognoverant, fugæ se crediderant, properantes versus Romandiolam migrare. Sed dum per solitaria finium Sancti Zannis Districtus Ferrariæ transitum agunt, capiuntur, & vincti Ferrariam ducti sunt. Philippus de Montanariis, alius etiam ex auctoribus, temerè sperans de venia in eo sui discriminis & conflictus primordio, Ferrariam ad Consilium demens confugit, à quo Consilio in carcerem conjectus est. Ex exercitu quidem Domini Mar-

Marchionis prœlio ipso interiit strenuus miles Dominus Johannes de Cavalcabobus lancea transjectus fortiter dimicando, cujus corpus adductum Ferrariam Dominus Marchio fecit in Ecclesia majori Ferrariæ in Arca marmorea honorabiliter tumulari. Interierunt & alii non multi nominis centum, nonnulli etiam vulnerati. Postquam autem divino dono hæc victoria exacta est, ad prædam & populationem opus adjungitur, cujus finè ulla nostri ferme ævi comparatione quantitas inexplicabilis fuit rerum, scilicet mobilium, Bestiarumque omnis generis tam in Porto, quàm circumpositis Villis. Deinde accedit Astorgius Ferrariam cum certo numero, redeuntibus etiam aliis, qui de Ferraria missi erant, & reliqui de exercitu cum captivis & præda ad Villam Sancti Nicolai, & ad Gaibanam, & per pendicias illas se reduxerunt, omnia etiam illic convertentes in captivationem & prædam, seque insuper longius diffundentes. Susceptus fuit à Domino Marchione, & ejus Consilio, ac à Populo, Astorgius benignissimè, & super instantibus habita consultatio, qua sancitum fuit pro redemtione bestiarum, quia major pars erat Civium, certum pretium limitari, videlicet Ducatos duos pro quolibet bestiarum grossarum capite, & solidos . . . . . pro minutis, quibus pretiis ingens quantitas ipsorum bestiaminum ab habentibus redemta fuit. De transitu etiam ipsarum gentium provisum extitit, ut fierent ad Turrim Foveæ cum pontibus supra naves, & ita factum est, cum traductione captivorum, & omnis prædæ, bestiaminibus exceptis. Deliberatum quoque fuit, ut Comes Conradus Azzonem Estensem captivum suum Faventiam duceret, mancipandum ibidem per captivitatem in Arce, quo ad alia deliberatio sequeretur. Transtulit ergo ipse Comes Conradus eumdem Azzonem ultra Padum, & abeunte de Ferraria rebus ordinatis Astorgio, & profectò ad ipsum Comitem Conradum, & alios, qui eum ad Turrim Foveæ ultra Padum expectabant, ipse cum eis omnibus per Territorium Bononiense transitum faciens, & Azzonem ducens, tetendit Faventiam; ibique Azzo in Arce, sive Castello juxta factam deliberationem sub Astorgii cura & custodia captivatus includitur. Quum datum esset principium Rebellioni supradictæ, quædam occulta seditio per nonnullos obscuræ conditionis in Terra Argentæ ad Azzonis instantiam facta fuit. Qua illico patefacta, missa fuerunt præsidia, & de tutatione provisum, ita quòd nihil afferre potuit dispendii ipsa seditio, cum punitione etiam aliquorum ex auctoribus. Post stragem prædictam factam in Porto cùm nulli quasi vel paucissimi Habitatores superfuissent, & multa interemptorum cadavera insepulta jamque putrescentia illic, & in domibus atque in campestribus humi jacerent non habentia Sepultores: Fratres Scholæ Battutorum nigrorum Civitatis Ferrariæ moti officio pietatis, illuc profecti, fossam magnam fecerunt, ac collectis ipsis cadaveribus ea in fossa ipsa tumularunt humo postmodum superjecto.

Die XXIII. dicti mensis Aprilis Anni MCCCLXXXXV. Thomas & Philippus de Montanariis, & Cato de Spinellis supradicti, ac quidam Leonardus de Sanctis de Porto, & Michaël de Malusis de Cinisellis, qui duo in accendenda rebellione se fecerant magnos Auctores, & fugientes cum Thoma & Catone capti fuerant, patefacta per eos omnes judiciariis quæstionibus tota facinoris sui serie, & exinde die prædicta pronunciata sententia mortis eorum, fuerunt per Civitatem Ferrariæ tanajati, deinde revecti in plateam, decapitati, & successivè squartati apud lapidem cessionis. Deinde frusta omnia sive quarteria cum capitibus & intestinis delata extra Civitatem, & super quadam glarea sive insuleta in Pado ante punctam Sancti Georgii furchis imposita. Bona quoque ipsorum publicata. Die XXIV. Aprilis, quæ fuit dies Festi Sancti Georgii, suspensi fuerunt laqueis ad fenestras Palatii Communis Ferrariæ in maxima festinantia duo saccomani deprehensi & adducti ea die de Comitatu, quia deprædabantur contra Bannum nuperrime factum, ut omnes amodo abstinerent à præda sub pœna suspendii: quo banno non obstante multi latrunculi prædabantur, & idcirco opus fuit tali severitate. Die IX. Maji. Datum fuit Bannum perpetuum sub pœna furcarum CVII. hominibus de Porto de Consandalo, de Buccaleone, de Ripapersici, de Gambolaga, de Massa, de Milliario, & certis aliis Villis, qui multum contulerant Rebellioni de Porto. His diebus Illustris Dominus Marchio cum suo Consilio in signum & memoriam gratitudinis domum, quæ fuerat Petri & Christophori de Montanariis, sitam in Civitate Ferrariæ supra viam Sablonum ultra Ecclesiam Sancti Antonii confiscatam, Johanni Galeatio nato Astorgii concessit; Astorgio verò ipsi possessiones omnes & reditus de Milliario ipsius Domini ad fruendum similiter contulit, nec non certam denariorum provisionem subjunxit intuitu sumptuum, quos pro Azzone Estense facturus erat. Eodem Anno MCCCLXXXXV. Per Consilium Illustris Domini Marchionis, disponente Magistro Bertholino de Novaria Ingeniario, de mense Martii provisum fuit, quòd Porta Castri Thedaldi Civitatis Ferrariæ, quæ deformis erat, & parum fortis, in aliam structuram & formam modernorum operum redigeretur cum Zirono turribus & foveis muratis. Sicque in Dei Nomine structura ipsa sequenti mense Maji in die Ascensionis Domini incœpta fuit manibus propriis Domini Marchionis, qui tali primordio fundationis unà cum Consiliariis suis interfuit. Eo namque tempore Magister Bertholinus non aderat, quia in captivitate degebat in Turri Rochæ Lugi in potestate Comitis Johannis de Barbiano, proditus & captus ab eo de præterito mense Martii in ablatione Lugi & Consilicis, sicut supra fit mentio.

Eodem Anno MCCCLXXXXV. de mense Maji. Fuit patefacta quædam tentatio seditionis contra Statum in Civitate Mutinæ certorum Civium infimæ conditionis, amicorum Domini Francisci de Saxolo, ad cujus repressionem per Dominum Marchionem, suumque Consilium, ac per Regimen Mutinæ illico provisum fuit, similiterque ad punitionem conspiratorum, qui tamen pro majori parte per fugam cesserant. Nomina ipsorum sunt hæc: Frater Franciscus de Costrignano de Ordine Minorum, Dominus Nicolaus de Veclis, Dominus Benedictus de Sorbarìa, Paganelus Faber de Monbaran-

ranzono, Nicolaus laborator de Vicentiis, Simon Gratarii Molendinarius, Zenus Avi laborator, Antonius à Boſcho, Rigus..... murator, Johannes de Sigatis, Johannes Martellectus, Gratianus Bonæ, Blaxius de Vaclinis, Chriſtophorus de Parma, Nicolaus Todeſcus, Antonius Zoa, Centogatte, Johannes Bellinus, Ugolinus à Sablono, Bartholomæus de Murata, Jacopinus Porcelinus, Pinacius de Monte Baranzono. Eodem Anno circa finem menſis Septembris. Conducta & accepta fuit ad ſtipendia Domini Marchionis Societas, ſive Brigata Sancti Georgii, Quæ tunc erat Bononiæ cum lanceis CL. Erat quidem pulchra & famoſa in bellica Arte Societas ipſa, quam pluribus referta principalibus Caporalibus, & inter alios erant Scipio de Piis de Carpo, & Ghinus de Guardavalle Senenſis. Die XVII. Novembris circa horam octavam noctis fuit in atrio ſive Palatio Domini Marchionis ignis fortuito accenſus, qui corripuit certam partem Cameræ magnæ ſupra plateam juxta Salam cum parte andaveni & guardecamaræ, ad quem extinguendum non ſine magno labore concurrerunt Dominus Thomas de Obicis ea nocte ſecundùm vicem ſuam dormiens in Curia, & multi Camerarii, ac familiares, & ex proviſionatis circa centum. Die XIX. Novembris circa Veſperas. Super platea Ferrariæ inter Epiſcopatum, & Logiam exorto jurgio inter Scipionem de Piis de Carpo parte una, & Ghinum de Guardavalle Senenſem parte altera, qui duo erant ex primoribus Caporalibus, Societatis Sancti Georgii, tunc degentis in Ferraria, ad ſervitia & ſtipendia Domini Marchionis, nam ante etiam diſſidebant ad invicem. Ad quod quidem jurgium Scipio tunc exiſtens eques Ghinum eâ horâ peditem multis conviciis & gravibus contumeliis provocaverat, tunc etiam ibi collectis quampluribus ex conſociis & familiaribus partis utriuſque, & Scipione ipſo Equite evaginato enſe in Ghinum furialiter irruente, Ghinus, ut erat pedes, educto enſe illum ſuper capite forti vulnere ſauciavit. Factuſque eſt repente tumultus inter aſtantes, conſocios, & familiares eorum, & multi emicuerunt nudati enſes. Unus quidem ex Ghini familiaribus duos adverſæ partis enſe percuſſit, quorum alter interiit. Tunc audito ſtrepitu illuc præſto concurritur, & accedentibus Domino Thoma de Oppicis, & Johanne de la Sale Conſiliariis, Naſcinbene Zaffo Officiali ſtipendiariorum, Thomaxio magno Teutonico Coneſtabili equeſtri, & multis aliis, tumultuatio illa ſedata eſt, detentuſque & miſſus Ghinus in carcerem cum famulo ſuo. Scipio vulneratus in Curiam ducitur, qui octava die ſequenti in domo Domini Marci de Piis deceſſit. Ghinus exacto in carceribus certo tempore, adjutorio ſuarum legitimarum & juridicarum defenſionum, cum interceſſu etiam aliquorum Dominorum & Communitatum, fuit in libertate dimiſſus. Anno iſto MCCCLXXXXV. die VIII. menſis Septembris, qua die fuit Feſtum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Illuſtriſſimus Princeps & Dominus Dominus Johannes Galeatius de Vicecomitibus, Papiæ & Virtutum Comes, ac Imperialis Vicarius Mediolani, modo adeptus à Domino Imperatore, ſive Romanorum Rege, titulum Ducatus & Dominii Mediolani, ipſius Ducatus accepit inſignia, & Feſtivitatis ſolemnia in Mediolano celebravit, tantis totque honoribus & triumphis, ut par celebritas vix unquam in Italia facta credatur: ad quam convenerunt ex innumerabilibus Locis & Provinciis Barones, Proceres, & Oratores gratiâ congratulationis & honorificentiæ. Et miſit Dominus Marchio ſuos etiam Oratores; nam idem Dominus Dux per Literas ſuas univerſos Principes, Dominos, & Communia de Feſtivitate ejuſmodi celebranda fecerat conſcios aliquot ante dies.

Anno Domini MCCCLXXXXVI. Die XXII. Januarii Magnificus Miles Dominus Philippus de Robertis de Tripoli, Illuſtris Domini Marchionis Conſiliarius, & Conſilii ac Gubernationis ipſius Domini Marchionis ſtatuſque ſui principatum præ ceteris in manibus habens, vir profectò conſtantiſſimæ ſidei, & inexhauſtæ ſolertiæ, gravi captus languore; & ad ultimum lucis terminum ductus, ex hujus ſeculi peregrinatione circa XXIII. horam ad Dominum exſpiravit, qui tunc ſexagenarius eſſe poterat. Die verò ſequenti XXIII. Januarii penes Minores in loco Sancti Franciſci in marmoreo Tumulo ſive Arca juxta Sepulchrum Dominorum Eſtenſium corpus ipſius reconditum fuit, & honores funerales impenſis Domini Marchionis, ſicut erat conveniens, fuere magnifici cum equis XV. coopertis ſyndone, Banderiis XIV. ad armam ſuam, & duabus nigris, & una inſuper cum ſuo cimerio. Ad cujus funus interfuerunt omnes Regulæ, & Ordines Clericorum Ferrariæ tam Religioſorum, quàm Laicorum, & Scholæ, multique Prælati, & dupleriorum numerus ad CC. Interfuerunt & Dominus Marchio cum ſuis Conſiliariis, & multi Nobiles, Civium quoque multitudo ad numerum quatuor millium. Et ob eam rem veſtiti fuerunt in bruno inter mares & mulieres, filios, Domeſticos, & familiares ultra CL. Superſtiterunt equidem ex ipſo inter filios & filias undecim, quorum major natu erat Dominus Nicolaus Miles circumſpectæ virtutis, qui poſt patris obitum ad conſortium & in numerum Conſiliariorum dicti Domini aſſumptus eſt. Eodem Anno cùm jam ante per dies multos proviſum fuiſſet, Cittadellam unam fieri in extremo Civitatis Ferrariæ versùs Sanctum Marcum, & antiquam Sancti Blaxii non amplius uſitandam, ſed aliam novam paulò ſupra conſtituendam, magìs munitam ad fortitudinem & decorem cum illis exordiis, quæ ad Cittadellæ finem etiam reſpectum eſſent habitura: die III. Februarii fuit ipſius Portæ novæ laborerium muri principiatum, diſponente Magiſtro Bertholino Ingeniario, qui nuper de captivitate, qua tenebatur in Turri Lugi per Comitem Johannem, magna cum ſagacitate per fugam ſe liberaverat. Quæ Porta nova ad perfectionem ducta poſtmodum anno ſequenti die XXII. Auguſti patefacta & uſitari cœpta fuit vetere clauſa. Die VI. Februarii. Illuſtris Dominus Marchio antedictus egregium virum Salicem de Cavalcantibus Florentinum ætatis LX. annorum evocatum & introeuntem ad regimen Poteſtariæ Ferrariæ facta viſitatione per ipſum Salicem, & oblatione juxta morem in ma-

majori Ecclesiæ Ferrariæ fecit Militem in limine januæ majoris ipsius Ecclesiæ, astante gentis copia numerosa. Quo acto idem Dominus Salix equum reascendens, ad Palatium Communis profectus, officium suum ingressus est. Fuit hæc prima milificatio à Domino Marchione collata, qui tunc ætatis suæ duodecimum agebat annum. Die XXV. Februarii. Pons Castri Thealdi renovatus, & perfectus, usui suo expositus fuit, in quem fecit primum ascensum & transitum Dominus Marchio cum suis certis equitibus.

Eodem Anno MCCCLXXXXVI. de mense . . . . . Terra Florani cum Fortilitio, sive Rocha, quæ erat in manibus Nobilium de Bojardis de Yrberia, dimissa & reposita per eos per certas conventiones in manus Domini Marchionis, transivit in potestatem & manus Domini Francisci de Saxolo, quia sic placuit arbitris assumtis ad sopiendas inter Dominum Marchionem, & ipsum Dominum Franciscum differentias. Eodem tempore. Cùm multæ discussiones factæ fuissent per Bononienses, & alibi per mediatores hinc inde, & arbitros, & arbitratores, ut inter Illustrem Dominum Marchionem una parte, & Dominum Franciscum de Saxolo parte altera, vigentes differentiæ extinguerentur, & res tamdem ad arbitrium & arbitramentum Magnifici Domini Astorgii de Manfredis Domini Faventiæ redacta fuisset communi partium compromisso, totaque moles differentiarum ipsarum circa factum Saxoli, quod erat in dominio Domini Marchionis, maximè versaretur: placuit ipsi Astorgio eum Saxoli Locum penes se deponi usque ad pronunciationem Laudi sui. Propter quod deposita in potestate sua Terra, & Castro, atque custodia Turris & Rocharum, ipse Astorgius illic præfecit nobilem Virum Guidonem de Mutigliana carissimum suum: & ita Locus ille totus erat in ipsius potestate, suppositis sibi Potestate, stipendiariis, & custodibus omnibus, qui illic degebant sumptibus Domini Marchionis. Existente in manibus & custodia Astorgii de Manfredis Terra Saxoli, Atthus de Rodilia continuus hostis Domini Marchionis, qui in captivitate degebat in Faventia, captus tempore novitatis Porti, pro sua salute impetranda suggessit Astorgio, se fratres suos, qui Domino Marchioni quotidie rebellabant in favorem Domini Francisci de Saxolo, velle allicere ad desistentiam injuriarum, & ad partes Domini Marchionis, si traduceretur Saxolum, propter loci commoditatem, qui vicinus est Castellarano, se quoque futurum ipsius Domini Marchionis fidum & perpetuum servitorem. Placuit hoc Astorgio, & Dominus Marchio, sive Consilium annuit; quamobrem idem Atthus Saxolum mittitur de Faventia, ubi multa per Nuncios se cum fratribus suis circa materiam practicare ostentat; Cùmque intentionem eorum voto suo non respondere inveniret, vel fortasse verius simularet, edocuit rem ejusmodi non aliter quàm per suam præsentiam effici posse. Institit ergo de licentia accedendi personaliter sibi tribuenda cum juramento & promissione fidei redeundi ad terminum, vel facto vel infecto negotio: qua sibi data licentia abiit, nec amplius voluit remeare, immo deinceps in hostilitate perfidior, & ferventior factus est. Eodem Anno MCCCLXXXXVI. Dominus Franciscus de Saxolo de mense Aprilis existens Florani, tractatum habuit cum quibusdam hominibus de Saxolo de auferendo illud, & occupando per proditionem, quod tunc, ut prædicitur, in potestate sive custodia Astorgii de Manfredis tenebatur. Erant nihilominus ibi Potestas, stipendiarii, & fortilitiorum custodes pro Domino Marchione sub ipsius Astorgii obedientia, sive Guidonis Commissarii ejus illic deputati. Potestas erat Gerardus de Soragna, & tres Conestabiles cum tribus banderiis intra Terram; Turris verò & Rochæ Capitanei & Custodes Mutinæ erant. Nec multum exquisitè de custodiæ cura agebatur; attento quòd compromissum erat factum per Dominum Marchionem, & Dominum Franciscum in Astorgium, & res pendebat ad Laudum. Concepta igitur commoditate tractatus in actum ducendi, die XV. Aprilis cùm Potestas, & stipendiarii minus cautè se haberent ad introitum illius partis, seu fortilitii, quod Castellum dicitur, sive Palatium, Conspiratores illic sub fictione colloquii, & sinè ullo suspicionis vestigio morulam facientes, & cum Potestate dolosè confabulantes, irrumpunt, & Potestatem capiunt. Immediatèque concurrentibus ex conjuratis aliis multis, qui parati erant, & apprehenso aditu, atque fugatis intra fortilitia stipendiariis, Castellum in Rebellium arbitrio positum fuit. Exinde superveniens Dominus Franciscus cum exfortio peditum & equitum, facta obsidione contra Turrim magnam, & Arces, & confecto aliquali prœlio, omnia per deditionem obtinuit, priusquam illuc attingeret succursus armigerorum, quem de Ferraria & de Mutina Dominus Marchio transmittebat. Hæc omnia cum auxilio atque præsentia Atthi de Rodilia, ac cum auxilio Domini Jordani de Savignano, Domini Caruli de Fojano, necnon Domini Guidonis de Corrigia, patrata fuerunt, adductis præsidiis suis tam equitum, quàm peditum: qui Dominus Guido ad id militavit cum CCCC. equitibus, qui per modum Societatis penes eum residebant, & ad hæc intenti supersederant, dum ad instantiam Domini Francisci conspiratio tractabatur. Paucis à dicta novitate diebus decursis, Gerardus de Soragna suprascriptus, qui fuerat Potestas Saxoli, profectus Mutinam, fuit ibi decapitatus.

Eodem Anno MCCCLXXXXVI. die XIV. Maji. Albertus filius quondam Domini Albertini de Boschettis de Mutina factus per multos dies ante de Secta Domini Francisci de Saxolo, per Johannem de Boschettis, & per certos latrunculos & bannitos fecit occupari & auferri de manibus custodis Fortilitium, sive Turrim Domini Marchionis de Navicellis, quæ distat à Mutina per tria milliaria ad passum Panarii eundo versùs Nonantulam: quo scito per regimen Mutinæ missa fuit certa Bellatorum comitiva, & expugnato ipso fortilitio prœlio manuali, & cum Bombardis, fuit infra breve spatium devictum & recuperatum, & datâ veniâ certis Forensibus ex intrinsecis, ceteri, qui latrunculi & banniti erant de Mutinensi, ducti Mutinam laquei suspendio ad furcas affecti sunt. Eodem Anno Comes Johannes de Barbiano nondum ad saturitatem depastus injuriis

riis Domini Marchionis, quas, ut ante patet, quoquomodo per proditionem & fallacitatem patraverat, ad occupandum Terram Vignolæ in Mutinensi Territorio per proditionem propositum suum adjecit. Adjunctâ igitur sibi operâ certorum de Grassonibus, qui factionem habebant & amicitiam aliquorum hominum loci illius. Tractatum secretum cum illis habuit de occupando: quod non sinè magna sagacitate & robore gentis faciendum erat, quoniam in Terra ipsa erant præsidia armigerorum equestrium Domini Marchionis, videlicet Isoresius de Robertis, & Alemanus de Obicis cum suis brigatis, & etiam aliquorum peditum. Ut autem tractatus ipse ad effectum duceretur, sic actum est, quòd die primo Octobris noctis tempore Comes Johannes cum equitatu armigerorum equestrium ad numerum DCCC. & peditibus circa eumdem numerum, in quo equitatu fuerunt personaliter Dominus Franciscus de Saxolo, & Atthus de Rodilia, ac nonnulli de Grassonibus, clandestino itinere equitavit juxta Vignolam, & ibidem latuit. Hoc facto, studio proditorum immittitur occultus ignis in domos Burgi exterioris juxta Portam: propter quod incendium Potestas illic cum certa parte stipendiariorum equestrium & pedestrium cucurrit ad Portam. Tunc conspiratores interni, quorum domus erant, quasi immediatè apud murum Loci illius, scilicet Terræ Vignolæ, ad aliud latus ipsius Terræ murum frangentes, & aditum facientes, paratos extra hostes introduxerunt. Qui hostes captivatis primò dictis Isoresio, & Alemano, reliquisque armigeris, & stipendiariis omnibus præter certos paucos, qui intra Rocham confugerant, patefecerunt aditum Portæ, & Comes Johannes cum reliquis introivit, ipsamque Terram occupavit, exceptâ Rochâ, quæ per intrinsecos servabatur. Terrâ sic habitâ, ipse Comes Johannes ad obsidionem Rochæ continuis prœliis intendi fecit, quoad intrinseci defectu alimentorum & specialiter aquæ, ad deditionem coacti Rocham ipsam, cum pactione illæsionis personarum & rerum, in potestatem ejusdem Comitis Johannis dimiserunt. Quos, quamprimum fuerunt egressi, Comes Johannes, fidei suæ appostator egregius, omnibus rebus prædari jussit. Non enim fuit possibilitas dictæ Rochæ, dum obsidebatur, succurrere, multis experimentis attentatis per Johannem de Ordelafis, qui tunc Locitenens erat in Mutina, & per reliquos de Regimine ibi. Die XX. mensis Octobris. Facta fuit treuga, & concordia, ac parentela inter Illustrissimos & Serenissimos Principes Dominum Regem Franciæ, & Dominum Regem Angliæ, inter quorum Prædecessores, & successivè inter eos per septuaginta Annos præteritos fuerat capitale dissidium, & bellica hostilitas cum innumerabilibus stragibus hominum utriusque Regni, & locorum depopulationibus infinitis. Quæ concordia cœlitus missa; sicut fama edocuit, in hac forma traditur celebrata. Instructis ad omnem possibilitatem exercitibus, utrique Reges ipsi ad campum egressi, in campestribus castra tenebant, & prœlia terribilia hinc inde conserebant. Nec in tanta dissidiorum versatione aliter eventurum erat, quàm quod in aciem descenderent, & ordinaria pugna insimul confligerent ambo exercitus: quod quantum sanguinis effudisset, inextimabile erat. Sed pacis Auctor Deus, & discordantium conciliator optimus, tam cladiferam pestem per interventum concordiæ avertere dignatus, ita inspirando concessit, quòd Anglicorum Rex cum quibusdam ex Baronibus suis à castris suis se movens cum intentione concordiæ petendæ atque dandæ, versùs castra Regis Francorum, & ad Regem ipsum non in hostili, sed amico habitu equitabat. Quo ad Regis Francorum notitiam nunciato, ipse similiter cum quampluribus procerum suorum obviam cœpit ire. Factumque est, quòd eis adinvicem proximatis Rex Anglorum festinis & celeberrimis reverentiis Regem Franciæ salutavit. Tunc Rex Franciæ ad Anglorum Regem par retulit venerationis ac salutationis rependium; numquam enim antea se alterutrum viderant. Protinus ad dulces ac pios amplexus insimul se convertunt, & donis mutuis hanc suam visitationem festivant; Rex enim Franciæ armillam, sive divisam unam Margharitarum, quam gestabat ad Collum, valoris CC. millium Ducatorum, Regi Anglo largitus fuit; isteque illi aliam valoris CL. millium Ducatorum. Deinde ad castra Francorum ambo profecti, parato magnificentissimo prandio, insimul ad unam mensam convivati fuerunt, Parentelamque contraxerunt de connubio unius Filiæ Regis Franciæ in Regem ipsum Anglorum, & gloriosissima concordia cum infinita lætitia inter ipsos firmata est.

Eodem Anno MCCCLXXXXVI. de mense Decembris. Quidam Ferrariensis nominatus Paxius de Veris, & agnominatus à Capello, quia sub insigno Capelli hospitium tenebat in Contrata Sancti Romani, aspirans iniqua cupiditate ad opes cujusdam pueri, qui in ejus gubernatione certo tempore fuerat, novissimè autem penes quamdam mulierem amitam suam viduam inter Lungulam & Sanctam Luciam morabatur, ad quarum opum consecutionem per mortem pueri attingere se sperabat, de illius excidio mortifero, suadente Diabolo, cogitavit. Itaque die XVIIII. Decembris circa sero Pasius ipse palliatis vestibus incognitus per Portam inferiorem Civitatis Ferrariæ egressus est, & in abscondito latens usque in tertiam noctis horam, ea hora cum uno falzono, quem portaverat, domum dictæ mulieris viduæ secretè introivit, quam sedentem ad ignem cum quadam puella invenit, & repente irruens mulierem & puellam collicidio interfecit. Puer, qui in lecto erat, exterritus exurgens à lecto fugiebat, quem Carnifex ille secutus interceptum jugulo interemit; postea reversus ad lectum juvenculam quamdam mulieris neptem nudam, quæ de Bononiensi Territorio erat, & ad amitam gratiâ Festorum Natalitiorum venerat, per capillos detractam de lecto pari supplicio trucidavit; deinde quædam Instrumenta Jurium pupilli illius occisi de capsa una surripuit, & mane facto domum in Urbem regressus est. Refertur ad Potestatis Curiam de strage tali, sed ignoratur auctor. Propter quod quamplures de loco illo & circumstantiis evocati per Officium Potestatis, ut ad veritatem sceleris veniatur, detenti sunt. At sicut Dei voluntas fuit, facto aliquali fundamento suspi-

spicionis contra verum Homicidam, videlicet Paxium antedictum, ipse comprehensus omnia in Judicio propalavit. Quare die XXIV. Decembris lato judicio contra eum fuit ad omnium exemplum crudelissimè, sed justissimè interfectus. Fuit enim per Civitatem Ferrariæ super Curru tanajatus, postmodum reportatus ad plateam, & alligatus cum funibus ad quatuor equos, ut squartaretur, per horam magnam ventilatus & excussus est; sed cùm per equos eo modo nequiret esse conscissus, solutus ab illo martyrio, fuit per lictorem Communis ibidem, videlicet in platea, decapitatus, atque squartatus, & quarteria cum capite & intestinis in calatho uno positis delata fuerunt ad locum homicidii perpetrati, & ibi ad furcam in strata publica catenis ferreis suspensa capite super fixo cum clavo & calatho cum intestinis appensa. Die IV. mensis Septembris. Fuit inter Serenissimum Christianissimum Principem & Dominum Dominum Sigismundum Regem Hungariæ cum Exercitu Christianorum una parte, & Baisetum Imperatorem Turchorum cum Exercitu suo altera parte, dirum & nephandissimum prœlium in ingressu Romaniæ ultra Nicopolim. In quo ipse Rex Hungariæ, & Exercitus Christianorum superatus & victus fuit à Baiseto propter temeritatem Francigenarum, secundùm quòd de ipso prœlio habitum fuit per copias quarumdam Literarum missarum de Hungaria illo tempore, quarum continentiæ tenor talis fuit.

,, A dì quattro di questo mese venne uno
,, Famìo del Conte di Temesvar battendo,
,, che portava Lettere al Ternico, come
,, Messere lo Re di Ungaria aveva combat-
,, tudo di là da Nicopoli tre miglia, overe
,, due in suso lo intrare di Romania, & che
,, la battaja duroe sette dì, & per quello
,, scrive il Conte di Temesvar, che lo Re
,, ghe manda a dire, che furono quattro-
,, cento millia Turchi. Ora in effetto di
,, tutta la zente del Re non ne è campado
,, se non lui medesimo, & l'Arcivescovo;
,, tutti gli altri sono morti, salvo che Mes-
,, ser Scibor, & il Mercivoida, ma gli altri
,, sono passadi di questo mondo. Prima
,, Diatergo Banno con trè fioli, il gran
,, Conte con uno fiolo, & Messer lo Fran-
,, cho Tesoriero con due fradelli, zoè Mes-
,, ser Nicolò Cene con tutta la Casa di Ga-
,, ra, due nevodi del Vescovo de le Cin-
,, que Giesie, & il mio cugnado con lo
,, fradello. Di Franzosi non è campado niu-
,, no, nè grande nè pizolo. Furono i primi
,, firidori, & il Conte di Cille, & lo fiolo
,, del Castellano di Norimberga, quello di
,, Baviera con uno fradello zovene del Con-
,, te di Temesvar. Parmi che secondo che
,, diceva la Lettera, quello di Costantino-
,, poli Nicheralla lui consiava lo Re, che
,, non pigliasse battaglia, che'l saveva di
,, certo, che Baiseto era con quattrocen-
,, to millia Turchi, & che al tutto era
,, disposto di combattere con loro, ma
,, che aspettasse Messer Stiber con la zen-
,, te sua, & Mercevoida. I Franzosi
,, non vollero, di che dissero al Re: mai
,, non occorre altro che combattere, & du-
,, rò fina al dì di Santo Gerardo. Ora la
,, Battaja è stata per modo, che testa non è
,, campada, se non quelle, che io v'ho scrit-
,, to. In prima Messer lo Arcivescovo, e
,, lo Mastro de la Corte è morto, il Vesco-
,, vo di Varadino ancora. Quando la Bat-
,, taja ave fine, il Re trovò il so Pennone
,, in piè, che el gh'era alcuni Regali feriti
,, a morte tutti di sotto, che ghe stette tre
,, dì dopo la Battaja in suso il Campo, tan-
,, to che'l si trovò essere con tre millia ca-
,, valli, non altri che garzoni, & Regali.
,, Tutta la gente, che qualche nome aveva,
,, è morta per tale che il Re non fu ardito
,, stare là, & andò in Valacchia; che se
,, elli stavano fermi, quelli, che facevano
,, saccomano de' corpi morti gli ammazza-
,, rebbono. Ma quanto al Re, uccidiva il
,, Baiseto, & gittollo da cavallo, ma la
,, grande moltitudine de' Turchi ghe lo tol-
,, se per forza. Dicesi, che l'è morto tra
,, una parte e l'altra più di quattro cento
,, millia homini. Et Messer lo Re domandò
,, zente in ajuto per ritornare al Campo,
,, dove è stata la Battaja, e una compagna
,, con la compagna di Gace, che è morto,
,, & il Conte di Temesvar è ito con CCL.
,, lanze, come le novelle giunsero. Non so
,, mo, come saranno questi altri Varvassori,
,, che sono rimasi a casa. Tanto si può di-
,, re, che questo Regname sia tutto sconfit-
,, to, non c'è rimaso altri, che Vedove.
,, In lo dì di Santo Francesco a le XXIII.
,, hore stando io con Pipo di Tarvico, ven-
,, ne uno Famìo del Conte di Temesvar, &
,, appresentò due Lettere, l'una andava al
,, Tarvico, l'altra al Vescovo di Sagabria,
,, & erano partiti tutti due, zoè il Tarvi-
,, co, & il Vescovo, e andati a casa loro.
,, In quanto ho possuto udire da Pipo, il
,, quale è informato, ho udito come lo no-
,, stro Signore Messer lo Re ha combattudo
,, con Baiseto di sotto Nicopoli in la Ro-
,, mania, & sette zorni durò la Battaja, per
,, la quale cosa lo Re è rimaso con poca
,, zente, e Baiseto è stato ferito per le ma-
,, ni del Re, & se'l non fusse stato il gran-
,, de sforzo de' Turchi, Baiseto seria mor-
,, to o preso; ma vedendosi infra coloro
,, con così poca zente rimaso, ridussesi ap-
,, presso Merce Voda, & Messer Stibor con
,, l'Arcivescovo di Stagone in Valacchia.
,, D'altri non so numero, perchè sono ri-
,, masi al Campo morti. Sappiate, che'l Re
,, domanda più brigate: non si sa, che si
,, voglia fare; ma forse domanda ajuto per
,, ritornare a casa. Io lessi la Lettera, che
,, andava al Vescovo di Sagrabia, la quale
,, sta come vi ho detto di sovra, come il
,, Re con l'Arcivescovo è campato in Valac-
,, chia da Merce, & Messer Stibor, & Mer-
,, ce non fu a la Battaja. A questo modo
,, fue il fatto ,,. Eodem Anno MCCCL-
XXXXVI. de mense Septembris. In Civitate Parisius facta fuit liga & confœderatio Magnificæ Communitatis Florentiæ per ejus Oratores & Commissarios cum Serenissimo & Invictissimo Domino Domino Karolo Rege Francorum pro V. Annis. Quam ligam ipsi Oratores die XXIIII. Septembris cum præfato Domino Rege firmaverunt pro Communitate Florentiæ, & pro colligatis suis, qui in liga ipsa esse vellent, & nominaverunt Magnificam Communitatem Bononiæ, & Magnificos Dominos Dominum Marchionem,

nem, Dominum Paduæ, ac Dominum Mantuæ. Pro accipiendis autem ratificationibus ejusmodi ligæ, misit præfatus Dominus Rex Francorum Oratorem & Procuratorem suum, cum quo per Communitatem Bononiæ & Dominos præfatos, fuerunt factæ ratificationes. Illa quidem Domini Marchionis die XXII. Decembris facta fuit in Civitate Ferrariæ.

Anno Domini MCCCLXXXXVII. de mense Januarii. Interpositione & opera Serenissimi Ducalis Dominii Venetiarum conventum fuit in Dei nomine de Matrimonio faciendo inter Illustrem & Magnificum Dominum præfatum Dominum Nicolaum Marchionem Estensem &c. natum recolendæ memoriæ quondam Illustris & Magnifici Domini Domini Alberti olim Marchionis Estensis adolescentulum indole multa insignem, ætatis tunc annorum XIII. & mensium trium, & Magnificam Dominam Dominam Ziliolam de Carraria juvenculam annorum XV. vel circa, natam Magnifici & potentis Domini Francisci de Carraria Domini Paduæ, filii quondam Magnifici & potentis Domini Francisci Senioris de Carraria, & genitam ex Illustri Domina Domina Thadæa Marchionissa Estense præfati Domini Francisci junioris de Carraria conjuge, nata quondam Illustris & Magnifici Domini Domini Nicolai olim Marchionis Estensis olim patrui hujus Domini Nicolai Marchionis Junioris: propter quod erat affinitas inter partes, cùm essent idem Dominus Marchio, & Domina Thadæa consanguinei ex duobus fratribus geniti, sed per dispensationem Apostolicam ante desponsationis tempus impetratam fuit matrimonium ejusmodi licitum, atque concessum. Concluso igitur per Ducale Dominium prælibatum cum assensu partium de matrimonio ipso contrahendo, præfatus Dominus Marchio, & suum Consilium die X. Januarii convocatis Civibus Ferrariæ ad numerum quingentorum & ultra, concionante Domino Thoma de Obicis Consiliario, rem ipsam eisdem Civibus deprompserunt, ut & omnibus nota fieret. Ex qua universis incessit gaudium magnum valde, in cujus gaudii signum die Dominico subsecuto, videlicet XIIII. Januarii, magna hastiludiorum Festivitas per totam Urbem facta fuit inter Cives, in qua fuerunt decem Societates Artium. Et Dominus Marchio per quamplures aulicos & familiares suos in platea ultra hastiludium jostrari fecit. Nam ea die de mane in atrio dicti Domini in Sala magna, astante Nobilium & Civium multitudine permaxima, vadiæ ipsius matrimonii fuerant celebratæ inter præfatum Dominum Marchionem tunc ibi præsentem, & viros egregios Lucam de Leone, & Dominum Raymundinum de Janua de Terresco Legum Doctorem, Procuratores dicti Domini Paduæ, & ad hæc facienda transmissos. Die verò ultimo mensis Maji dicti Anni, quo die fuit Festum Ascensionis Domini nostri, ad desponsandam & conducendam præfatam Dominam Ziliolam nomine Domini Marchionis missus fuit generosus & egregius Miles Dominus Nicolaus de Robertis de Tripoli dicti Domini Consiliarius cum magnifica & ornatissima comitiva Militum, Doctorum, & Civium honorabilium ad numerum CCCC. equitum habentium serta, sive ghirlandas floreas in capitibus, & alia gestantium Festivitatis insignia. Erantque ex comitiva ipsa multi circa numerum CL. duplici ornatu vestium fulcti, rubearum videlicet, & viridium, qui omnes die sequenti Veneris primo Junii Paduam attingentes, ab illo Domino benignè suscepti fuerunt, & splendidè honorati. Die subsequenti Dominico III. Junii. In atrio præfati Domini Paduæ cum magnificis solennitatibus præfata Magnifica Domina Ziliola per supradictum Dominum Nicolaum de Robertis nomine Domini Marchionis desponsata fuit. Dieque ipsa in Padua facta fuerunt maxima Festa hastiludiorum, atque Jostrarum, & chorearum. Et eadem die Dominica volentibus Ferrariensibus præludere gaudio, & festo proximo nuptiarum, decem brigatæ Civium per totam Civitatem nobiliter hastiluserunt ad numerum viginti vel XXX. per brigatam. Die Lunæ sequenti IIII. Junii. Præfata Magnifica Domina Ziliola sponsa cum nobilissima comitiva tam missorum de Ferraria, quàm suorum, inter quos fuerunt Magnifici fratres sui, Dominus Franciscus Tertius, & Jacobus de Carraria, multique alii Nobiles, de Padua recessit, & Lendenariam perrexit in cœna, & hospitio. Et sequenti die Martis V. Junii se contulit juxta Ferrariam ad locum sive pomerium Domini Marchionis, quod Belflore vocatum est, & ibi habuit cœnam & hospitium, omnibus ritè ac clarissimè præparatis. In accessu autem ipsius iverunt sibi obviam de Ferraria usque Francolinum omnes proximæ dictæ societates hastilusorum, qui continuè currentes concito motu equorum, hastiludendo ante ipsam in vestibus nuptialibus, à Francolino usque ad locum prædictum Belfloris eam fuerunt comitati. In strata verò per spatium illud itineris à Francolino Ferrariam expositæ, & paratæ erant copiosæ refectiones vini & victualium, quibus erat unicuique fas se liberè ad libitum recreare. Interea fiunt maximi & magnifici apparatus tam per Dominum Marchionem, ejusque Consilium, quàm per Cives, & Collegia Artium Civitatis Ferrariæ ad Festi nuptialis solemnia, quod die sequenti celebrandum erat. Et inter cetera Lanifices stratam Magistram à statione Officii Stipendiariorum usque ad Portam Leonis petiis novis & integris laneorum Pannorum obumbraverunt, in tecti modum Pannos ipsos funibus & tigillis extendentes in alto.

Die quidem Mercurii VI. Junii. Omnibus ex ordine compositis, præfata Domina Sponsa accepta de Belflore cum ingenti magnificentia circa horam tertiarum ad Palatium Domini Marchionis ducta fuit supratecta baldachino aureo per manus Nobilium, & multis aliis Nobilibus ad habenas & staffas equi comitantibus, & concinentibus tubarum, tibiarum, & multimodis aliis musicalibus Instrumentis, hastiludentibus continuè ante ipsam supradictis Societatibus hastilusorum cum vestibus de syndone & equis pariter syndone coopertis. Quibus intrantibus Portam Leonis hastilusores de Societate Notariorum supravestes suas, & deinde equorum suorum, in signum gaudii propriis manibus dilacerare cœperunt, projicientes eas per stratam, & conclamantes *vivat Marchio:*

sic

sic & ceteri vocitabant. Erat via tota usque in atrium strata virentibus herbis & floribus. Diversæ jocorum inventiones interfuerunt, atque maneries. Erat enim Navis quædam cum Remigibus velo & temone super curru uno latenti posita, quem equi absconditi trahebant, quæ videbatur vera moveri navigatione impulsu remorum, quos superpositi vi maxima exercebant. Erat & quoddam Carrocium magnum cum Castello tractum per equos, super quo erat simulachrum pugnæ Sancti Georgii, quando Colubrum interfecit, ad cujus instar dicto Carrocio insidebat juvenis unus armatus, & oppositum sibi habebat Colubrum de Corio magnum, & visu trucem, cum quo crebris ensis ictibus dimicabat: Fuit alius mercatorum ludus cum artificio occulto ad Imaginem unius Belluæ gestantis supra se Castellum unum, & habentis similitudinem Cameli, & caput longè extendentis, & intra se velociter reflectentis. Ludus Tabernariorum fuit fons unus in platea artificialiter factus, vinum eructans, de quo omnes bibere poterant, qui volebant. Multæ quoque aliorum jocorum species, quas nimis diffusum esset exprimere, ita ut illius diei Festivitas ferè ultra hominum credulitatem extiterit. Per totam enim diem talibus gaudiis, & choreis, atque similibus fuit vacatum. Hastilusores ipsa die se de vestibus mutaverunt, videlicet Notarii tribus, reliqui verò duabus. Sequenti insuper die Jovis VII. Junii reiterata fuerunt hastiludia nobilissima, & Collegium Mercatorum per quinquaginta Hastilusores etiam nocte sequenti usque ad mediam noctem ludo vacari fecerunt per vias Urbis, & in platea dextera hastas, & læva ardentes duplerios singuli deportantes: Eadem quoque die Jostra pulcherrima fuit in platea celebrata, cujus pretium habuit Dominus Albertus Miles natus Domini Cabrini de Robertis, unum videlicet aureum goboletum. Fuerunt & die ipsa duo bravia, unum videlicet panni scarlati cursu pedestri, & alterum panni viridis navali remigio dispensata. Die autem Sabbati VIII. Junii Magnificus & potens Dominus Dominus Franciscus de Carraria Pater, ut prædicitur, supradictæ Illustris Dominæ Ziliolæ cum Illustri Domina Consorte sua Domina Thadæa, nemine de adventu ejus Ferrariæ sentiente, cum non magna comitiva Ferrariam adventavit: de cujus appulsu ingens consolatio habita fuit, & . . . . brigatæ hastiludium confecerunt. Die sequenti Dominico X. Junii, qui fuit Paschalis Pentecostes, celeberrimis Choreis, & Jostris opus adhibitum est. Festatumque sequenti biduo cum solatiis, uti rei dignitas exigebat. Postea ipse Dominus Franciscus, dimissa Ferrariæ pronunc penes filiam præfata Illustri Domina Thadæa Consorte sua, Paduam remeavit, dimisso etiam ad ejusdem filiæ suæ curam Domino Guielmo de Curtarodulo Legista Cive Paduano, quem in brevi temporis lapsu Consilio Domini Marchionis applicavit. Die equidem XIX. Junii subsecuto, cùm nondum Matrimonio prædicto consummando intervenisset concubitus, sed id certo respectu, & præsertim tenellæ ætatis Domini Marchionis, in temporis moram protraheretur, facta fuit Benedictio Ecclesiastica dicti Domini Marchionis, & Sponsæ, in Ecclesia Palatii, astantibus præfata Illustri Domina Thadæa, & egregiis Consiliariis Domini præfati. Fuitque processum ad reliqua juxta sacra Matrimonii. Peractis deinde quampluribus diebus, ipsa Illustris Domina Thadæa reditum fecit ad propria, remanente Domino Guielmo de Curtarodulo in Palatio penes præfatam Dominam Marchionissam, sicut constituerat prælibatus Dominus Paduæ, prout proximè supra fit mentio. Supersederat autem, & moram sic fecerat ipsa Domina Thadæa in Ferraria, quia deliberatum fuerat, quòd eodem tempore perficerentur nuptiæ Magnifici Domini Francisci Tertii de Carraria filii sui, ducturi Uxorem suam, videlicet Dominam Aldam natam Domini & Magnifici Mantuæ per viam de Ferraria: quod nequivit tunc locum habere propter emersa impedimenta ipsius Domini Mantuæ insultati ab exercitibus Domini Mediolanensis.

Eodem Anno MCCCLXXXXVII. de mense Aprilis. Incœperunt maledicta vestigia & semina Guerræ inter Dominum Ducem Mediolani parte una, & Ligam parte altera, videlicet Magnificas Communitates Florentiæ, & Bononiæ, Illustrem Dominum Marchionem Estensem Dominum Nicolaum, Magnificosque Dominos Dominum Franciscum de Carraria Dominum Paduæ, & Dominum Franciscum de Gonzaga Dominum Mantuæ, excitata per præfatum Dominum Ducem Mediolani, & secuta secundùm quod in sequentibus Capitulis & processibus continetur. Die V. Aprilis. Gentes Illustrissimi Principis Domini Johannis Galeatii Ducis Mediolani &c. videlicet Comes Albericus de Barbiano, agnominatus Magnus Conestabilis, Capitaneus Bellorum dicti Domini Ducis, Comes Corradus de Altimberg Teotonicus, Dominus Brolia Italicus cum quibusdam aliis Caporalibus, qui & si fingebant se fortè per modum Societatis, & ad nullius Domini aut Communitatis esse servitia, tum erant revera stipendiarii dicti Domini Ducis: fines Florentinorum invaserunt prope Florentiam ad unum milliare, omnia populantes, & multa Palatia igne vastantes, & inde prædâ abactâ maximâ se in Pisanos fines receperunt. Eodem Anno circa principium mensis Aprilis. Cùm Illustrissimus Princeps Dominus Johannes Galeaz Comes Virtutum, & Dux Mediolani ad offensas Magnifici Domini Mantuani, videlicet Domini Francisci de Gonzaga tacitus struxisset insidias, & de ingressu in Serraleum Mantuanum faciendo, ipso Domino Mantuano ignaro & incauto, sui propositi principium adjecisset: ipse Dominus Dux Mediolani certum armigerorum exercitum equitare fecit ad Padum infra Pontem de Burgoforti certo intervallo ex opposito Serralii, ad quem locum Architectorum ejus operâ conduxerat lignea artificia in modum vasorum, quæ clavis ferreis ad invicem concatenabantur, & ex quibus faciendus erat Pons super Padum, ut exercitus ille præsto irrumperet, in Serraleum. Ex adverso Dominus Ugolotus de Blancardis, qui pro præfato Domino Duce Mediolani Veronam gubernabat, cum alio exercitu se paraverat atque processerat, ut juxta Gubernulum transiret, Mincium & Serraleum similiter introiret. Sed utrique conatus

tus inefficaces fuerunt. Nam extenso Ponte illo vasorum Pado, concurrerunt Rustici, & alia præsidia Domini Mantuani, supervenitque Magister Bertholinus Architector Domini Marchionis, quem contigit eo tempore fore in servitiis Domini Mantuani, & per demissionem aliquorum Molendinorum, & alia reparacula, fuit Pons ille diruptus, priusquam quisquam transiret. Dominus Ugolotus etiam à transitu Mincii per illos de Gubernulo, ubi tunc etiam erant à Domino Marchione missa certorum provisionatorum præsidia repulsus fuit. Fuit itaque hinc principium & origo pestifera ingentis motus scelestissimæ Guerræ inter Dominum Ducem Mediolani, & Ligam: unde tot strages tantaque rerum discrimina processerunt. Quia de ingressu Serralei Mantuani nihil juxta concepta successerat, ut proximè dictum est, Dominus Ugolotus Blancardus remunito exercitu suo die IX. Aprilis petiit Terram Mellariæ Oppidum Domini Marchionis, quæ in manibus Domini Mantuani erat, ipsamque obsedit, & evacuatis aqua foveis Terram ipsam prœlio expugnavit, & abstulit, ac simul & Rocham. Magnificus Dominus Mantuanus interea concipiens futurarum molestiarum suarum sarcinam, & clarè cognoscens intentionem Domini Ducis Mediolani, amodo ad ejus excidium fuit de remediis cogitare coactus. Propter quod ceteris de Liga, videlicet Dominis Florentinis, ac Dominis Bononiensibus, & Domino Marchioni, ac Domino Paduano conditionem suam significans, auxilia postulavit. Requisivit insuper affines suos Magnificos Dominos de Malatestis. Et quoniam verisimiliter existimabat principales bellorum turbines futuros esse ad Pontem Burgi-fortis, ad locum ipsum præmuniendum tam in terra quàm in aqua citra & ultra Padum curam adjunxit.

Post prædicta magnus & potens exercitus Domini Ducis Mediolani, Capitaneo Domino Jacobo de Verme vênit Burgum-fortem, & castra posuit juxta Pontem ipsum. Ultra Padum vênit & alius navalis exercitus residens in Pado paulò supra Pontem. Qui ambo exercitus, postquam non erat sibi possibile Pontem occupare illum, vastissimis bombardis continuè contundebant, rumpendo, & sternendo diætim stilos & alia ipsius Pontis robora. Ad alteram ripam circa Padum & super Pontem castrametabatur Dominus Mantuæ cum omni sua & auxiliorum suorum & Ligæ potentia. Convenenerant enim illuc secum Magnificus Dominus Karolus da Malatestis ejus Cognatus cum Magnificis fratribus suis Malatesta & Galeotto, Comes Ugo de Montefort, & Antonius de Obicis stipendiarii Florentinorum. Convenit & postmodum Magnificus Dominus Franciscus Tertius de Carraria, multique alii proceres, nec non auxilia Domini Marchionis Navigiorum & hominum erat etiam apud Pontem infra pro Domino Mantuæ maximus apparatus in Pado Armatorum Navigiorum, & supra Pontem Naves quamplures belligeræ incatenatæ simul, nec non propugnacula multa ad resistendum, ne classis hostium declinaret ad Pontem. Et erat numerus totius exercitus hujus Domini Mantuæ terrestris & navalis ad decem millia personarum vel circa. Inter utrasque partes dura & cruentissima prœlia quotidie conserebantur, & multi cadebant inter strenua armorum certamina, quandiu potuit per Pontem ad hostes transitus esse. Sed adeò increbuit bombardarum vastatio, quòd in certa parte sui Pons ipse non esset transibilis. In his igitur hincinde prœliorum strepitibus multis diebus elaboratum erat. Sorsque utriusque partis satis consistebat in æquo usque in diem XIV. mensis Julii. Ipsa namque dies magnam calamitatem attulit Domino Mantuæ; nam qui præerant classi Domini Ducis, quæ supra Pontem per spatium unius milliarii in Pado posita erat, Zatas quasdam magnas repletas ad culmum fassinis & cannis cum pice & oleo ac aliis nutrimentis ad incendium igne accensas, quarum flamma & vapor altè latèque diffusus horrendissimus erat, explorato vento sibi ad id commodo, infra per Padum demiserunt ad Pontem, nec fuit possibile propter æstus & flammæ vehementiam resistere, vel avertere, immo propugnacula & navium reparacula, quæ supra Pontem in Pado erant cum propugnatoribus, incendio illo absumpta sunt, non paucis ex hominibus ipsis prolapsis & submersis in undis. Inhærentes igitur Zatæ illæ cum tanto igne, Pontem undique accenderunt, & totam ejus machinam converterunt in flammas cum miserabili clade armigerorum, qui super Ponte erant ad numerum circa M. quorum major ferè pars aut igne interiit, aut submersa fuit. Subsequitur postmodum navalis hostium exercitus, & pugna violenta descendens classem Domini Mantuæ impetit & convertit in fugam, nonnulla parte capta. Fit strages maxima, occisio, atque submersio. Dominus Mantuæ, qui cum præfatis Dominis de Malatestis, aliisque multis strenuis in certamine illo contra hostes probè pugnaverat, cognito quòd mansio illa amodo inutilis erat, cum suis Mantuam properavit; & quia incumbebat tanta necessitas undique auxilia & remedia pertentandi, disceptato inter præfatos Dominos super faciendis consilio, Magnificus Dominus Karolus de Malatestis abiens de Mantua ad auxilia & reliqua procuranda juxta necessitatem, Ferrariam, Bononiam, Florentiam, & ad alias partes tendere molitus est. Post dicti Pontis combustionem, & recessum exercitus Domini Mantuæ, immediatè fuit expugnatum, & obtentum per hostes fortilitium illud, sive Rocha de Burgo-forti, quæ erat in capite Pontis ultra Padum.

Die XXIII. Julii MCCCLXXXXVII. Dominus Jacobus de Verme cum supradicto exercitu Domini Ducis Mediolani, constructo ponte uno super navibus in Pado inter Burgumfortem, & Gubernulum, transivit in Serraleum Mantuanum cum magna potentia. Nam ad ipsius Serralei defensionem intendere nitebatur Dominus Mantuanus, habens secum Magnificos Dominum Malatestam de Malatestis, & Dominum Comitem de Carraria cum Comite Ugone & Antonio de Obicis, & reliquo suo conatu. Sed non valens tam fortem exercitum repellere, aut impetum sustinere, Mantuam regressus est, coactus amodo alia remedia meditari, in obsidione ejusmodi circumventus, & habens undique sibi conterminos fines Civitatum & Locorum Domini Ducis, hinc Veronam, hinc

hinc Brixiam, hinc Cremonam, hinc Padum cum Classe plurima hostium, & hinc Serraleum non amplius in sua, sed inimicorum potestate consistens. Successivè idem Dominus Jacobus de Verme existens cum exercitu in Serraleo posuit obsidionem & campum contra Gubernulum, ut illo sublato amputaretur omnis habilitas succursus mittendi Mantuam, & specialiter victualium, ibique supra Gubernulum ad Locum, in quo castra tenebat, Pontem unum valde latum & fortem super . . . . . Sandonis ex transverso Padi fecit fabricari per quem transitus expeditus ultra citraque erat. Posuit etiam & illic juxta Classem Domini Ducis bellicam ad numerum circa L. navium inter Galeonos & similes. Insuper Dominus Ugolotus alium tenebat exercitum contra Gubernulum, positâ unâ bastiâ super quadam Insuleta, quæ in Pado erat ante frontem Gubernuli juxta foveam Mincii, ubi descendit in Padum. Quotidianis itaque impulsionibus bombardarum & armorum prœliis vexabat obsidio illa Gubernulum, quampluribus consertis quandoque manualiter pugnis usque ad muros, valla, sive palancata transgredientibus hostibus foveas. Nam intra Locum ipsum erat Marsilius Torellus caput Gubernuli, vir probus, & cum eo proba & virilis valde Societas armigerorum, qui hostes ab ingressu fortiter coërcebant. Magna quoque strages fiebat, & quamplures etiam repulsi in foveas armorum pondere, aqua & luto obruebantur. Sic itaque diu fervebat talis obsidio, pluriesque dum ad Gubernulum remuniendum de Mantua furtim, ut fit, præsidia noctis tempore mitterentur, adversè successit, quia fuerunt ab hostibus intercepta. Verumtamen in obsidionis principio intraverat Bartholomæus de Gonzaga quadam nocte cum XXX. armigeris equestribus missus de Mantua. Interea dum hæc aguntur, Magnificus Dominus Karolus de Malatestis, qui, sicut supra dictum est, discesserat de Mantua, & venerat ad auxilia procuranda, cum multa animi magnitudine & solertia fidelissima institit, ut à colligatis, videlicet Communitatibus Florentiæ, & Bononiæ, atque à Domino Marchione, & Domino Paduæ succurreretur Domino Mantuano, & maximè circa Gubernulum, ubi tunc erat summa dispendii. Ivit & ipse Venetias, ibique assentiente Ducali Dominio, de pecuniis Domini Mantuæ armari fecit septem galêas, & multas barchas cum armatis pugnatoribus, balistrariis, & bombardis absque numero, ipsasque sub ductu bonorum Capitaneorum similiter pretio conductorum navigare fecit & proficisci supra per Padum usque Gubernulum. Ad hujus insuper laboris & procurationis auxiliare studium Magnificus Dominus Paduæ se adhibuit summo conatu, curiosè pergens Venetias, Ferrariam, atque Bononiam, & addens preces & solicitudines quascumque poterat. Optimus interim fit apparatus navigiorum armatorum & gentis in Ferraria tam per Dominum Marchionem, & Communitatem Ferrariæ, quàm per institorem Domini Mantuæ, qui continuè stabat Ferrariæ cum pecuniis ipsius Domini, solertius intendens ad navigia componenda & armanda, atque stipendiarios conducendos; & ad ista expedienda nil amittebatur temporis atque curæ, adhibitis omnibus artificibus lignaminis de Ferraria, & multis aliis ejusdem Artis Magistris, profectis de Padua & de Venetiis, cum ingentibus lignaminum & ferramentorum quantitatibus, & diætim mittebantur apparatus isti versùs Gubernulum, quemadmodum contingebat illos expleri. Providebatur etiam Ferrariæ juxta necessitatem de victualibus, & similiter mittebantur. Et hoc tempore erant Ferrariæ duo Ambasciatores Ducalis Dominii Venetiarum, videlicet egregii ac spectabiles Viri Dominus Michaël Steno, & Dominus . . . continuè solicitantes negotia, licèt Dominium illud tunc non esset in liga. Bononienses autem quingentas armigerorum lanceas, quibus in Capitaneum præfecerunt Comitem Johannem de Barbiano ex gente ligæ, ac Dominum Conradum Prasperg stipendiarium suum mittere statuerunt. De Florentia verò pauca gentium auxilia poterant impetrari, quoniam alter exercitus Ducis Mediolani eos pulsabat in Tuscia, cujus erat Capitaneus Comes Albericus de Barbiano agnominatus Magnus Conestabilis Regni Siciliæ.

Jam ad tam extremæ conditionis terminos de oppressione Gubernuli ventum erat, quòd intrinseci animo nimis lassati incessantibus hostium prœliis, & vastationibus Bombardarum, custodiisque nocturnis, infirmati quoque ex magna parte, victualium carentiam patientes, ad deditionis necessitatem quasi cogebantur. Propter quod fuit opus effectum procuratorum subsidiorum non ulterius remorari. Deliberato igitur de succurrendo ipsi loco Gubernuli, quòd non nisi maxima armorum vi fieri poterat, Magnificus Dominus Karolus de Malatestis Capitaneus generalis cum optima armatorum equestrium & pedestrium comitiva, & Comes Johannes de Barbiano cum D. lanceis gentis armigeræ de Bononia, & Dominus Conradus Prasperg secum profectus, per viam de Bondeno trajiciens ultra Padum juxta Sachetam, & Dominus Comes de Carraria stipendiarius ligæ cum prævalidis cohortibus equitum & provisionatorum pedestrium, disposita etiam armata navali ad se præsentandum tempore debito, die XXIV. mensis Augusti, qua die fuit Festum Sancti Bartholomæi in aurora insultaverunt exercitum Ducis Mediolani, quem tenebat Dominus Ugolotus juxta Gubernulum in inferiori parte ad introitum Mincii, hocque tam valido impetu effecerunt, & tanta cum festinantia, quòd interrupta hostium resistentia, & vallis obstaculorum superatis, præfatus Magnificus Dominus Karolus de Malatestis cum multis Gubernulum horâ eâdem introivit. Protinus excitatur tumultus in utrisque hostium exercitibus, conclamatur ad arma, Classis quoque suam se accingit ad pugnam. Galêæ verò & cetera navigiorum Armata Ligæ ad locum illum juxta ordinem appulerant, & hostes plurimis inquietabant molestiis. Bellatur continuè asperrimis prœliis per extrinsecos Ligæ, videlicet Dominum Comitem de Carraria, qui die illa strenuitatem miram exercuit, & per Comitem Johannem de Barbiano, ac per navalem exercitum contra hostes; sed tamdem superato exercitu illo Domini Ugoloti, & eo invito ipsi Comites & Capitanei similiter Gubernulum circa meri-

ridiem intraverunt. Fuit die illa notabilissima etiam pugna navalis inter classem Ligæ, quæ erat septem Galéarum adductarum de Venetiis cum pluribus Barchis, & circa numerum Galeonum viginti magnorum adductorum de Ferraria, & inter classem hostium ad numerum viginti navigiorum, quæ in strepitu illo descenderat per Padum juxta Gubernulum. Sed finaliter classis ipsa hostium fugata fuit, atque repulsa usque ad Pontem magni Exercitus, ubi erat sua solita statio, multis vulneratis & interemptis ex utraque parte, sed longè pluribus ex parte hostium. Fuit etiam die illa remunitum Gubernulum maxima copia victualium, quæ ad eum finem in navibus parata erant.

Facto introitu in Gubernulum, ut dictum est, & debilitato non modicum exercitu illo Domini Ugoloti, propter quod de bono successu melior spes emergere visa est, Dominus Mantuanus, & Magnificus Dominus Karolus de Malatestis Capitaneus Generalis, & præfati Comites Capitanei satìs inter se per nuncios digesto consilio, deliberaverunt ad ulteriora tendendum esse, & principaliter totam obsidionem & residentiam exercitus Domini Ugoloti repellendam, præcipuè ut navigatio Mincii libera fieret ad succurrendum Mantuæ de victualibus, ubi eo tempore incœperant valde deficere, & ut etiam ab inferioribus partibus ad illas aditus esset. Qua facta deliberatione Dominus Mantuæ cum toto exfortio gentis, & navigiorum, quæ de Mantua potuit traducere, Gubernulum personaliter vênit. Et die XXVIII. mensis Augusti diluculo egredientibus de Gubernulo præfato Domino Mantuæ, & Capitaneis cum gentibus illis omnibus armatis, & appellentibus navigiis de Mantua infra per Mincium, paratisque ad pugnam omnibus bellicis navigiis, quæ in Pado erant, fit insultus animosus in ipsum exercitum Domini Ugoloti, qui super glarea ibi versabatur, & in litore Padi. Dominus Mantuæ, & Dominus Comes de Carraria magnis conflictibus locum eumdem petunt, reliqua in Pado, & in Mincio navigia pugnaciter strepunt; sanguis hostium multus effunditur in terrestri atque navali certamine, quoniam & hostium classis descenderat. Superati hostes fugiunt & disperguntur hinc inde, quos isti persequentes ponunt continuò in conflictum, & classis quidem classem insequitur. Erat in armis totus alter exercitus magnus, quem habebat Dominus Jacobus de Verme, intra Serraleum supra Gubernulum; sed quamprimum exercitus ipse magnus sensit strepitum conflictus, fugam agnovit alterius exercitus, & Dominum Mantuanum cum suis ultra pro credere, totus in fugam subitam conversus est, & cum omni velocitate atque conatu ad transitum pontis ultra Padum tumultuariè festinavit. Multi in crebritate illa transitus dejecti vel præcipitantes in Padum, periere cum equis & armis, multi per Serraleum errando fugiebant, multi cum balistris & bombardis mortui & vulnerati ab illis, qui in navigiis Ligæ erant, multi è navibus obsessis descendebant in terram, relictis navibus & omnibus armamentis. Dimittebant hostes ipsi tentoria & allogiamenta cum apparatibus suis, fugam tantummodo cogitantes: sic totius potentiæ amborum exercituum violentia & vires confusæ sunt. Maxima fuit quantitas armorum, vestium, & similium, quæ in tentoriis per supravenientem Dominum Mantuæ & suos reperta est, maxima victualium, & mercium copia, & captivorum numerus ad MM. equorum, inter quos multi erant ægrotantes, quibus aufugere vigor non affuerat. Numerus classis captæ ad numerum L. navigiorum armatorum, & LXX. navium negotiariarum, quæ cum victualibus aliisque mercimoniis ad exercitus commoditatem illic in Pado stabulabant. Dominus Jacobus verò cum exercitu, quem sic ultra Padum eduxerat, versùs Parmam continuò se direxit. Ex hac tam felici victoria per omnia colligatorum loca ingens lætitia resultavit. Ne tamen passus & locus Burgifortis iterato per hostes peteretur, misit illico præfatus Dominus Mantuæ optimam partem classis suæ & hominum præsidia Burgumfortem, ut ibi pro custodia & defensione manerent. Recuperavit quoque tunc per vim fortilitium Burgifortis ultra Padum, quod hostes occupaverant tempore invasionis Serralei. Compositis in Gubernulo & Mantua rebus post conflictum & expulsionem hostium, deliberatum fuit de recuperatione Mellariæ, quæ in manibus erat Domini Ducis Mediolani occupata per Dominum Ugolotum in principio Guerræ, sicut supra fit mentio. Quare Magnificus Dominus Mantuæ exercitum suum cum præfatis Capitaneis adducens, campum & obsidionem contra ipsam Mellariam posuit, illam bombardis & prœliis oppugnando; sed intrinseca Domini Ducis præsidia pertinaciter se tenebant, ex quo fuit necesse diutius demorari. Verùm cùm impedimentum illud omnino foret de medio auferendum, Magnificus Dominus Paduæ tam longæ dilationis impatiens, cum duobus natis suis Domino Francisco, & Jacobo de Carraria, traducens quamplurimos ex provisionatis suis, & multa artificia de Padua ad Dominum Mantuæ in obsidione illa degentem, videlicet apud Mellariam vênit, & tamquam valde magnanimus de peremtoria expugnatione consuluit. Erant amodo omnes muri Terræ & Rochæ ab ictibus bombardarum excussi tam in prima Domini Ugoloti debellatione, quàm nuper in ista, nec tamen intrinseci fœdera aliqua de deditione proponebant. Factum est igitur in Padi aggere cavamentum, per quod navigia quædam transmitterentur in foveas, & exinde transitus fovearum & debellatio per plura loca consequerentur. Tunc attendentes intrinseci, se non sufficere, ut ad illum insultum possent resistere, Terram & Rocham Domino Mantuano reddiderunt die XXVII. Septembris, quam ipse illico præsidiis & aliis necessariis remunivit.

Die XXIX. mensis Octobris dicti Anni MCCCLXXXXVII. Validissima Armata Domini Ducis Mediolani cum navigiis multis belligeris, & cum duabus zatis lignaminis magnis incastellatis, cum grandi numero pugnatorum, bombardis, ballistris, & saxis manualibus, nec non arpacibus ferreis, & apparatibus ad urendum, descendit infra per Padum ad Burgum-Fortem, & Armatam navigiorum Domini Mantuani, quæ ibi infra Pontem residebat, aspero prœlio insultavit,

vit, atque devicit, cepitque tres Galeas, & circa XXV. Galeonos cum hominibus, & omnibus armamentis, quæ tres Galeæ postmodum mandato Domini Ducis usque Papiam missæ fuerunt. Declinavit deinde Armata ipsa infra usque Hostiliam, prohibens navigationem Padi inde supra, infra etiam sæpe numero se diffundens: & sic Domini Mantuani res iterum ad extrema reducitur. Post dictæ classis Domini Mantuani conflictum Magnificus Conestabilis, qui de Tuscia redierat in Lombardiam cum Exercitu Domini Ducis Mediolani, & magno numero vastatorum, iterato transivit Padum juxta Burgum-fortem, & Serraleum Mantuanum introivit, foveasque ipsius Serralei versùs latus Curtatoni, in pluribus locis diruptis murorum propugnaculis, ruina & terra atque arborum truncis impleri fecit (ita quòd ex veritatis consequentia Serraleum amplius dici non posset) omnia discurrens, populans, atque obsidens usque Mantuam. Propter quod Dominus Mantuanus non valens tantum malum repellere de se & statu suo, magnis angoribus premebatur, & Ligæ conditio dubiis eventibus titubabat, quoniam invasio & exitus Serralei per explanaturas illas fovearum erat in hostium libertate. Sed non longorum dierum fuit illa mora exercitus ibi, qui disposita aptitudine illa Serraleum introëundi pro libito, quoniam & tunc Marcharia erat in manibus Domini Ducis, proximante hyeme inde abiit, & in Lombardiam profectus est per viam de Marcharia. Tempore hujus guerræ Magnificus Dominus Mantuanus infrascriptas Terras suas, sive Oppida amisit, ablatas sibi bellaciter per gentes Domini Ducis Mediolani. Primò Luceriam Oppidum, quod est ultra Padum. Item Suzeriam, quæ similiter est ultra Padum. Item Turrim de citra Padum. Item Marchariam citra Padum supra Olium. Item Solfarinum juxta Caprianam. Tempore etiam dictæ Guerræ per paucos dies ante combustionem Pontis de Burgo-forti Magnificus Dominus Franciscus de Carraria Tertius, natus Domini Paduæ, Magnificam Dominam Aldam natam Domini Mantuæ duxit uxorem, acceptam de Mantua, & ductam Ferrariam per navim, & deinde Paduam in Comitiva Illustris Dominæ Tadææ matris sponsi, quæ quampluribus diebus post nuptias Domini Marchionis, & usque ad hujus sponsæ adventum manserat Ferrariæ penes filiam. Ad has nuptias parva festivitas intervenit, rebus tunc non lætis apud Dominum Mantuæ exigentibus, quæ tamen magnanimitatem & constantiam Domini Paduæ, ne ea tempestate nurum illam acciperet, avertere non potuerunt, magìs rationi, & fidei, quàm fortunæ respectui tradere se disponens.

Eodem Anno MCCCLXXXXVII. de mense . . . . . . Cùm esset Mantuanus Dominus à viribus Domini Ducis Mediolani undique circumventus, adeòque ipsius status & totius Ligæ conditio in dubio maximo versaretur, Serenissimum Ducale Dominium Venetorum excitatum atque rogatum à Colligatis, nec minus circumspiciens, quantum jactura Domini Mantuæ, & Colligatorum, & ampliatio potentiæ Ducis Mediolani sibi & Communitati Venetiarum poterat generare dispendium, cum solemnitatibus Consiliorum suorum Ligam intrare decrevit, & ita factum extitit, eo adjecto quòd Dominium ipsum totius Ligæ caput efficeretur, cujus dispositione cuncta agerentur mox idem Dominium ad hostilitatem & excidium Ducis Mediolani integram operam dare dispositum, factis ratis & taxis Colligatorum omnium, decrevit ad Ligæ servitia conducere tria millia lancearum, & exbursato magno pondere ducatorum ex publicis sui Communis pecuniis, postea per Colligatorum ratas exhibendorum, multos armigerorum Caporales ad dispendia Ligæ suscepit, & quamplurimos . . . . . Præterea decrevit unum ex Ducibus Austriæ cum copiosissimo exercitu, mediantibus abundè pecuniis, evocare, & breviter omnem suam suæque Communitatis possibilitatem exponere. Et pro ipso Duce Austriæ contrahendo Magnificus Dominus Dominus Franciscus de Carraria, decreto ejusdem Dominii & reliquorum de Liga, in Austriam missus fuit; nec quidem desistebatur à reliquis providendis. Quum sensisset Dominus Dux Mediolani de Liga facta cum Venetis, & de motibus, & tractatibus hostilitatis, qui adversùs eum tanto Venetorum studio parabantur, metuens rebus suis de concordia sibi consuluit, quo ad Ducale Dominium Venetorum multis præambulis per Oratores ejus delato, & Dominio ipso, utpote semper concordiæ amatore, benigniter inclinato, decernitur inter partes de sufferentia ab offensis, & de treuga practicanda atque firmanda. Propter quod Dominium ipsum destitit à processu conductæ Ducis Austriæ, & alterius multitudinis, quam conducere deliberaverat, & incœperat, elegitque ac misit Commissarios & Oratores Papiam ad practicandum & conficiendum Treugam ipsam, videlicet viros spectabiles Dominum Michaëlem Steno, & Dominum Petrum Cornerio. De mense Octobris. Terræ Nonantulæ, & Bazani, quæ erant Domini Marchionis, decreto Magnifici & potentis Domini Domini Francisci de Carraria Domini Paduæ soceri Domini Marchionis, de coacta quasi voluntate ipsius Domini Marchionis, suique Consilii, consignatæ & dimissæ fuerunt in manibus Magnificorum Dominorum & Communitatis Bononiæ, ad quarum Terrarum dimissionem non sinè ferè ultima difficultate ipse Dominus Marchio suumque Consilium disponi potuerunt, & longis recusationibus eam interruperunt; sed omnino id evitari non potuit propter rerum conditionem, & Dominorum Bononiensium importunam instantiam apud Dominum Paduanum. Pro ipsis verò Terris dictus Dominus Marchio à Communitate Bononiæ recepit duodecim millia ducatorum solutorum in Venetiis, qui Ducali Dominio Venetiarum traditi & soluti fuerunt in partem solutionis debiti ducatorum quinquaginta millium ab ipso Ducali Dominio aliàs mutuo habitorum, & pro quibus fuerat sibi Policinum Rodigii pignoratum in MCCCLXXXXV.

Anno Domini MCCCLXXXXVIII. de mense Martii. Data & concessa fuerunt Oppizoni de Monte Garuleo ad gubernandum nomine Domini Marchionis infrascripta Castra & Villæ in Fregnano, quæ erant ipsius Do-

Domini Marchionis, videlicet. Primò Rocha de Pelago, Sanctus Michaël, Castellinum, Vagium, Ronchiscalea, Gallina morta. Item Plebes de Pelago, Commune Flamignatici, Rochezola, Villa Merli, Vexalum Lavachium. Item Sanctus Andreas Commune de Brochi, Barigacium, Cornianum, Montersium, Bendellum. Eodem Anno Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. die Lunæ VI. Maji super Sala magna à platea Egregium Virum Jacobum de Jadra electum Potestatem Bononiæ & ad Officium suum proficiscentem militem fecit. Die VI. Maji. Cùm Principatus Regiminis Bononiæ certo tempore fuisset & esset in manibus factionis, sive partis Scachesiorum, quorum principalis eo tempore erat Dominus Franciscus de Ramponibus, Dominus Karolus de Zambechariis, qui quamvis & ipse de parte illa Scachesiorum esset, tamen partem Maltraversorum fovebat, & illius se fecerat protectorem & caput, cum certa etiam portione partis Scachesiorum, quæ bipartita erat, in eum videlicet, & Gozadinos, congregatione facta ad numerum duorum millium Civium, ad plateam Bononiæ convenit in armis; deinde in Palatium progressus Antianorum, ipsos deposuit, & novos de factione sua surrogavit, & regimen status ad ipsam redegit nemine rebellante, revocavitque ad patriam nonnullos de parte illa pridem expulsos, & inter ceteros Dominum Bartholomæum de Saliceto tunc Ferrariæ commorantem. De mense Maji facta & conclusa fuit in Civitate Papiæ Treuga pro decennio inter Ligam totam, videlicet Serenissimum & Excelsum Dominium & Communitatem Venetiarum, Magnificas Communitates Florentiæ, & Bononiæ, Illustrem & Magnificum Dominum Dominum Nicolaum Marchionem Estensem, Magnificum & potentem Dominum Dominum Franciscum de Carraria Dominum Paduæ, ac Magnificum & potentem Dominum Dominum Franciscum de Gonzaga Mantuæ Dominum, omnesque Colligatos, adhærentes, & complices dictorum Dominii, Communitatum, & Dominorum parte una, & Illustrissimum Principem Dominum Johannem Galeatium Ducem Mediolani &c. cum suis adhærentibus, Colligatis, & complicibus parte altera. Et die XXVI. Maji, qui fuit Paschalis Pentecostes, fuit Treuga ipsa mandato Domini Marchionis super platea Ferrariæ, sicut & eadem die in omnibus partium Civitatibus, cum universorum lætitia per Tubicinem publicata. Quæ treuga pro parte Ligæ practicata & conclusa fuit per Commissarios & Procuratores dicti Ducalis Dominii Venetorum, videlicet Dominum Michaëlem Steno, & Dominum Petrum Cornario Cives Venetiarum, habentes etiam à reliquis Colligatis arbitrium. Et in ipsius Ligæ conditionibus actum fuit, ut fortilitia, quæ Domino Mantuano per Guerram illam ablata fuerant, deponerentur in manibus Magnifici Domini Karoli de Malatestis, donec aliud de ipsis concluderetur in pacis eventu.

Eodem Anno MCCCLXXXXVIII. circa finem mensis Junii. Cùm incœpisset in Civitate Ferrariæ aliqualis pestilentia Epidemialis emergere, Dominus Marchio ætatis tunc annorum XV. deliberatione & assensu Consilii sui cum Illustri Consorte sua Domina Ziliola de Carraria secessit Rus, videlicet Quartexanam, dimisso in Ferraria Consilio suo, & Domino Guielmo de Curtarodulo Paduano, qui post nuptias Domini Marchionis, sicut ante fit mentio, remanserat in Palatio ad curam Dominæ Marchionissæ, & dicto Consilio erat insertus. Hoc tempore per quosdam Cives, quorum caput fuerunt Magister Compagnus de Bonleis Physicus, & Nicolaus de Costabilis, ac Nascimbene Zaffus, cum interpositione Domini Guielmi de Curtarodulo Paduano, qui in Palatio morabatur, & erat de Consilio, sicut proximè supra fit mentio, secretissimè suggestum fuit Magnifico Domino Paduæ, & cum magna instantia persuasum de depositione soliti Consilii Domini Marchionis, à quo tamdiu, & tam prudenter, tantisque angoribus eorum ipse Dominus Marchio fuerat hactenus gubernatus, inferentibus Civibus ipsis utilissimum fore statui & rebus Domini Marchionis Consilium ipsum sic deponi, & alios novos Consiliarios surrogari, atque ad id faciendum præfatum Dominum Paduæ secretò multa & longa practica accendentibus. Quum tamdem Magnificus Dominus Paduæ antedictus suggestionibus proximè supra tactis annuisset, & ad Consilii depositionem se disposuisset eo deliberationis præambulo, ut accessus suus tam repentinus esset atque secretus, quòd omni careret obstaculo: die Lunæ XXII. Julii recedens de Padua unà cum filio suo Magnifico Domino Francisco Tertio, & cum centum provisionatis ex suis pedestribus, equestribus quoque ad numerum CCCC. cum quibus erant & multi Cives Paduani, adeò celeriter equitavit, quòd die Martis subsequenti XXIII. Julii ante diem Ferrariam appulit, ubi tunc non erat Dominus Marchio, sed Quartexanæ, & de Consiliariis Domini Marchionis erant absentes duo, videlicet Dominus Nicolaus de Robertis, qui ad Castrum suum Sancti Martini in Comitatu Regii se contulerat, & Dominus Antonius de Montecatino, qui in Tusciam iverat; alii verò tres erant Ferrariæ, videlicet Dominus Thomas de Obicis, qui tunc in Curia pernoctabat, Bartholomæus de la Mella, & Johannes de la Sale, qui tunc aliquali podagrali passione laborabat. Eadem nocte significarunt dicti Consiliarii Ferrariæ existentes Domino Marchioni Quartexanam adventum Domini Paduæ, cujus tamen causam nesciebant, & mane facto ipse Dominus Marchio de Quartexana Ferrariam profectus est ad præfatum Dominum Paduanum Socerum ejus. Die illa videlicet XXIII. Julii à XXIII. hora usque per horam primam noctis ipse Dominus Paduæ opus dedit ad permutationem Capitaneorum Castri Portarum, & aliorum fortilitiorum Ferrariæ, faciens poni in eis novos Capitaneos; & eodem sero accitum ad se præfatum Bartholomæum de la Mella, cùm minus lubricè minusque pavidè ad interrogationes ejus respondisset, fecit in Rocha Castri Ferrariæ detineri. Die Jovis sequenti XXIV. Julii ante tertias Dominus Marchio sic instructus à præfato Domino Paduæ fecit reliquos duos de suo Consilio, videlicet Dominum Thomam de Obicis, & Johannem de la Sale ad se vocari intra Palatium, & præsente Domino Paduæ sibi depositionem à Consilio, atque absentationem à Ferrariensi Urbe, satis gratiosis sermonibus induxit. Propter quod

quod Johannes de la Sale exulare Bononiam, & Dominus Thomas in Comitatu Ferrariæ, videlicet Sabioncellum, permissione dictorum Dominorum, eligentes, eadem die ab Urbe cesserunt. Reliquis verò duobus, videlicet Domino Nicolao de Robertis, & Domino Antonio de Monte-Catino, quia absentes erant, non fuit expresè indictum exilium, sed exemplo Colligatorum satis sibi duxerunt de absentia consulendum. Eadem quoque die præfatus Dominus Marchio studio ejusdem Domini Paduæ novum Consilium, & novos Consiliarios sibi constituit, qui fuerunt hi, videlicet: Egregius Miles Dominus Guido de Matafatis de Jadra. Egregius vir Joculus de Joculis Civis Ferrariæ. Egregius vir Nicolaus de Costabilis Civis Ferrariæ. Egregius vir Magister Compagnus de Bonleis Civis Ferrariæ Physicus. Egregius Legum Doctor Dominus Johannes de Spadariis Judex Sapientum Communis Ferrariæ. Nascimbene Zaffus Civis Ferrariæ Ufficialis stipendiariorum, addito & consociato istis etiam Domino Guielmo de Curtarodulo antedicto. Item Officio Cancellariæ loco Bartholomæi de la Mella præfecit Magistrum Donatum de Casentino, qui Præceptor suus fuerat. Per dies aliquot sequentes, Domino Marchione reverso rus, dictus Dominus Paduæ remansit Ferrariæ, & ad examinationem rationum introituum, & expensarum, atque aliarum facultatum Domini Marchionis, ac reformandum, & remittendum, multam operam dari fecit per supradictos novos Consiliarios, ac per Dominum Michaëlem de Rabata Militem, & Dominum Henricum, quos duos de Padua secum adduxerat. Post hæc in diversis diebus assumti fuerunt ad Consilium dicti Domini Marchionis etiam Nobiles Viri Gerardus de Bojardis, Bartholomæus de Fontana, & Johannes Marchetus, ac Nicolaus de Fabro, cives Ferrariæ. Die . . . . mensis Augusti dicti Anni MCCCLXXXXVIII. Egregius vir Bartholomæus de la Mella pridem Consiliarius & Referendarius Domini Marchionis, qui sicut supra continetur, per Dominum Paduæ fuerat detentus in Castro Ferrariæ, mandato ipsius Domini, universali ferè Civium intercessu, fuit de custodia liberatus, præstita cautione pecuniaria de sistendo domi, qua post dies paucos cassata ipse libertatem integram nactus est.

Eodem Anno MCCCLXXXXVIII. Die XVII. Augusti. Cùm post dicti primi Consilii depositionem Magnificus Dominus Paduæ degens Ferrariæ rogatus fuisset per Magnificos Dominos Oppizonem, Aldrovandinum, Azonem, & Petrum fratres de Polenta Dominos Ravennæ, se admitti, & revocari ad pacem & amicitiam cum Domino Marchione Consanguineo suo, qui cum eis, jam per exactum triennium cum dimidio, eorum culpa diffidebat, ipse Dominus Paduæ, impetrato super hoc assensu Domini Marchionis, & accersito Ferrariam Oppizone prædicto, assumtoque in se per commissum partium onere & pleno arbitrio componendi, pronunciavit inter eos concordiam, & bonam pacem cum nonnullis capitulis & reservantiis in se de non terminatis quibusdam in Laudo. Quæ pax dicta die, existente Oppizone in Ferraria, fuit publica, & successivè eisdem Dominis de Polenta restitutæ

A fuerunt possessiones & jura, quæ Argentæ, & infra Riperiam Fili citra Padum jure belli fuerant occupata, ad quæ restituenda præfato Oppizoni Jacobus de Delayto Domini Marchionis Cancellarius missus fuit. Eodem mense Augusti die ultimo Dominus Marchio cum Magnifico Socero suo Domino Paduæ antedicto in magnifico apparatu ivit Venetias ad visitandum Ducale Dominium; non enim ampliùs ante fuerat ipse Dominus Marchio Venetiis. Expediti autem de Venetiis iverunt Paduam, & inde postmodum Dominus Marchio Ferrariam adventavit. Magnificus Dominus Paduæ in discessu suo à Ferraria dimisit ex suis ad Consilium Domi-
B ni Marchionis ultra suprascriptos novos electos Consiliarios Dominum Michaëlem de Rabata, & Dominum Henricum Galetum, qui stabant in Palatio, & qui multis diebus morati sunt, intervenientibus etiam aliquando, & per intervalla manentibus aliis ex suis, & præsertim Nobilibus viris Luca & Paulo de Leone, Domino Antonio de Sancto Angelo Legum Doctore, & aliis. Postmodum verò vènit Dominus Medius Comes Legum Doctor ad faciendum in Palatio continuam residentiam unà cum Domino Guielmo de Curtarodulo, qui continuè similiter residebat. Eodem Anno de mense Decembris. Interpositione Serenissimi Ducalis Do-
C minii Venetiarum, sive Oratorum suorum ad id missorum, fuerunt factæ novæ conventiones & pacta inter Illustrem Dominum Marchionem una parte, & Magnificum Dominum Astorgium de Manfredis Dominum Faventiæ parte altera super conservatione Illustris Viri Azzonis Estensis, qui erat in captivitate penes ipsum Astorgium, infractis primis fœderibus ex injusta causa, & propter ipsius Astorgii inexplebilem avaritiam, ac sinceræ amicitiæ corruptelam. Eodem Anno MCCCLXXXXVIII. die X. Julii. Generosus Miles Dominus Luchinus Novellus de Vicecomitibus de Mediolano, qui certis annis in Civitate Ferrariæ habitaverat, discces-
D sit de Ferraria, & ivit Utinum Provinciæ Forojulii ad habitandum illic jussu Domini Ducis Mediolani, qui ipsum ad locum illum relegavit. Eodem Anno MCCCLXXXXVIII. die Dominico XXIIII. Novembris. Quidam extraneus nominatus Romanellus de Marchia, qui per triduum vel circa conversatus erat in Ferraria, fatuus, vel simulans se esse forsitan vagabundum & levis capitis, horâ prandii ivit ad domum Andreæ Belbiati Civis Ferrariensis habitantis in contrata Sancti Petri, & ingressus clandestinè stabulum equorum per fenestram, reperto equo uno ipsius Andreæ habente à casu sellam & brenam, & aperto stabuli ostio, illum ascendit,
E moxque nudato ense suo velocissimo cursui, stimulis urgens equum, se commisit, discurrens vociferando: Vivat Azzo Marchio, & ensem nudum agitando, quoscumque sibi obvios vulnerans. Deinde sic discurrens, & vociferans se contulit ad plateam, & duos, qui sibi in platea occurrerunt, ense percussit. Sed exeunte strepitu concurrerunt Provisionati Domini Marchionis, qui ad plateæ custodiam morabantur, & illum multis confossum gladiorum ictibus ciderunt, qui deinde ad fenestras Palatii Commmunis suspensus laqueo per biduum illic ad spectaculum

lum mansit. De mense Decembris cùm Bartholomæus de Gonzaga de Mantua cum quadam sua Societate armigerorum ad numerum duorum millium equitum invasisset planitiem Territorii Mutinensis prædando & populando omnia, & ibi stationaret per quamplures dies sine ulla efficaci contradictione, quia non erat tunc Dominus Marchio armigeris gentibus copiosus, ipse Dominus Marchio cum suo Consilio, concurrente etiam ad eamdem deliberationem consilio & assensu Magnifici Domini Paduæ Soceri sui, conduxit ad sua servitia per modum expectationis Societatem de Rosa, quæ tunc sine stipendio hibernabat in Forlivio, & Ravennæ, optimam quidem & famosam in bellis. Et erant ipsius Societatis quatuor Capitanei, videlicet Tomaxinus de Cribellis, Thomaxius de Castello, Johannes Malvicinus, & Johannes de Lischa. Deliberatum fuit dictam Bartholomæi de Gonzaga hostilem Societatem exterminari. Propter quod evocata Ferrariam Societate illa Rosæ conducta, ut dictum est, missisque per Dominum Paduæ auxiliis armigerorum multorum, & personaliter Magnifico filio suo Domino Francisco Tertio, missis quoque jumentis ad victualia cum sarcinis deportanda, paratus fuit egregius exercitus in Ferraria, cui Dominus Marchio egregium & strenuum scutiferum Philippum de Pisis Provisionatum suum præfecit, in Capitaneum Generalem Dominum Franciscum de Buzacharinis, & Johannem Malvicinum Marescalcos constituens. Profectus est idem exercitus subitò Mutinam, & deinde procedens ad insultandum Societatem illam hostilem cum præsidiis etiam factis in Mutina properabat. Sed Societas prædicta hoc sentiens, de recessu sibi repente consuluit, transabiitque versùs Romandiolam, ut inde in Marchiam se conferret. Postquam sic fugata Societas ipsa secesserat, exercitus Domini Marchionis Ferrariam rediit, & præsidia missa de Padua Paduam redierunt; Societas verò de Rosa Ravennam & Forlivium, ubi ante erat in hibernis, remeavit. Hoc tempore Bartholomæus de Gonzaga cum Societate illa hostili in Romandiolam profectus, in finibus Forlivii secus ab Urbe per tria milliaria in loco dicto Roncho allogiaverat, transiturus ad Marchiæ partes. Fuerat quidem Domini Marchionis & ejus Consilii intentio atque commissio, ut si commoditas appareret, eadem hostilis Societas in Romandiola armis impeteretur atque conflictu. Super quo efficiendo habita fuit tractatio cum Magnificis Dominis Ravennæ atque Forlivii. Explorata igitur ejusdem hostilis Societatis conditione, & jam apparatu facto in Forlivio, quo hac de causa convenerat Societas de Rosa, & convenerat etiam Magnificus Petrus de Polenta cum certis armigeris, in prima luce diei exivit totus exercitus contra dictam Societatem hostilem, quæ suæ perniciei non conscia jam se ad itinerandum accinxerat, & facto insultu adversùs eam, modico certamine tota confunditur sine strage, ac captivatur usque ad ultimum. Bartholomæus de Gonzaga, & ceteri Caporales in potestatem Capitaneorum Societatis de Rosa venerunt; sic reliqui aliorum captivi fuerunt, ita ut nullus ex Societate illa immunis captivationis existeret. Eodem Anno MCCCLXXXXVIII. Fuit in Civitate Ferrariæ multa mortalitas personarum per Epidemiam cadentium & morbos alios pestilentiales. Eodem Anno die VIII. Septembris, quo die fuit Festum Nativitatis Virginis Mariæ, vir egregius Johannes de la Sale Civis Ferrariæ, & pridem Consiliarius Domini Marchionis, relegatus Bononiæ ibi decessit, cujus corpus fuit conductum Ferrariam, & cum honore multo tumulatum in Ecclesia Sancti Pauli Ordinis Carmelitarum in sua Capella. Ex ipso quidem Johanne tres filii masculi legitimi & naturales remanserunt, videlicet Albertus, Baldissar, & Nicolaus.

Anno Domini MCCCLXXXXVIIII. die ultimo mensis Martii. Quidam Gaspar de Perusio habitator Ferrariæ, & quidam Angelinus de Carentano Teotonicus stipendiarius equester, habita inter se conventione de faciendo ad invicem tres punctas ad lanceas ammolatas, & concesso sibi certamine ejusmodi per Illustrem Dominum Marchionem, ipsas tres punctas super platea Ferrariæ fecerunt, congredientes ad invicem cum lanceis rapida fuga fortium equorum, & honor fuit dicto Gaspari adjudicatus, quia in adversarium duarum lancearum hastas confregit, & una puncta brazalem & aliam armaturam penetravit sine tamen alia læsione. Die XIIII. Junii fuerunt strascinati, & postea suspensi ad punctam Sancti Georgii, Petrus Cagnolus quondam Besini de Ferraria, & Hieronymus Jacobi Salvatoris, propter seditionem conceptam in perniciem personæ Illustris Domini Marchionis, auctore Francisco Inselmi de Romandiola rebelle & proditore Domini Marchionis ad instantiam Azonis Estensis. Eodem Anno MCCCLXXXXVIIII. de mense . . . . . Illustrissimus Princeps Dominus Johannes Galeaz de Vicecomitibus Dux Mediolani &c. habuit Dominium Civitatis Pisarum per scelus Domini Gerardi de Plano ipsius Civitatis Tyranni, qui eam præfato Domino Duci secretè multo auro venumdedit, introductis præsidiis illius in maxima copia sub simulata specie necessitatis ad statum suum, ipseque venumdator secessit Plumbinum, quod cum certis aliis Oppidis Pisanorum ex iniquo fœdere sibi fuerat destinatum. Die XVI. Junii Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. ivit Venetias ad Serenissimum Ducale Dominium Venetorum in nobilissimo apparatu; & iste fuit secundus accessus ipsius Domini Marchionis Venetias. De mense . . . . . Illustris Princeps Dominus Ludovicus Dux Andagaviæ, qui de Regno Apuliæ cum Illustrissimo Principe Domino Ladislao Rege Apuliæ post sui Genitoris obitum longo tempore, & bello plurimo decertaverat, fuit ab ipso Rege potenter obsessus in terra . . . . , quæ maritima est, & non concipiens obsidioni suæ remedium, nisi per recessum, navali fuga se abstulit, & in Galliam se recepit. Die VIIII. mensis Augusti. Fortuitò accenso igne in ædificiis ligneis intra infimum Turris Asinellorum Bononiæ, omnia solaria, bataleamque ad summum, & reliqua ædificia lignea combussit, depastus ibi per biduum sine ullo extinctionis remedio.

Eodem Anno MCCCLXXXXVIIII. de men-

A mense Augusti. Comes Johannes de Barbiano capitalis hostis Domini Marchionis, tenens eo tempore Terram Vignolæ in Mutinæ Territorio, quam per dolum & nefas rapuerat Domino Marchioni, secundùm quod in superioribus mentio facta est, vocante fato suo ad ultimam expirationem longorum scelerum & facinorum suorum, unam fecit congregationem, sive Societatem Armigerorum ad numerum mille ducentorum Equestrium, & secum trahens quosdam de Domo sua, videlicet . . . . . Filium suum, Comitem Bandezatum, Comitem Lipacium, Comitem Manfredum, Consilicem creditum filium suum naturalem, ac etiam Bolognium parvum de Bononia, invasit Mutinæ Territorium, & post populationem multam recepit se in Vignola, cuncta vicina suæ rabiei committens. Quod cùm per Regimen Mutinense festinatis scriptionibus Domino Marchioni, & suo Consilio dietim nunciaretur, deliberatum fuit de intendendo ad exterminium ipsius Comitis Johannis, & Societatis jam dictę, cum auxilio Magnificæ Communitatis Bononiæ, cujus Gubernatores, & Magistratus, & præsertim Dominus Karolus de Zambeccariis tunc in principatu superior, ad id faciendum promptissimè annuerunt, tum causâ viciniæ, & amicitiæ, ac ligæ, & tum quòd pluscculis ante diebus Comes Johannes multa scelesta in Bononiensibus finibus commiserat, propter quæ factus erat Regimini & Communitati nimium exosus usque ad Bannum capitale. Erat tunc ad ipsius Communitatis Bononiæ stipendia Societas Rosæ admodum strenua, quæ ante etiam fuerat ad stipendia Domini Marchionis, quam præfatus Dominus Karolus de Zambeccariis cum certis aliis equitibus & peditibus pro Communitate Bononiæ, & etiam Antiani obtulerunt. Dominus Marchio quemcumque potuit in Ferraria equitatum armigerorum paravit, & Mutinam misit sub ductu strenui Viri Philippi de Pisis. Similiter & in Mutina de bono apparatu provisum fuit, & ordinato tempore convenit illuc etiam Societas Rosæ, & alius apparatus de Bononia. Postquam verò satis de suis progressibus decreverunt, omnes ad invicem captis armis ad inveniendos hostes die XX. Martii versùs Spilambertum equitarunt, ubi de processibus Comitis Johannis explorantes, habuerunt, quòd nocte illa ipse Scultennam fluvium, qui juxta Vignolam allabitur, transiverat. Quem, antequam dies sequens elucesceret, secuti sunt ultra Scultennam, & repertum illic super glarea, ubi pernoctaverat, parantem se diluculo ad iter, duro impetu insultarunt, & in rei conclusione cum paucorum cæde ipsum totamque gentem suam expugnarunt, atque in captivitatem posuerunt. Comes Johannes cum filio suo, & Comitibus Bandezato, & Lipacio, ac cum Consilice, & Bolognino fuit captivus illorum de Societate Rosæ. Comes verò Manfredus fuit captivus Philippi de Pisis, qui eum duxit Mutinam. Prædicti verò Comes Johannes cum filio, Comes Bandezatus, Comes Lipacius, Consilex, & Bolognius parvus, ducti fuerunt Bononiam. Quos Domini Bononienses acceptos de manibus dictæ Societatis in communes carceres arduis vinculis conjecerunt, & propter exacta facinora sua ipsi omnes sex die XXVII. Septembris fuerunt lata contra eos capitali sententia decollati. Fama fuit, Magnificum Dominum Astorgium de Manfredis Dominum Faventiæ ad horum interitum penes Dominum Karolum & Antianos multum adhibuisse solertiæ.

Eodem Anno MCCCLXXXXVIIII. De mense Septembris Illustris Dominus Marchio misit exercitum suum contra Vignolam, & posita obsidione illam recuperavit & obtinuit infra quartum mensem, qui Exercitus discessit de Ferraria die penultimo Septembris. Vir strenuus Philippus de Pisis fuit Capitaneus atque Dux. Die XI. Septembris Communitas Senarum se & Civitatem ipsam subdidit Illustrissimo Principi Domino Johanni Galeaz Duci Mediolani, ac ipsius Dominio & protectioni se subjecit. De mense Octobris decessit in Bononia Dominus Karolus de Zambeccariis Juris utriusque Doctor, Civis maximus in Populo, & habens totum ferè Principatum Regiminis, qui tunc erat in manibus partis Scacchesiorum, divisæ in duas partes, videlicet partem ipsius Domini Karoli, & partem Gozadinorum. Et paucis post diebus Populus minutus excitato tumultu cum armis concurrit ad plateam vociferando: Vivat Populus, & vivant Artes; & ascendens Palatium Antianorum illos deposuit, & novos imposuit. Die XXVII. Decembris Nannes de Gozadinis & Dominus Gozadinus ejus nepos, & Dominus Benthe de Bentevoglis Miles, qui exulabant à Bononia, & Johannes de Bentevoglis, qui Paduæ exulabat, audito de obitu Domini Karoli de Zambeccariis, & de mutatione Regiminis, accedentes Bononiam, ope suorum amicorum illam intrarunt, & depositis Antianis, & aliis, qui pro Populo & Artibus gubernabant, Reipublicæ statum & regimen sibi applicarunt, ponentes Antianos & Ufficiales pro libito. In quorum præsidium requisitis de auxilio Illustri Domino Marchione, & Magnifico Domino Paduano, ipse Dominus Marchio Philippum Sbugam cum comitiva equestrium pulchra, & Dominus Paduæ Magnificum filium suum Dominum Franciscum Tertium cum gente similiter præsto miserunt, nec fuit mutatio ejusmodi sinè tumultu & cæde quorumdam de parte, qui se objicere nitebantur. Die XXVIII. Decembris. Illustris Dominus Marchio Nicolaus adolescens ætatis suæ sextumdecimum Annum nactus, generositate animi & strenuitatis indole stimulatus, volens experiri, qualiter in armorum prælúdio se haberet, Jostram unam ad numerum duodecim Jostratorum ordinavit, seque in illa exercuit, congrediendo nobiliter cum quocumque, & dinde pretium & laudem dignissimè obtinuit ex sententia præpositorum Militum, videlicet Domini Guidonis de Matafaris de Jadra, Domini Nicolai de Robertis, & Domini Alberti de Robertis. Eodem Anno MCCCLXXXXVIIII. Fuit in Italia & aliis quasi omnibus nationibus Christianis quidam mirabilis motus Cerimoniarum & Religionis, quæ dicebatur *i Bianchi*. Quæ primum habuit initium in Regno Granatæ Hispaniensis, sicut ab ipsius Religionis auctoribus & primitivis referebatur. Fuerunt enim in Regno illo Granatæ nonnulli Viri, nonnullæque mulieres, qui cerimonias ejusmodi incœ-

cœperunt, circumponentes singuli linteamen lineum album in modum clamidis crispatum ad collum, & ibant per Civitates & Oppida in formam processionis, canentes cantilenas vulgares deprecatorias ad Deum pro salute humani generis, & per crebra gressus sui intervalla genu flexo altè vociferantes *Misericordia Dio*, *Misericordia*. Hi ad tales cerimonias allicuerunt totas Hispanias in Civitatibus & Oppidis quibuslibet cum omnium concursu admirabili sic se induentium linteaminibus albis, & in processiones prodeuntium. Quidam ex ipsis deinde in Gallias, in Angliam, in Germaniam, & alias longinquas Christianorum Regiones pergentes, ultra quam credi potuit universos Populos ad easdem cerimonias inducebant. Aliqui in Liguriam, & Lombardiam declinarunt similiter facientes. Nonnulli Bononiam & Ferrariam venerunt. Vocabatur enim Religio illa *La Compagnia de' Bianchi*, ut prædicitur. Et ut de gestis in Civitate Ferrariæ aliquid dicatur, sciendum est, quòd die primo Septembris quatuor ex Societate illa, & in habitu illo, Ferrariam accesserunt, quibus cum admiratione & devotione susceptis, quia jam ante fama de ritu illo, & de multis miraculis multa dictaverat, unus ipsorum quatuor sequenti die II. Septembris Dominico prædicavit in majori Ecclesia Ferrariæ, manifestans modum & causam institutionis cerimoniarum illarum propter multa miracula Gloriosæ Virginis facta in Regno Granatæ, & narrans alia multa miracula subsecuta, motus quoque ad Religionem illam excitatos in multis Provinciis, & tamdem persuadens idem fieri Ferrariæ. Fuit ad prædicationem illam Populi multitudo ultra numerum quatuor millium personarum. Successivè facta fuit Processio ingens per Civitatem Ferrariæ cum toto Clero, & copiosissimo numero gentis utriusque sexus usque ad parvulos, dictis quatuor simul accedentibus & ritum edocentibus; & erant omnes universaliter vestiti linteaminibus albis, dicentes Cantilenas, & vociferantes genibus flexis per intervalla crebra more jam dicto. Inolevit deinde diætim ultra modum ista devotio. Et die VIII. mensis Septembris prædicti, quo erat Festum Sanctæ Mariæ, Illustris Dominus Marchio cum Magnifica Consorte sua Domina Ziliola, suisque omnibus Nobilibus & Curialibus, atque cum Dominis Episcopis Ferrariæ, & Mutinæ, & Patriarcha Hierusalem, multisque aliis Prælatis, & toto Clero Ferrariæ, voluit ad illius diei processionem interesse, vestitus in habitu antedicto. Cum qua Processione & Cerimoniis egrediens Ferrariam ivit ad Locum sive Pomerium suum Belfloris, sequente multitudine maxima, ibique super prato quodam spatioso prædicavit Episcopus Mutinensis, fuitque multitudo illa ad numerum tredecim millium vel circa. Reliquis pluribus diebus sequentibus ad similes Processiones intra Civitatem, & extra, visitando Ecclesias, vacatum fuit. Post quæ dicti quatuor recedentes, Paduam, & in Trevixanam Marchiam secesserunt, ac in Provinciam Forojulii, idem in Locis omnibus facientes. Perrexerunt etiam Venetias, sed Ducale Dominium, ut taliter ibi fieret, noluit assentire, eo maximè respectu, quia negotiationibus multum officere habuisset, & dum favore aliquorum popularium, & quorumdam Religiosorum ad illud impetrandum pertinaciter quodammodo laborarent, turpiter, & non sinè ignominia repulsi fuerunt ab ipso Ducali Dominio cum punitione etiam aliquorum ex illis, qui talis importunitatis duces & auctores extiterant. Hujus tempore devotionis multæ concordiæ & conciliationes inter prius dissidentes & discordes omnes ex omnifariam inimicitiarum genere confectæ fuere.

Eodem Anno MCCCLXXXXIX. circa medium mensis Aprilis. Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. passus fuit in inguine unum tuberem, sive angum, qui fuit ita rabidæ molestationis, quòd dubitantibus quibusdam ex Medicis, ne foret morbus naturæ pestiferæ, de salute ipsius Domini accidit non modica dubitatio. Sed divinâ gratiâ redactus cum medelis ad mollificationem, & saniem, & demum scissus nihil attulit dispendii formidati, & idem Dominus in optimam valetudinem evasit in brevi. Hoc tempore Magnificus Dominus Paduæ Socer ejus cum Domina Tadæa Uxore sua ad præfatum Dominum Marchionem se contulit Ferrariam cum multo numero Provisionatorum & equestrium armatorum, sperans, decedente Domino Marchione, dominium Ferrariæ occupare, mansitque sollicitans curationem morbi, quoad fuit liberatus, deinde Paduam remeavit. De mense Maji Illustris Dominus Marchio cum suo Consilio spectabilem & egregium Militem Dominum Nicolaum de Robertis de Tripoli olim Consiliarium suum, depositum verò tempore depositionis primi Consilii de mense Julii Anni MCCCLXXXXIX. & absentem ab eo tempore citra, admisit, & restituit ad licentiam repatriandi Ferrariam. De mense Augusti Illustris Dominus Marchio, revocato ordine sui Consilii, illud aliter reformavit, satìs præponens inter ceteros Dominum Albertum Domini Cabrini de Robertis. Eodemque tempore Dominus Guielmus de Curtorodulo, & Dominus Medius Comes de Padua, qui steterant ad Consilium dicti Domini, Paduam redierunt. Die XXI. Julii circa horam sextam noctis fuit unus Terræmotus in Ferraria. Eodem Anno fuit Pestilentia Epidemialis in Civitate & Comitatu Ferrariæ, fuitque valde universa per Orbem. Anno prædicto MCCCLXXXXIX. de mense Decembris. Cùm Magnificus Dominus Dominus Guido de Polenta Ravennæ Dominus visus esset Civitatis illius regimen negligenter & inutiliter gubernare, Bernardinus, & Stasius nati sui, matre annuente, eumdem Dominum Guidonem in captivitate clauserunt, & regimen Civitatis in se acceperunt.

Anno Domini MCCCC. die XXX. Januarii Civitas Perusina se subdidit Illustrissimo Principi Domino Johanni Galeaz Duci Mediolani &c. amodo in excelsa sublimato, & ferè omnia capienti. Eodem Anno Civitas Assisii vênit in Dominium præfati Domini Ducis. Die XXII. Martii Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. cùm magnifica comitiva Militum & nobilium suorum ad numerum ferè CCC. equitum ivit Bononiam gratiâ cujusdam sui voti persolvendi ad templum Sanctæ Mariæ in Monte, nec umquam antea fuerat Bononiæ.

Et soluto voto ipso in die Festi Sanctæ Mariæ recedens illinc, Mutinam perrexit, ubi non amplius fuerat tempore sui dominii. Eum Mutinenses cum ingenti lætitia susceperunt. Eodem Anno MCCCC. Vigente Treuga facta pro decennio de mense Maji MCCCLXXXXVIII. inter Serenissimum Ducale Dominium Venetiarum, suosque Colligatos, videlicet Magnificas Communitates Florentiæ, & Bononiæ, Illustrem Dominum Marchionem Estensem, & Magnificos Dominos Paduæ, & Mantuæ, cum suis Colligatis, adhærentibus, & complicibus parte una, & Illustrissimum Principem Dominum Johannem Geleaz Ducem Mediolani &c. cum suis Colligatis, adhærentibus, & complicibus parte altera: placuit partibus tractari de Pace. Quare decreto inter eas, quòd Pax ipsa Venetiis coram Ducali Dominio practicaretur, missis illuc Syndicis & Procuratoribus partium Pax eadem in Dei nomine de mense Aprilis conclusa fuit, publicanda per totum Dominica XI. Aprilis, quæ Anno illo fuit Dominica Palmarum. Et sic die illa jussu Domini Marchionis fuit in platea Ferrariæ per Tubicinem cum exultatione plurima publicata. Ex ea pace subsecutum fuit, quòd Dominus Mantuæ omnia Castra & fortilitia sua, quæ per Guerram amiserat, dimittente Domino Duce Mediolani rehabuit, quæ tempore confectæ Treuguæ fuerant deposita penes Magnificum Dominum Karolum de Malatestis. Die III. Junii. Cùm nimia & insupportabilia forent tœdia, quæ Magnificus Dominus Astorgius de Faventia sub prætextu servantiæ Azzonis Marchionis Estensis, quem in sua habebat custodia, Domino Marchioni inferebat, ab eo extorquens insatiabiliter, urgens, & obliquo tramite fidei ambulans, ut finis tot subterfugiis poneretur idem Dominus Marchio taliter lacessitus Johannem Galeaz ejusdem Astorgii filium, dum per fines Ferrarienses transiret in navi per Padum in comitiva Magnifici Domini Karoli de Malatestis versùs Lombardiam, arrestari fecit, & poni in custodia intra Rocham Castri Ferrariæ. Quod cùm innotuit Patri, ipse rabido homini ex tristitia simillimus multa pro remedio exquisivit, implorans personaliter intercessus Domini Ducis Mediolani & deinde Serenissimi Ducalis Dominii Venetorum longis practicis atque laboribus. De mense Augusti. Prælibatum Serenissimum Ducale Dominium Venetiarum ad instantiam dicti Astorgii de Manfredis se ingerens ad componendum inter Dominum Marchionem, & ipsum Astorgium, omni via qua poterat meliori, missis Oratoribus suis, & habito assensu partium, hanc viam per modum compositionis elegit: Ut Azzo Estensis de manibus Astorgii tolleretur, & relegaretur in Candidam Insulæ Cretæ, ibi in exilio moraturus, cum provisione tamen sibi danda per Dominum Marchionem, qua honorabiliter vivere posset cum debita familia, & tribus sociis Nobilibus penes eum constituendis per Dominium, ut tutior esset ejus custodia, secundùm quod limitaretur ipsa provisio; & quòd dictus Johannes Galeaz Astorgii filius ob id cambium relaxaretur, & Patri restitueretur in libertate, dum tamen utrique, videlicet Azzo, & filius Astorgii ducerentur Venetias ad præsentiam Ducalis Dominii præfati, ubi erat Astorgius, & ibidem fœdera firmarentur. Qua propter die XXIII. Augusti dictus Johannes Galeaz Astorgii filius jussu Domini Marchionis fuit eductus de Castro Ferrariæ, & missus Venetias, præsentatusque Ducali Dominio per Dominum Antonium de Banciis Judicem de Ferraria Consiliarium & missum Oratorem Domini Marchionis. Ex adverso Astorgius conduci fecit Azzonem. Tunc firmatis fœderibus filius Astorgii in sua fuit positus libertate, & Azzo fuit relegatus & missus in Cretam, facta limitatione per idem Dominium de Ducatis tribus millibus auri singulo Anno sibi dandis per Dominum Marchionem, qui denarii tamen venire deberent ad manus dicti Dominii, mittendi per illud Azzoni. Et hujusmodi obligatio eidem Dominio Ducali facta fuit per solemnia documenta.

Eodem Anno MCCCC. die XXII. Julii. Tempore illo, existente detento filio Astorgii de Manfredis in Arce Ferrariæ, capti fuerunt quidam Vandinus de Fuxignano, Aldrovandinus de Ravenna, & Bartholomæus de Ferraria deprehensi in tractatu proditionis contra Statum Domini Marchionis ad instantiam Astorgii pro Azzone Estense. Et suspensi fuerunt laqueo. Die XX. Augusti. Decessit Illustris Domina Viridis nata recolendæ memoriæ quondam Illustris & Magnifici Domini Domini Aldrovandini olim Marchionis Estensis, quæ erat Abbatissa Monasterii Sancti Guielmi juxta Ferrariam, & eodem die circa XIII. horam sepulta fuit. Die XXIII. Novembris exspiravit ad Dominum Serenissimus & inclytus Princeps Dominus Antonius Venerio Dux Venetiarum, optimus verè, & circumspectissimus Rector, atque suis maximis virtutibus dignus æterna memoria. Qui per Annos decemocto ducaverat. Et novus Dux electus fuit, & subrogatus Serenissimus Princeps, & ante in Republica, & privata, Celeberrimus, Dominus Michaël Steno Civis Nobilissimus Venetiarum. Eodem Anno MCCCC. Fuerunt in Alemannia maximæ novitates ad dispendium Illustrissimi & Serenissimi Principis & Domini Domini Vinceslai Regis Romanorum, & appellati Imperatoris, fratris Domini Regis Hungariæ. Nam propter ipsius non æquabiles sed corruptos mores incessit desiderium & audentia Illustri Principi Domino Ruperto de Domo Bavariæ deponendi illum de Sede, & promovendi se ad decus Imperii. In qua re cùm multi Principes & Barones de Alemannia sibi faverent, nonnulli etiam alii dicto veteri Imperatori adhærerent, & secum essent: ipse Dominus Robertus cum Baronibus fautoribus suis potentissimum paravit Exercitum, & illum cum suis obsedit Baronibus, & tamdiu in obsidione perseveravit, quoad per Barones voces & assensum electionem obtinuit juxta morem. Eodem MCCCC. die XXII. Januarii. Jussu Illustris Domini Marchionis detenti fuerunt in Castro Ferrariæ Dominus Albertus de Robertis natus quondam Domini Cabrini de Robertis, & Albertus, & Ludovicus ipsius Domini Alberti fratres; ac Domina Margharita eorum mater. Item Dominus Marcus de Piis de Carpo, qui in Rocha dicti Castri positus fuit, & immediatè omnia bona dictorum Fratrum de Robertis & matris suæ accepta fuerunt pro Domino Marchione. Die sexto Martii.

Præ-

Prædictus Dominus Albertus Miles de Robertis, & præfata Domina Margharita ejus mater decapitati fuerunt in Castro Ferrariæ, & eorum corpora sepulta fuerunt apud Ecclesiam Servorum. Dominus Marcus de Piis verò remansit carceratus ut ante. Et fratres dicti Domini Alberti, qui fuerant, ut supradicitur detenti simul in Castro, fuerunt dimissi & pulsi à finibus Domini Marchionis. Eodem Anno MCCCC. Privatus & absolutus fuit Decreto Apostolico Reverendus Pater Dominus Nicolaus de Robertis Episcopus Ferrariensis, natus quondam Domini Cabrini de Robertis, & frater dicti quondam Domini Alberti, & ad eam Pastoratus dignitatem promotus fuit Reverendus Pater Dominus Petrus de Bojardis natus quondam Spectabilis militis Domini Salvatici de Bojardis de Irberia. Anno eodem fuerunt multa dissidia in Regiminibus Status Bononiæ, & principaliter inter Nannem de Gozadinis, & Johannem de Bentevogliis, pro quibus sedandis dissidiis Illustris Dominus Marchio, & Magnificus Dominus Paduæ, de mense Martii Oratores suos Bononiam transmiserunt. Eodem Anno MCCCC. Regentes Statum Civitatis Bononiæ, & Magnificus Miles Dominus Comes Albericus de Cunio de Barbiano, Magnus Conestabilis Regni Siciliæ, primo tempore Veris incœperunt Guerram maximam contra Magnificum Dominum Astorgium de Manfredis Dominum Faventiæ, in qua Guerra fuit Capitaneus Generalis pro ipsis Bononiensibus, & magno Conestabile, Magnificus Dominus Pinus de Ordelaffis de Forlivio, & Marescalchi fuerunt strenuus miles Dominus Frizelinus Teotonicus, & vir egregius Gerardus de Bojardis. Perseveravitque Guerra ipsa Anno illo usque ad introitum hyemis, neque amplius postmodum suscitata fuit pro parte Bononiensium propter mutationem Status Civitatis. Sed pro parte Magni Conestabilis fuit diuturna & perpetua usque ad depositionem Status Astorgii finaliter. Causa autem hujusmodi guerræ processit propter interitum Comitis Johannis de Barbiano, & aliorum de Domo illa, qui Anno superiori fuerant decollati Bononiæ tempore olim Domini Karoli de Zambeccariis, cujus interitus & decapitationis dicebatur Astorgium fuisse magnum auctorem penes ipsum Dominum Karolum. Nam præfatus Magnus Conestabilis, qui eo tempore in Apulia erat, audito de tanta strage sanguinis Domus suæ, venit ad patriam causâ ulciscendi; & reperto, quòd Dominus Karolus defunctus, & Regimen Bononiæ mutatum erat, faventibus Nanne Gozadino, & certis aliis de Regimine, qui odiebant Astorgium, cum Communitate Bononiæ fœdus & ligam Belli faciendi Astorgio impetravit. Eodem Anno MCCCC. Incœpta fuit fabricari Crux magna de ligno ponenda in majori Ecclesia Ferrariensi, opus ingens & mirabilis artificii, quæ in loco Servorum laborata & constructa fuit, quia eum locum sibi commodum artifices elegerunt. Eodem Anno MCCCC. Fuit Epidemia in Ferraria, & certis partibus Comitatus.

Anno Domini MCCCCI. XIV. mensis Martii. Johannes de Bentevoglis Civis Bononiensis factus fuit Dominus Civitatis Bononiæ & Districtus ejus: quod inter Mundi mirabilia maxima fuit ab omnibus computatum, ut tantus dominatus tam nobilissimæ & potentissimæ Civitatis in manus veniret ita faciliter Civis illius, non quidem habentis originem à claris & famosis Familiis dictæ Civitatis, sed profectò magnanimi, & virilis ac optimæ perspicaciæ. Has autem rerum novitates, dissidia, & simultates in Rempublicam frequenter ingenerant, quibus nulla perniciosior est occasio. Nam dum inter administrantes Statum & Regimen Civitatis præfatæ, & præsertim inter Nannem de Gozadinis, & dictum Johannem de Bentevoglis occulta dissidia & æmulationes vigerent, propter quæ Reipublicæ negotia variis agitationibus tractabantur (erant enim Nannes ipse, & sui de Gozadinis maximæ auctoritatis in populo illo nobiles, & de antiqua Familia) dictus Johannes de Bentevoglis, magnitudine animi concitatus, ad occupandum Civitatis Dominium meditationes & votum erexit. Habebat enim & ipse favorem multum popularem, & præcipuè Artis Bechariorum, qui multi erant, necnon affinitates quamplurimas. Cùm igitur die suprascripta, videlicet XIV. mensis Martii in Palatio Antianorum certa concilia seu comitia fierent, pro Reipublicæ negotiis congregata in multo numero Civium cujuscumque conditionis, inter quos erant Nannes, & Bonifacius Fratres de Gozadinis, & Dominus Bente de Bentevoglis, multique alii ex primoribus, ortæque forent in conciliis ipsis aliquæ contentiones & jurgia, fuerunt aliqui, qui dixerunt finaliter oportere Civitatem illam se committere uni Domino ad tollendam illorum dissidiorum pestem, & hi erant de amicis Johannis de Bentivoglis, sic ex præmeditato dicentes, uti creditum fuit. Tunc verò idem Johannes de industria illuc se contulit, & juxta præmeditatum suum orationem sive arringam fecit, proponendo, quàm turpe, & quàm discriminosum erat in ejusmodi jurgiis quotidie sic versari, eaque suo videri non habitura finem sinè excidio Civitatis, nisi provideretur de uno Domino, cujus dispositione cuncta gubernarentur, sibique videri non posse melius provideri, quàm quòd ipse constitueretur in Dominum; protinusque nudato ense clamitavit dicens: Moriatur quicumque noluerit. Quo dicto multi illico surgentes acclamarunt dicentes: Vivat Johannes de Bentevoglis Dominus Noster. Neque ulla affuit contradictio inter omnes. Eo modo ipse Johannes fuit confirmatus in Dominum. Et eadem die in signum solemnitatis & lætitiæ facti fuerunt duodecim Milites, inter quos fuerunt Bonifacius de Gozadinis, Albertus, & Zordinus de Blanchis, Bartholomæus de Bologninis &c. Fama fuit, quòd de iis omnibus ipse Johannes se prius intellexerit cum Domino Duce Mediolani & se protectioni ejus commendaverit, ad id facilis & proni, ut habens dictum Johannem in commenda & amicitia sua Dominum Bononiæ, melius posset Florentinos opprimere. Sed evanuit opinio illa, quia brevi tempore subsecuto idem Dominus Bononiæ adhæsit Societati & Ligæ Florentinorum in maximam præfati Domini Ducis injuriam: quod tamdem fuit dicti Domini Bononiensis excidium. Brevi postea secuto tempore Dominus Bonifacius de Gozadinis propter suspicionem sponte se à Bononia absen-

ſentavit, quod idem fecerunt alii certi Cives amici Gozadinorum. Deinde Nannes de Gozadinis per dictum Dominum Bononiæ in exilium miſſus fuit. Ex iſta captatione dominii Bononienſis ſublatus fuit omnis proceſſus belli & inimicitiæ Bononienſium contra Aſtorgium de Manfredis, quoniam præfatus Johannes de Bentevoglis nuper factus Dominus Bononiæ erat à diu ipſius Aſtorgii ſummè benevolus & amicus, & nunc ipſius dominium ſuſtinebat. Propter quod inter dictum Dominum Bononiæ, & Magnum Coneſtabilem, videlicet Comitem Albericum de Barbiano, qui Aſtorgio inimico ſuo guerram faciebat, inſurrexerunt odia capitalia; adeòque idem magnus Coneſtabilis adjuncto ſibi Domino Ottobono Tertio cum magno armigerorum numero Territorium Bononienſe invaſit, & maximam captivorum & animalium prædam abegit, non obſtante apparatu multæ gentis armigeræ, quem fecerat ipſe Dominus Bononiæ pro obſtando, quoniam hoſtes alio itinere uſi ſunt; jam enim erat Dominus idem Bononiæ Colligatus Florentinis, ſuſcipiens ab ipſis ſubſidia. Multas alias invaſiones & moleſtias attulit Magnus Coneſtabilis Domino Bononiæ Anno iſto, nec minus recepit ab illo, inimicans etiam ſemper Aſtorgio. Sed quia ipſe Magnus Coneſtabilis erat conductus ad ſervitia Domini Ducis Mediolani, & Capitaneus bellorum ſuorum propter adventum proximum novi electi Imperatoris deſcendentis in Italiam, neceſſe habuit ad eumdem Dominum Ducem ſe conferre, dubitantem in partibus Brixiæ, in quas ſentiebat faciendum eſſe primum inſultum à gentibus Imperatoris.

Eodem Anno MCCCCI. De menſe Septembris Illuſtris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Eſtenſis ætatis quaſi XVII. annorum cum magnifica comitiva Militum & Nobilium ad numerum CCCCL. equitum, inter quos erant Gerardus Eſtenſis, Dominus Nicolaus de Robertis, Ugucio de Contrariis, Ugo de Bojardis, Nannes de Strociis, & alii multi Nobiles, ivit ad viſitandum Dominum Ducem Mediolani, recedens de Ferraria die VIII. Septembris, qua die ivit cœnatum & hoſpitatum Bondenum, deinde Mutinam, & poſtmodum diætas faciendo, quoad appulit ad Dominum Ducem, qui tunc erat in Oppido ſuo Sancti Angeli in Comitatu Mediolani. Cui Domino Marchioni ipſe Dominus Dux per ſpatium quatuor milliariorum obviam vênit, eumque cum maxima celebritate recepit ingentibus & magnificis Feſtivitátibus conviviorum, chorearum, & aliorum ſolatiorum, unà cum Domina Duciſſa illum honorans. Miſit quoque eum Mediolanum, ut videret Urbem ipſam, & magnificentias ejus, ubi per biduum moram fecit in honorificentiis permaximis; inde ad Dominum Ducem ad Sanctum Angelum remeavit, & in continuis honoribus apud illum manſit uſque ad diem quintum Octobris, quo die pro meatu ſe ad iter accinxit, & Ferrariam feliciter repetivit. Hunc acceſſum Ducale Dominium Venetiarum, & Magnificus Dominus Paduæ ſuſpectum non modicum habuerunt, dubitantes, ne Dominus Marchio à Duce Mediolani in aliquam implicaretur confœderationem nocivam: propter quod ipſum Ducale

A Dominium Ambaxiatores ſolemniſſimos, videlicet Dominum Karolum Zeno, & Dominum Petrum Cornario, Ferrariam miſerunt, ut acceſſum impedirent. Sed Dominus Marchio jam erat in itinere, videlicet ſero primo Bondeni. Qui Oratores ambaſciatam ſuam expoſuerunt valde gravem & ſeveram Locitenentibus in Ferraria pro Domino Marchione, qui erant egregii viri Joculus de Joculis, Gerardus Bojardus, & Bartholomæus de la Mella, ipſique ſubitò ſignificaverunt Domino Marchioni exiſtenti Bondeni. Sed ipſe cum honeſtiſſima & legitima excuſatione omnem ſuſpicionem abſtergens non deſtitit ab incœpto. Eodem Anno MCCCCI.
B Illuſtriſſimus Princeps Dominus Rupertus Bavarienſis, electus novus Rex & Imperator Romanorum, cum Imperiali Exercitu Principum, Baronum, & Procerum Theotonicorum circa menſem Octobris deſcendit in Italiam, ubi nihil famoſum aut memorabile fecit. Vênit enim inſtinctu & ſtudio Florentinorum, & cum eorum pecuniario ſubſidio in eximia Ducatorum quantitate, quorum finis erat ad diſpendia Domini Ducis Mediolani effectualiter, ſed etiam ut dictus Electus de Imperio coronaretur. Accedebat etiã in hanc procurationem Magnificus & potens Dominus Dominus Franciſcus de Carraria Dominus Paduæ, qui ſtudio aliquorum
C de parte Guelfa de Brixia tractatum & intentionem habebat occupandi Brixiæ Dominium cum auxilio dicti novi electi Imperatoris, quamprimum Italiæ fines attingeret. Pro cujus intentionis executione ipſe Dominus Paduæ pergens ad conterminos Italiæ, unde erat ille diſcenſurus, applicato ſibi maximo Exercitu ex gentibus Imperialis Exercitus ultra ſuos, per montium ardua, & inſolita, atque inexcogitata itinera in fines Brixiæ declinavit. Sed jam ante præmunitæ erant omnes fronteriæ Brixienſis Territorii fortiſſimis præſidiis Domini Ducis Mediolani, gentium videlicet ſuarum armigerarum, & optimis Capitaneis, utpote Domino Co-
D mite Alberico de Barbiano Magno Coneſtabile Regni Siciliæ, Domino Jacobo de Verme, Domino Ottobono Tertio, Domino Galeatio de Mantua, Facino Cane, compluribuſque aliis, qui cùm deſcenſum Teotonicorum, & Domini Paduæ, in fines Brixiæ perceperunt, occurrentes eis, cum ipſis audaciſſimè conflixerunt, atque viriliter ſuperarunt, multos occidentes, & captivantes, ita ut poſiti in conflictum & fugam Teotonici ipſi, & Dominus Paduæ dimiſſa non modica parte quadrigarum & carriagiorum ſuorum per diverſa locorum devia fugiendo, properaverint ad Imperatoris exer-
E citum. Senſerunt Teotonici quidem in illo primordio, quid valerent Italici & armis & arte. Conſuluit itaque ſibi ipſi Imperator ſe cum exercitu traducere Paduam, ubi jam Dominus ille parari fecerat pro ejus adventu. Appulitque illuc die XVIII. Novembris circa XX. horam, & fuit reſidentia ejus, & Imperatricis, in Caſtro. Ceteri in Civitate, ſuburbiis, & vicinis ruribus collocati fuerunt. Ibi circa triginta dierum terminum manſit. Deinde re pecuniaria inſtigante ipſe tetendit Venetias ad Ducale Dominium, & Nativitatis Feſta ibidem egit, rem tractans pecuniariam & reparatoriam, ad quam Floren-

rentini non parum exhausti ex prioribus exbursationibus se retrogrados & difficiles ostendebant. Et cùm illic apud Ducale Dominium multa & multa colloquia super materia fuissent consumta, neque in concordia remansissent, Imperator ipse die primo Januarii de Venetiis abscessit, volens per viam Forojulii in Alemanniam cum exercitu recessuro de Padua, & profecturo ad eum, remeare. Sed quoniam discessus ejusmodi non levis periculi videbatur esse omnibus, à quibus erat Dux Mediolani offensus, & de injuria lacessitus, adventante Venetias Ambaxaria solemni Magnifici Domini Johannis de Bentevoglis Domini Bononiæ ad instandum, ut discessus Imperatoris prorsus revocaretur, & hoc idem procurante Domino Paduæ, quem periculum ejusmodi summè tangebat, concurrentibus quoque in id Ducali Dominio, & Ambaxatoribus Florentinis, dictus Imperator, qui jam ad Civitatem Caprolis in conterminis Venetiarum appulerat, multis precibus & promissis, nec sinè magna quidem difficultate, revocatus ab itinere per Missos ad eum Ambaxatores omnium, Venetias retrocessit, ibique firmatis conditionibus cum provisione nummorum, celebrata fuit Liga inter Commune Venetiarum, Commune Florentiæ, Dominum Paduæ, & Dominum Bononiæ, soluturo Dominio Ducali Venetiarum stipendium trecentarum lancearum armigerorum deputandorum ad custodiam Paduani, & Trivisani. His factis Imperator Paduam rediit, ubi moratus est usque ad hyemis exitum, & deinde in Alemanniam cum gente sua remeavit inglorius.

Eodem Anno MCCCCI. Barones aliqui Regni Hungariæ contra Regem suum Illustrissimum & Christianissimum Principem Dominum Sigismundum, quia Bohemos Hungaris cariores habere videbatur, conspirationem maximam instruxerunt, & deliberato tempore convenerunt armati in grandi numero, atque irruentes in eum, ut ipsum interimerent. Quos cùm Rex conspexisset properantes transire Danubium in loco dicto Campestro ex opposito Regalis Palatii, animadvertens in tanto furore plus ingenio, quàm resistentia opus esse, Regalibus diademate & sceptro cultibus ornatus in throno suo Regali consedit; quem sic repertum æmuli sui pietate ac reverentia à pristina rabie tepefacti non occiderunt. Sed manus injicientes captivarunt ipsum, in custodia mancipantes, ut de Regali culmine intelligeretur ejectus; & de Regni gubernatione per Barones aliquos providerunt. Stetit Rex ipse penes aliquos Castellanos de Regno circa tempus decem mensium captivatus. Postea verò beneficio unius Castellani, in cujus erat custodia, fuit dimissus, ac certo tempore penes confidatos sibi Proceres de Regno moratus est, donec conciliatis adversariis post plures menses in throno pristino se reposuit.

Anno præsenti MCCCCI. de mense . . . . Serenissimus & Illustrissimus Princeps & Dominus Dominus Imperator Constantinopolis venit in Italiam, videlicet primò Venetias ad Ducale Dominium, implorans subsidium ad resistendum violentiæ Bayseth Imperatoris Turchorum, quem sentiebat dispositum cum exercitu maximo terrestri atque navali velle impetere Constantinopolim, & deinde transire in Insulam Nigri Ponti, ac successivè procedere ultra ad excidium Christianorum. Et eadem causa idem Dominus Imperator Constantinopolis de Venetiis per viam de Padua concessit in Lombardiam ad Dominum Ducem Mediolani, inde Parisius ad Dominum Regem Francorum, postea rediens in Italiam se contulit Perusium ad Dominum Papam, iterum in Lombardiam ad Dominum Ducem Mediolani, demum per Paduam Venetias insequenti Anno, & inde Constantinopolim. Eodem Anno Homines Terræ Sancti Johannis in Persiceto Comitatus Bononiæ defecerunt ab obedientia Domini, & Civitatis Bononiæ, repellentes Officiales, atque Custodes; & Terram ipsam cum fortilitiis & gubernatione ipsius in se acceperunt: pro quibus hominibus sibi conciliandis Johannes de Bentevoglis novus Dominus Bononiæ multa tentavit, sed omnia frustra. Homines ipsi per temporis certi lapsum per proprios Ambaxatores ejusdem Terræ Dominium Illustri & Magnifico Domino Domino Nicolao Marchioni Estensi obtulerunt, quod idem Dominus Marchio certis respectibus, & præsertim ob dissuasum Ducalis Dominii Venetorum recusavit. Sequenti verò Anno de mense Martii dicti homines Terram ipsam & ejus Dominium in manibus Magnifici Domini Pandulfi de Malatestis posuerunt, & eum sibi in Dominum præfecerunt. De mense Martii nobiles viri Isoresius de Robertis, & Nicolinus de Organis Mutinensis, familiaris Domini Marchionis, ad invicem convenerunt facere tres punctas ad lanceas ammolatas. Quo sibi per Dominum Marchionem concesso, & per eumdem ipsis facta commoditate duorum potentium curseriorum, armati prodierunt in plateam Ferrariæ, congressuque primo peracto quam rapidissima equorum fuga, Isoresius Nicolini clypeum ferro lanceæ penetravit, & hasta lanceæ paulò à ferro longè fracta est, nec tamen transivit ad aliam læsionem. Secundo congressu Isoresius in clypeum Nicolini lanceam juxta ferrum confregit, neque adhæsit ferrum, sed more fulminis evolavit. In iis duabus congressionibus ictus Nicolini solummodo concusso scuto, Isoresii nihil memorabile habuerunt. Tertio verò congressu non directis curseriis, ut debebant, & oberrantibus lancearum immissionibus, curserii ipsi ad invicem obviantes se alterutrum capitibus compresserunt. Fuitque tanta vis, & impetus compressionis ejusmodi, quòd protinus eis in terram corruentibus, alter per os & nares ac per aures sanguinem eructans illico mortuus est; alter verò ad instar mortui per certum spatium stetit immobilis, & tamdem vi brachiorum elevatus & ductus ad stabulum Domini eadem die morte etiam sublatus fuit.

Anno Domini MCCCCII. Cùm Magnificus Dominus Bononiæ, videlicet Johannes de Bentevoglis Anno proximè elapso, & usque in hoc tempus unà cum Astorgio de Manfredis multas & continuas molestias intulisset contra Terras & Subditos inimici sui, videlicet Comitis Alberici de Cunio de Barbiano Magni Conestabilis Regni Siciliæ, qui eo tempore erat ad servitia Domini Ducis Mediolani in finibus Brixiæ ad obviandum,

dum, ne Imperator novus illac descenderet ad ipsius Domini Ducis Mediolani dispendia, repulso ipsius Imperatoris exercitu, ut in præcedentibus positum est, idem Magnus Conestabilis à Domino Duce impetrata licentia, cum certa Armigerorum brigata ex gentibus Domini Ducis recedens velocissimè de Territorio Brixiæ, versùs Territorium Bononiæ equitavit, & die XV. Januarii in illud appulit, discurrendo, prædando, & captivando in omni qua poterat quantitate. Tuncque per tractatum occupavit Oppidum quoddam vocatum *Le Docce*, ubi receptaculum suum firmavit, & campum suum roboravit, dilataturus se ad reliqua graviora. Accesserunt ad eum immediatè Nannes, Dominus Bonifacius, & Dominus Gozadinus de Gozadinis, qui à Bononia exulabant. Verùm hoc tempore Dominus Bonifacius de Gozadinis tractatum tenebat cum nonnullis amicis suis de Terra Plebis Centi Comitatus Bononiæ de occupando Terram ipsam per dolum, & pro ejusmodi executione rei conduxit de Lombardia in navi festinanter & occultè certum numerum peditum armatorum usque in fines Bondeni Territorii Ferrariensis; inde per nemora & occulta viarum traduxit juxta Plebem horâ quasi serotinâ. Conspiratores verò juxta compositum inter se ordinem egressi erant ex more ad agriculturam & alia laboreria, & postquam se satis intellexerunt cum Domino Bonifacio illic extra cum prædictis peditibus latitante, facto jam sero tetenderunt ad Pontem, & Portam more solito intraturi, fingentes moram suam ea vice tardiorem fuisse pro necessitate certi sui campestris laborerii perficiendi. Mox cùm intra primum Rastellorum, & Portæ introitum attigerunt, custodes trucidarunt, & ingressum tenuerunt, & repente affuit Dominus Bonifacius cum peditibus illis, ac Terram intravit, & occupavit, cæsis quibusdam in tumultu intrinsecorum, qui horâ illâ factus erat. Rocha verò Terræ ipsius in potestate custodum Domini Bononiæ, qui in illa erant, tunc remansit, in quam Dominus Bononiæ, audita novitate illa, non obstante quòd jam fieret obsidio contra eam, misit Lanzalotum de Becharia cum certo Armigerorum præsidio. Tunc ad favorem Domini Bonifacii, & ad Rochæ obsidionem, venerunt Albertus de Piis de Carpo, & Marcoaldus de Rocha cum DCCCC. equis, qui allogiaverunt juxta Plebem, & transacto mense uno vel circa Rocha se reddidit, salvis personis & rebus, in manus Domini Bonifacii; nec propterea Campus discessit. Et per hos dies etiam fortilitium Sancti Prosperi, quod est ultra Podium, rebellaverat. Interea autem Dominus Bononiæ Florentinos, quorum erat colligatus, de subsidiis requisiverat, qui miserunt de Florentia strenuum virum Bernardonum Britannum suum Armorum ductorem cum lanceis CCCC. Armatorum equestrium, & de Padua revocarunt Dominum Baldisarem Teotonicum, ac Sfortiam de Cotignola cum CL. lanceis, quas tenebat ad servitia Domini Paduani. His acceptis subsidiis, ipse Dominus Bononiæ die XIII. Februarii insultari fecit exercitum Alberti de Piis, & Marchoaldi, qui juxta Plebem degebat, & exercitu ipso confracto, capti fuerunt Albertus, & Marchoaldus, aliique complures Caporales ad numerum CCCC. equestrium. Deinde gens ipsa Domini Bononiæ ad Sanctum Prosperum equitavit, qui locus, ut supra dicitur, rebellarat, & eo capto in demolitionem & ruinam igne convertit, ferè Oppidanis omnibus trucidatis. Eodem Anno die XIIII. Februarii. Illustris Dominus Marchio Estensis &c. audito de captivitate Alberti de Piis, ne Terra Carpi sinè Gubernatore maneret, dimisit Dominum Marcum de Piis ejusdem Alberti fratrem, qui in Castro Ferrariæ detentus erat. Die XXIII. Februarii. Circa primam horam noctis apparuit Cometa stella versùs Meridiem, habens radios in modum caudæ tendentes desuper, & deinde apparuit versùs Occidentem, duravitque usque ad horam tertiam. Visa fuit insuper Stella ipsa pari forma per plures noctes subsequentes. Item die XXIIII. Martii, & die XXV. apparuit ipsa Cometa diurno tempore versùs Orientem cum cauda radiorum, quæ præcedebat Solem, & Sol illam sequi videbatur in cursu suo.

Eodem Anno MCCCCII. de mense . . . . Dominus Bente de Bentevoglis Miles Consanguineus Domini Bononiæ, cùm per ipsum Dominum missus esset Ferrariam Ambaxiator ad Dominum Marchionem unà cum quodam alio Cive Bononiense, ab ipso Domino suo defecit, nec ampliùs ad eum rediit. Sed ad Dominum Ducem Mediolani profectus est, & factus prorsus Domino suo rebellis. In istis quidem dissidiorum & turbinum ventilationibus jam ventum erat ad terminos, quòd Dominus Dux Mediolani tum propriâ causâ, tum suggestione & instantia Magni Conestabilis, & Gozadinorum, decreverat Domino Bononiæ guerram publicam facere, ut Gozadinos in patriam reponeret, quorum sequelâ multa amplecti postea sperabat, & præsertim in Florentinorum dispendia, & fortasse etiam ad dominium Bononiæ aspirabat per rerum eventum, sicuti contigit. Facto igitur certo gentis armigeræ apparatu sub ductu Magnificorum Dominorum Pandulphi, & Malatestæ de Malatestis, qui ad ejus servitia militabant, gentem ipsam jussit stationare, & paulatim augeri in Carpo penes Dominum Marcum de Piis, qui etiam Domino Bononiæ adversabatur. Quod cùm animadvertisset Dominus Bononiæ, cogitans perspicaciter, quorsum res ad sua discrimina parabatur, & volens principia demoliri, misit Bernardonum Britannum cum omni suo, & Florentinorum præsidiorum exfortio celerrimo itinere, & incautis hostibus, ad insultandum eos usque Carpum, ubi erant pro majori parte extra Oppidum allogiati. Superveniens itaque Bernardonus idem subitum & durum impetum fecit in illos, sed non tamen multi fructus, quoniam hostes ipsi intra valla confugerunt, & eo remedio se tutati sunt. Quo viso Bernardonus unde venerat, remeavit. Talibus præmissis actibus ad pestiferæ guerræ initia Dominus Dux Mediolani fortissimum & numerosum exercitum paravit, cui præfecit strenuos Capitaneos, videlicet Magnificum Conestabilem, & Dominum Jacobum de Verme, & multos Caporales, utpote Facinum Canem, Dominum Ottonem de Tertiis, & Dominum Galeaz de Mantua. Nec non in eumdem exercitum

citum convenerunt. Magnificus Dominus Mantuæ, tunc Domini Ducis provisionatus cum lanceis D. & Magnifici Domini Pandulphus, & Malatesta de Malatestis, ad ejusdem Domini Ducis servitia militantes. Ex adverso Dominus Bononiæ suum in omni conatu armavit exercitum tum viribus propriis habens tunc ad sua stipendia Societatem de Rosa, & alios stipendiarios equestres, & pedestres, & cum auxilio Magnifici Domini Paduæ, qui diversis diebus misit per viam de Ferraria duos filios suos, videlicet Dominum Franciscum Tertium, & Jacobum de Carraria de mensibus Maji & Junii cum lanceis CCCC. equestrium, & quampluribus ex Nobilibus suis. Et eidem exercitui suo Dominus Bononiæ præfecit in Capitaneos Bernardonum, qui Florentinorum gentis Dux erat, & Dominum Franciscum, & Jacobum de Carraria, qui præerant genti missæ per Dominum Paduanum. Die verò XXVI. mensis Aprilis. Exercitus Domini Ducis Mediolani sub Capitaneis, & Ducibus antedictis, & comitantibus semper Nanne, & Domino Gozadino de Gozadinis, ac Domino Bente de Bentevoglis, Domino Jacobo de Osellanis, aliisque quampluribus ex foruscitis Bononiensibus, Territorium Bononiæ invasit cum magna potentia, & attingens in fines Argeris & Sancti Johannis, ibi Campum firmavit. Exercitus autem Domini Bononiæ in oppositum spatio non longo se posuit, ubi & scaramuciis, & aliis armorum exercitiis hinc inde inter belligeros amborum exercituum, ut moris est, strenuè agebatur.

Sequentibus diebus ad alia loca idem Ducalis exercitus se conferebat, & sistebat in Castris; & Bononiensis exercitus similiter sequebatur & in terminis campum ponebat. Eodem modo & ejusmodi locorum mutationibus per multas diætas utrique exercitus laborarunt, nullaque erat adhuc notabilis sortis disparitas inter eos. Tamdem decreverunt Capitanei Ducalis exercitus se conferre Casaliclum ad demoliendum Clavigam, per quam de Reno demittitur aqua Bononiam, & paratis vastatoribus cum multis manaraciis, & aliis ferreis instrumentis, campum illic ponere intendebant. Sed eo per Dominum Bononiæ explorato, ipse per suum exercitum locum illum præoccupari jussit: quod factum est, castris positis inter Renum & montes. Hostilis verò exercitus resedit longè inde per spatium unius milliarii ad Pontem Casalicli; & ita inter se adhuc dubiis & incertis eventibus fluctuabant. Quum prædicti ambo exercitus sic degerent apud Casaliclum, nullâ hactenus inter se consertâ pugnâ notabili, placuit Capitaneis & Ducibus exercitus Domini Ducis Mediolani suam experiri fortunam contra exercitum Domini Bononiæ, videlicet illum ab improviso insultare, atque conterere, nam multis amodo incommodis victualium exercitus ipse Ducalis afficiebatur. Quare die XXVIII. Junii in prima luce diei exercitus ipse Ducalis exercitum Domini Bononiæ de hoc incautum & improvisum repentino cursu & fortissimo insultu aggressus, totum posuit in conflictum, insultante etiam à tergo multitudine Montanariorum, qui studio Gozadinorum eàdem horâ descenderant, dolosè fingentes se ad auxilia Bononiensis exercitus adventare. Societas Rosæ, quæ in exercitu illo Bononiensi erat, in initio conflictus abiens Bononiam, secessit ad Dominum. Capti fuerunt generaliter omnes Capitanei & Caporales jam dicti Bononiensis exercitus, Dominus Franciscus Tertius de Carraria, & Bernardonus, Facini Canis fuere captivi; Jacobus de Carraria vênit in potestatem Magnifici Domini Mantuani; sic & ceteri in ceterorum manibus captivitatem egerunt, conflictato, ut præmittitur, toto ipso miserabili exercitu præter paucos, qui se fugæ præsidio crediderunt. Postquam de clade & conflictu dicti exercitus Bononiam nunciatum fuit, cœpit vulgus murmurare, & tumultus indicia significare: propter quod Dominus ille, videlicet Johannes de Bentevoglis, & si mœroris inextimabilis aculeis urgebatur, non tamen deponens magnanimitatem suam, qua mirabiliter imbutus erat, nec de fuga, aut latebris cogitans, sed de sui status protectione usque ad vitæ supremum, cum Societate de Rosa, quæ ad eum confugerat è conflictu, & cum certa cohorte provisionatorum pedestrium Domini Paduæ, qui ad personæ suæ custodiam intendebant, animosus in armis in plateam exivit circa horam XX. illius infelicis sibi diei. Et cùm jam increbuisset multorum insultus, Plateam & Palatium occupare satagentium, ipse Dominus Hectorea ferme virilitate cum strage plurima in ictu ensis proprii eos à suis conatibus coërcebat, & in eo sui infortunii certamine totum diei illius residuum totamque supervenientem noctem, & usque in horam quasi tertiam sequentis diei XXVIIII. Junii, quo fuit Festum Sancti Petri, consumpsit. Interea Dominus Jacobus de Verme, & Magnus Conestabilis, Dominus Mantuæ, & Domini de Malatestis cum Nanne de Gozadinis, Domino Bente de Bentevoglis, certis ex Nobilibus de Pepulis, & aliis foruscitis, sentientes tumultum, qui Bononiæ fiebat, recedentes à Casaliclo cum parte exercitus, equitarunt Bononiam, & dato sibi à certis intrinsecis introitu per Portam Sancti Mamoli, Civitatem ingressi, recto tramite collatis banderiis circa horam terriam ad plateam transiverunt conclamantes: Vivant Libertas, Populus, & Artes. Tunc infortunatus ille Dominus Johannes de Bentevoglis, videns se tantæ violentiæ amodo nullam posse proficuam facere resistentiam in tanta rerum suarum calamitate, abiens à platea in domum cujusdam mulieris affinis suæ in contrata, sive vico Sancti Archangeli quanto potuit clandestinè se recepit. Occupatâ autem plateâ, & nihilo amplius resistentiæ imminente, datur opera ad inquirendum, quonam loco Johannes ipse de Bentevoglis deliteat. Et tamdem negotio composito capitur, & coram adducitur, qui mox se dedidit Magno Conestabili, commendans se captivum sibi, & fidei suæ; & ejusmodi commendationem & fidem idem Magnus Conestabilis spopondit quantum erat pro se & gente sua, sed excludens à promissione sua Populi violentiam. Fuit tunc Johannes ipse conjectus in carcerem intra Turrim Palatii. Et die sequenti per quosdam crudelissimè in Turri ipsa cæsus, & interfectus, & frusta corporis ejus in dolio quodam delata ad Monaste-

nasterium Heremitarum Bononiæ miserabiliter fuere sepulta. Eo tempore fuerunt liberati de carceribus Dominus Baptista da Balduinis, & Bologninus Bucatorta, qui propter seditionem per dictum Dominum Bononiæ detenti fuerant, & traditum fuit eos fuisse magnos auctores crudelitatis actæ circa necem & excidium dicti Johannis. Fuit insuper liberatus Albertus de Piis, qui pridem captus fuerat juxta Plebem. Et eodem die, quia erat Festum Sancti Petri, quo die mos erat, ut cum equis curreretur ad bravium, ne excideret consuetudo, & ut felicitas diei ipsius ostentaretur, fuit more solito cursus bravii constitutus atque perfectus.

Sequenti verò die qui fuit ultimus mensis Junii. Cives Bononienses, & principaliter Nannes de Gozadinis, Dominus Bente de Bentevoglis, Dominus Baptista de Balduynis, certique alii ex primoribus, cum pleno assensu Capitaneorum Domini Ducis Mediolani dederunt operam, quòd Status & Regimen Reipublicæ Bononiensis reformaretur in libertate olim pristina. Et factis comitiis solitis electi fuerunt Antiani, & Vexillifer Justitiæ, atque alii Officiales more suo, per quos esset Respublica administranda: quod quidem brevissimum fuit; nam die eodem cùm visum esset nonnullis ex ipsis primoribus, & præsertim Domino Jacobo de Isolanis, quosdam ex eis, & præcipuè Nannem de Gozadinis, & fautores suos, nimium de Principatu in re illa sibi applicare, ipsi clara voce dixerunt, modós illos ad libertatem Populi minimè convenire, seque dispositos id non pati, sed velle potius Dominum unum, qui res æquiùs gubernaret, videlicet Dominum Ducem Mediolani; & ita suggesserunt Populo, & dictum Dominum Ducem Mediolani in Dominum vocaverunt. Ad quod promptissimè condescendentes Capitanei Domini Ducis totum exercitum, qui apud Casaliclum degebat, in Civitatem subitò introduxerunt cum Vexillis & Stindardis Domini Ducis per stratam Sancti Donati conclamantibus omnibus: *Vivat Dominus noster Dominus Dux Mediolani*. Et procedentes ad plateam & Palatium Antianorum, dominium Civitatis sinè ulla contradictione pro ipso Domino Duce acceperunt, revocatisque Antianis, & aliis Officialibus nuperrime positis, novos Rectores nomine Domini Ducis constituerunt, providentes ad reliqua juxta necessitatem pro gubernatione Civitatis, & tutela Status Domini sui. Tunc facti fuerunt certi Milites, inter quos fuerunt Albertus de Piis, Nannes de Gozadinis, & Aldrigetus de Lambertinis. Deinde jussu Domini Ducis constitutus fuit, & remansit Loci-Tenens in Bononia Magnificus Dominus Pandulphus de Malatestis, & ex nunc facta fuit interdictio omnis negotiationis & transitus Florentinorum in Civitate Bononiæ & finibus ejus. Eodem tempore cùm fuit publicata fama de obitu Johannis de Bentevoglis olim Domini Bononiæ, Bonifacius de Gozadinis, qui tenebat Terram Plebis juxta Centum, se ad Terram Centi velociter contulit, & habita pactione cum Custode Arcis, & quibusdam terrigenis, Terram ipsam cum Fortilitio occupavit. Compositis in Bononia rebus satis ad exigentiam pro statu Domini

A Ducis Mediolani, instantibus aliquibus ex Nobilibus de Domo Ubaldinorum, qui ad stipendia ipsius Domini Ducis militabant, ejus mandato Facinus Canis cum certo Exercitu discedens de Bononia transivit in fines Florentiolæ de Tuscia, quæ est Oppidum Florentinorum, ubi Nobiles ipsi de Ubaldinis exules propter antiquas amicitias consequi multa sperabant; & posito ibi campo depopulans mansit circa viginti dies. Tamdem supervenientibus Florentinorum gentibus, & concurrentibus etiam incolis Regionis, Facinus ipse insultatus & repulsus ab eis, cum conflictu certæ partis brigatæ suæ ad numerum centum equorum retrocedere fuit

B coactus. Eodem Anno MCCCCII. die X. Julii. Cùm Facinus Canis proficiscens cum Brigata sua à Bononia in Lombardiam ad Dominum Ducem Mediolani, secum duceret Dominum Franciscum Tertium de Carraria, natum Magnifici & potentis Domini Domini Francisci de Carraria Domini Paduæ, captivum suum habitum tempore conflictus exercitus Domini Bononiæ juxta Casalichium, & Parmam attigisset, ibique esset in quodam hospitio, homines duo Parmæ habitantes, amici Domini Paduani, ad eumdem Dominum Franciscum Tertium ad hospitium se conferentes; ipsum de fuga clandestina hortati fuerunt, proponentes sibi mo-

C dum & offerentes se adjutores atque consocios. Quo annuente, ipsi cum alienis & vilibus vestibus tectum facto sero ad extrema Civitatis mœnia conduxerunt, & cum funibus extra ipsa mœnia descenderunt. Deinde per nemora & loca sylvestria multa sagacitate pergentes, & triduo latitantes, ad fugam paulatim & per tenebras intendebant. Facinus Canis inter ea per multos ex suis extrinseca omnia lustrari faciebat, ut ipsum Dominum Franciscum faceret inveniri. Finaliter idem Dominus Franciscus auxilio duorum rusticorum, quibus maximam spopondit mercedem, per insolita itinera adeò

D peragravit, quòd ad Terram Finalis Domini Marchionis salvus accessit. Deinde Ferrariam, & inde Paduam transmigravit. Verùm quamprimum attigit Ferrariam, donavit illis duobus Rusticis, qui fuerant duces ejus, Ducatos quingentos, & cuidam alii quinquaginta. Hoc tempore Dominus Dux Mediolani incipi & construi fecit unam Citadellam in Civitate Bononiæ inæstimabilis quasi magisterii, sumtus, atque laboris.

Anno isto MCCCCII. die tertio mensis Septembris. Decessit in Maregnano morte naturali Illustrissimus Princeps & Dominus Dominus Johannes Galeaz de Vicecomitibus Dux Mediolani &c. qui tot tantarumque

E Civitatum & Populorum Monarchiam tenebat, relictis superstitibus sibi duobus filiis masculis legitimis & naturalibus, videlicet Johanne Maria Anglo ætatis annorum XVII. quem instituit sibi heredem & successorem in Ducatu Mediolani, & dominio quamplurium aliarum Civitatum, & Philippo Maria, quem instituit Comitem Papiæ cum dominio quarumdam aliarum Civitatum ætatis Annorum XV. Item superfuerunt sibi duo filii naturales, videlicet Gabriel Maria, cui reliquit dominium Cremæ & Pisarum, & Antonius, cui Laudæ Civitatem, & quædam Oppida deputavit. Regimen autem & tutelam ipso-

ipsorum filiorum suorum in manibus Illustrissimæ Consortis suæ Dominæ Ducissæ, & Reverendissimi Domini Petri de Candia Archiepiscopi Mediolani, Magnifici Domini Antonii Comitis de Urbino, Magnifici Domini Militis Jacobi de Verme, & Francisci Barbavaræ Procerum suorum confidatissimorum in ultimis commendavit. Sed tamen totius rei summa & magistratus, in ipsa tantum Domina Ducissa remansit; nec bene quidem, quia omne regnum in manu Fœminea desolabitur. Ex hujus Principis obitu processit origo desolationis & destructionis totius Lombardiæ propter exortas inter Populos discordias atque strages. Ipse autem vivens omnia sibi supposita in tranquilitate continebat & pace. Qui tempore mortis suæ erat Dominus harum Civitatum, videlicet: Mediolani, Papiæ, Montis de Vico, Novariæ, Alexandriæ, Tordonæ, Bobii, Placentiæ, Parmæ, Regii, Bononiæ, Albæ, Vercelli, Cumi, Pergami, Brixiæ, Laudæ, Cremonæ, Veronæ, Vicentiæ, Feltri, Civitatis Bellunæ, Lunæ, Pisarum, Senarum, Massæ, Grosseti, Clusii, Perusii, Assisii, Nuceriæ. Ex his Civitatibus Johannes Maria habuit Mediolanum, Cremonam, Comum, Pergamum, Parmam, Regium, Bononiam, Senas, & Perusium cum earum fortilitiis & pertinentiis. Philippus Maria habuit Papiam, Placentiam, Veronam, Vicentiam, Brixiam, Feltrum, Bellunum cum earum pertinentiis. Gabriel Maria habuit Cremam, & Pisas cum earum Jurisdictionibus. Antonius Maria habuit Laudam: Communia verò remanserunt præfatorum Johannis Mariæ, & Philippi Mariæ in gubernatione Dominæ Ducissæ infrascripta, videlicet Bobium, Tordona, Alexandria, Vercellum, Novaria.

Eodem Anno MCCCCII. circa Festum Sancti Lucæ mandato Illustris & Magnifici Domini Domini Nicolai Marchionis Estensis reparatum fuit studium in Civitate Ferrariæ, & ultra Doctores terrigenas conducti fuerunt Doctores famosi in qualibet Scientiæ & Lecturarum facultate, inter quos principaliter fuerunt Dominus Petrus de Ancharano in Legibus, Dominus Antonius de Budrio in Jure Canonico. Item in Legibus Dominus Johannes de Imola. De mense Octobris Padus mirabiliter excrevit, & rupit in Placentino, in Cremonensi, & in Mantuano, duravitque inundatio illa per dies quadraginta & ultra, ita ut dubitaretur, omnia pæne submergi. Par excrescentia etiam fuit Fluviorum Athesis, atque Brentæ, ruptis aggeribus in pluribus locis Veronensis, Paduani, & Policinii Rodigii. De mense .... fuit incœpta constructio & laborerium Horologii novi super Turri Palatii Domini Marchionis cum Angelo, tuba, stella, & aliis ingeniosis artificiis per Magistrum Conradum Teotonicum, qui tamdem non capax industriæ ad perfectionem concepti magisterii, infecto opere se absentavit per fugam. Anno prædicto MCCCCII. Exortâ discordiâ & inimicitiâ capitali inter Tamberlanum Imperatorem Tartarorum una parte, & Bayseth Imperatorem Turcorum altera parte, ipse Tamberlanus Tartarorum Princeps contra Bayseth eduxit exercitum ad numerum DCC. millium Armatorum & ultra. Et Bayseth etiam exivit ad campum cum exercitu Turcorum ad numerum CCCCC. millium Armatorum, & finaliter die XXIV. Augusti conserto prœlio inter eos, Tamberlanus ipsum Bayseth cum universo exercitu suo debellavit, & vicit, cum strage & sanguine vix æstimabili, trahens captivum miserabiliter & ignominiosè eumdem Bayseth, & ingentem numerum suorum Principum. Conflictus iste Turcorum clarè cognitus fuit divino judicio evenisse, nam Bayseth antè cœptam discordiam cum Tamberlano se paraverat ad perniciem Christianorum velle transire terrestri atque navali exercitu, invasurus primò Constantinopolim, & se deinde longiùs & latiùs effusurus. Quod satìs factibile sibi fuisset, attentis viribus tanti exercitus, quantum paraverat. Sed divina providentia optima defensatrix egit, ne ipse suo scelestissimo voto potiri posset. Dum enim fortiùs se accinxerat ad executionem perniciosi propositi, subiit jam dicta discordia ob cupiditatem certi Regni, quod contigit in Regionibus illis vacare, & quod Tamberlanus, & Bayseth certatim occupare conati sunt. Idem Tamberlanus, conflictato & captivato dicto Bayseth, totam occupavit Turchiam, omnia sibi subjiciens vi armorum (erat enim potentia ejus inæstimabilis) cuncta sibi adversantia trahens in ruinam & stragem. Transivit insuper Damaschum, & Urbem illam tam celebrem, ingentem, ac famosam, populatus, ferro & igne evertit, quoscumque, vel nequiter captivando, vel occidendo crudeliter. Eodem Anno MCCCCII. die XVII. mensis Octobris. Incœptum fuit murari Terram Finalis, inchoato primo fundamento eorum ad caput inferius secus Rocham in loco dicto Baladuro, per Magistrum Antonium Prioris muratorum, cui locatum erat opus illud; & primus lapis positus fuit per manus Magistri Bertholini de Novaria Ingeniarii Domini Marchionis, cujus ordinatione laborerium struebatur. Eodem Anno MCCCCII. In partibus Ultramarinis, & specialiter in certis Regionibus Græciæ, fuerunt Terræmotus adeò validi & terribiles, quòd multarum Civitatum & Oppidorum mœnia & ædificia corruerunt; multi quoque montes scissi & delapsi; nonnullæ rupes & Villæ igne cœlesti in flammas & cinerem conversæ; mare excrevit altius solito per dimidiam balistratam, & in certis locis ita secessit ex Terræmotu maritimo, quòd fundus apparuit per medium milliare, & deinde cum impetu rediit, & juxta pristinum fundum operuit. Anno prædicto MCCCCII. de mense .... Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. agens ætatis suæ annum XVIII. vel circa, ut se ab occupationum suarum oneribus quodammodo sublevaret, quæ occupationes tenellæ adhuc ætati suæ graves erant, Regimen Status sui, atque rerum suarum gubernationem & curam, posuit in manibus Magnifici viri Ugutionis de Contrariis affinis sui dilectissimi, & fidei probatissimæ. Qui etsi ipse etiam juvenili floreret ætate, annorum videlicet XXI. ejus tamen multa indolis & prudentiæ manifesta circumspectio omnem temporis respectum supplebat in eo.

Anno Domini MCCCCIII. de mense Februarii Magnificus Jacobus de Carraria, natus Magnifici Domini Francisci de Carraria Do-

Domini Paduæ Soceri Domini Marchionis, duxit Uxorem suam Dominam . . . . . natam Magnifici Domini Domini Rodulfi de Camerino, per viam maritimam appellens Clugiam, & deinde Paduam in navi, cui Sponsæ Illustris Dominus Marchio cum Nobilissima comitiva, & cum Illustri Consorte sua Domina Ziliola de Carraria Sorore Sponsi, cum pulcherrimo comitatu Dominarum Nobilium, & Civium Ferrariæ, ivit per navim obviam usque Clugiam, & deinde secum usque Paduam. Nuptiæ verò valde magnificæ die XXV. Februarii Paduæ celebratæ fuerunt, inter quarum solemnia factum fuit notabilissimum Torniamentum duarum acierum, videlicet partis Azurræ, & partis Viridis, & in eo in parte Azurra fuit Dominus Marchio, qui ad illud de Ferraria traduxerat strenuos Torniatores ad numerum sexaginta, fuitque adjudicatus honor & pretium pro parte Azura præfato Domino Marchioni, & pro parte Viridi Thadæo Estensi nato Illustris Azzonis Estensis. Die verò XXVII. ipsius mensis facta fuit nobilis Jostra, in qua fuerunt XXIV. Jostratores, & pretium datum fuit strenuo Viro Ugutioni de Contrariis: Peractis verò nuptiis, Dominus Marchio cum Domina Marchionissa per aquas Venetas in navi Ferrariam feliciter remeavit. Die VIII. Martii Magnificus Miles Dominus Albericus Comes de Cunio de Barbiano Magnus Conestabilis Regni Siciliæ venit de Barbiano Ferrariam ad parlamentum cum Domino Marchione, & cum eo venerunt Magnificus Petrus de Polenta, & Comes Ludovicus de Zagonaria, ac Comes Manfredus de Barbiano, qui Comes Manfredus post discessum Magni Conestabilis per quamplures dies mansit penes Dominum Marchionem. De mense Aprilis Homines Terræ Crepalcorii Comitatus Bononiæ, qui in mutatione Status Civitatis Bononiæ, redactæ in Dominium Domini Ducis Mediolani, Terram ipsam in libertate sua servaverant & tenebant, decreverunt se & ejusdem Terræ dominium dare Illustri & Magnifico Domino Domino Nicolao Marchioni Estensi. Qua deliberatione in suis consiliis concorditer confirmata, Ambaxiatores suos ea de causa ad præfatum Dominum Marchionem cum certis Capitulis direxerunt, quibus admissis, & validatis hinc inde conditionibus, præfatus Dominus Marchio nobilem Virum Nicolaum de Baixio cum sufficienti equitatu & vexillo ipsius Domini ad accipiendum pro eo tenutam & dominium dictæ Terræ die primo Maji destinavit, quem universus Populus læta fronte, & cum multo gaudio suscepit, Terram ipsam cum fortilitiis & custodia sibi liberaliter consignando. Anno prædicto MCCCCIII. Sanctissimus Dominus Noster Dominus Bonifacius Papa Nonus decrevit inferre bellum filiis quondam Domini Ducis Mediolani pro recuperanda & reducenda in potestatem Romanæ Ecclesiæ Civitate Bononiæ Terra & Colonia ipsius Ecclesiæ, quam præfatus Dominus Dux occupaverat, & quæ nunc per filium suum Johannem Mariam Anglum novum Ducem Mediolani tenebatur; & ad bellum ejusmodi movendum & faciendum, cum solertissima cura concurrerunt & incessantem operam adhibuerunt Florentini, se ipsi Domino Papæ ad id colligantes. Qua facta deliberatione præfatus Dominus Papa cum Florentinis ad parandum Exercitum vigilem solicitudinem & studium adjunxit, illecto in partes suas Magno Conestabili, qui hactenus fovere partes dicti Domini Ducis Mediolani moderni solitus erat. Requisivit insuper prælibatus Dominus Papa sub debito jurisjurandi obedientiæ Dominos Vicarios Civitatum Ecclesiæ ad concurrendum secum in idem, ac subsidia præstandum, & personaliter militandum, & specialiter Magnificos Dominos de Malatestis, & Illustrem ac Magnificum Dominum Dominum Nicolaum Marchionem Estensem &c. Quem Dominum Marchionem ipse Dominus Papa decrevit in Bello ipso constitui Capitaneum Generalem totius Exercitus Ecclesiæ, & Virum Magnificum Ugutionem de Contrariis Marescalchum Generalem. Elegit quoque & constituit prælibatus Dominus Papa Legatum suum, & Sanctæ Matris Ecclesiæ, in ejusmodi expeditionem cum Exercitu mittendum, Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum Dominum Baldissarem Cossam tituli Sancti Eustachii Cardinalem, præcipuæ animositatis & circumspectionis Virum. Qui circa principium mensis Maji plenus præceptis agendorum, & Apostolica auctoritate munitus, ab Urbe discedens, in Marchiam profectus est, deinde Cæsenam, & ibi disponendarum rerum causa aliquot dierum contraxit inducias.

Die XXI. mensis Maji dicti An. MCCCCIII. Præfatus Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dominus Baldissar Cossa Legatus Domini Papæ & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, profectus de Cæsena appulit Ferrariam, cui ante Civitatis ingressum Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. cum egregia suorum Nobilium comitiva exivit obviam, & postquam ad Portam Civitatis, videlicet Portam inferiorem, ventum fuit, factâ quadam Arrengâ sive Sermone pro parte Domini Marchionis per Dominum Antonium de Monte-Catino Legum Doctorem in congratulationem adventus ejusdem Domini Legati, & magnificationem Domini Papæ, & Status Ecclesiæ, ac in recomandationem & oblationem Domini Marchionis &c. idem Dominus Marchio cum debita reverentia claves Portarum Civitatis Ferrariæ per Jacobum de Menegacis de Rodigio Camerarium suum præfato Domino Legato præsentari fecit. Quas ipse Dominus Legatus, solutis gratiis, recipere abnuit, & reportari jussit per Camerarium antedictum. Tunc introductus à Domino Marchione per Portam illam inferiorem in maximo honore, supratectus Baldachino Domini Marchionis decoro valde, rectâ viâ ductus fuit ad domum Domini Marchionis, quæ Paradisus nuncupatur, & in ea sumptibus ipsius Domini Marchionis honorificentissimè collocatus cum omni suo comitatu, moratus est ibi usque ad suum recessum, de quo infra sequitur, & donavit illi Dominus Marchio Baldachinum suum jamdictum, qui valoris erat trecentorum Ducatorum. Die XXVIII. mensis Maji Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. jam deliberatus Capitaneus Generalis Exercitus Papalis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & necessariò militaturus cum Domino Legato contra Bononiam, volens uti omni debita qua poterat ur-

urbanitate, misit Domino Leonardo de Malaspinis, tunc Loci-Tenenti in Bononia pro Domino Duce Mediolani, Literam diffidatoriam, & indictricem Belli, in honestissima forma, adjecta necessitate propter requisitionem & mandatum Domini sui Papæ, à quibus recedere non licebat. Die XXVIII. Maji dicti Anni MCCCCIII. circa horam XXIII. Misit Illustris Dominus Marchio Johannem Grandem de Parma caput suorum Provisionatorum pedestrium cum certa ipsorum Provisionatorum cohorte, & cum scalis, & aliis artificiis ad passum & fortilitium Oselini Districtus Bononiæ, quod constabat negligenter custodiri, & adveniente sero idem Johannes Grandis partim astutia, & partim viribus, Fortilitium ipsum occupavit, & obtinuit pro Domino Marchione, dedentibus se intrinsecis, salvis eorum personis & rebus. Cujus Fortilitii habitatio ad maximam cessit commoditatem futuri transitus Exercitus Ecclesiæ in Bononiense Territorium. Nam aliter oportuisset per viam de Bondeno transiri: quod sinistrum valde fuisset, & minus aptum repentinæ locorum invasioni, ac victualium deportationi. Die Sabbati II. mensis Junii dicti Anni MCCCCIII. qui dies fuit Vigilia Pentecostes. Prælibatus Dominus Legatus, associatus ab universo Clero Civitatis Ferrariæ, & ab Illustri & Magnifico Domino Domino Nicolao Marchione Estense &c. cum solennissima Processione vênit à domo Paradisi, in qua degebat, ad majorem Ecclesiam Ferrariensem, & ibi Missam devotissimam cantari & celebrari fecit, ac benedici Banderias & Pennonos Domini Papæ, & Sanctæ Matris Ecclesiæ. Tuncque per traditionem Bastoni pronunciavit & constituit auctoritate Apostolica sibi commissa præfatum Dominum Marchionem Capitaneum Generalem, & Magnificum virum Ugutionem de Contrariis Affinem ipsius Domini Marchionis Marescalchum Generalem totius Exercitus Papalis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque Ligæ. Qui quidem Exercitus futurus erat ad numerum trium millium & sexcentarum lancearum Armigerorum sub Magnificis & notabilibus ducibus, inter quos principaliter erant Magnifici Dominus Karolus & Malatesta Fratres de Malatestis, item Magnificus Paulus de Ursinis, item Magnus Conestabilis, videlicet Dominus Comes Albericus de Barbiano cum Comite Manfredo de Barbiano, & Comite Ludovico de Zagonaria ejus Nepotibus. Item Magnificus Petrus de Polenta, & Dominus Albertus de Piis de Carpo, Dominus Nicolaus de Robertis de Tripoli, multique alii Nobiles Caporales habentes gentes conductas; multi quoque Nobiles Forusciti Bononiæ, utpote Gozadini, Dominus Baptista Balduinus, & alii.

Eodem die II. Junii circa horam XVII. Dominus Legatus antedictus cum illa gente armigera, quam secum habebat Ferrariæ, & Illustris Dominus Marchio Capitaneus Generalis, & Magnificus Vir Ugutio de Contrariis Marescalchus Generalis, cum gente ipsius Domini Marchionis, quæ erat ad numerum . . . . . . lancearum equestrium optimè in armis positarum, in Dei nomine de Ferraria recedentes per Portam Castrithealdi, & proficiscentes per passum de Oselino, qui nuper venerat in potestatem Domini Marchionis, in Territorium Bononiæ hostiliter

A transiverunt, collatis Banderiis & signis, sicut moris est, exercituum. Et die illa Campum & Castra posuerunt in finibus Podii citra fortilitium per duo milliaria vel circa: Vexilliferorum autem fuit ordo iste, videlicet, quòd generosus & strenuus Miles Dominus Alidoxius de Forzatè de Padua provisionatus Domini Marchionis gerulus fuit Banderiæ Sanctæ Matris Ecclesiæ. Egregius Scutifer Albertus de la Sale Ferrariensis Banderiam gessit Domini Papæ. Banderiam verò Domini Legati . . . . . . Banderiam Domini Marchionis Nobilis Scutifer Bitinus de Platesiis; Stindardos reliquos ipsius Domini gestaverunt Nobiles Scutiferi B Petrus de Preitatis, & . . . . . . Item stindardos præfati Ugutionis Mariscalchi Generalis tulerunt Gabriel de Tassinis, & Damianus de Guidobertis. Nobiles verò & notabiles, quos præfatus Dominus Marchio Capitaneus Generalis de Ferraria secum duxit in exercitu illo, fuerunt infrascripti, videlicet: Magnificus Ugutio de Contrariis Marescalchus Generalis ut supra, Gerardus Estensis, Dominus Alidusius de Forzatè Miles, Dominus Nicolaus de Robertis Miles, Dominus Nicolaus de Obbicis Miles, Bonifacius de Ariostis, Gerardus de Bojardis, Ugo de Bojardis, Aldrovandinus de Joculis, Feltrinus de Bojardis, Albertus de la C Sale, Petrus de Preitatis, Gabriel Tassinus, Boëcius de Silvestris, Magister Johannes de Regio Medicus, Albertus de Robertis, Bithinus de Platesiis, Nannes de Strociis, Bartholomæus de Joculis, Ser Antonius de Montanis Cancellarius, Federicus del Specia. Postquam Dominus Legatus, ut prædicitur, in Territorium Bononiense profectus est, Magnifici Domini Karolus & Malatesta Fratres de Malatestis, & Magnus Conestabilis ad servitia Ecclesiæ militantes, cum eorum gentibus se ad eumdem Dominum Legatum contulerunt, & se exercitui adjunxerunt. Die quarto dicti mêsis Junii MCCCCIII. Mandato Domini Legati, & Domini Mar- D chionis, illatum fuit prœlium contra Fortilitium, sive Castrum Podii, per gentem exercitus, & præcisè per provisionatos pedestres Domini Marchionis, & tamdem vi armorum, transactis vallis, & superatis intrinsecis, qui fortiter resistebant, obtentum fuit ipsum Fortilitium pro Domino Marchione, & ejus nomine præsidiis communitum. Et eodem die Villa & Fortilitium Galeriæ Comitatus Bononiæ per Dominum Legatum obtenta fuit, & supposita dominio Sanctæ Matris Ecclesiæ. Die quinto Junii Dominus Legatus cum exercitu Castra movit de Podio, & processit apud Terram Arzeris, & tractâ ibi morâ unius diei, milita- E vit juxta Terram Sancti Johannis in Persiceto, inde tetendit Navicellam supra fluentum Panarii in Territorio Mutinensi, ubi per triduum remoratus est. Postmodum deliberatione facta de procedendo in partes proximas Lombardiæ, Regii, & Parmæ fines sinè ulla contradictione invadens, atque discurrens, ad Pontem Lentiæ in finibus Parmæ campum firmavit, factaque discursione in loca vicina planitiei atque montium, ad quæ Oppidani cum bestiaminibus suis confugerant, ingens hominum captivatio, & animalium præda fuit abacta. Post hæc quia Do-

Dominus Franciscus de Saxolo, & Dominus Jordanus de Savignano rebelles erant Domini Marchionis, amoto à Ponte Lentiæ Exercitu, transivit contra Saxolum, positis juxta tentoriis, & per aliquot dies illic degente exercitu, Dominus Marchio frumenta, aliasque segetes, & vineta depopulari mandavit. Inde impetito Savignano, similis depopulatio facta fuit. Processit deinde exercitus ipse Navicellam die XVIIII. Junii. Deinde in obsidionem Terræ Arzeris Comitatus Bononiæ iterum transmigravit, in qua obsidione per quatriduum moram duxit, evacuatis redefossis aqua, & consertis aliquibus prœliis ad ipsius Oppidi expugnationem: quod tamen inutile fuit propter resistentiam intrinsecorum, quampluribus ex forinsecis telorum ictibus sauciatis. Postquam verò de Loci illius non successit obtentu, Dominus Legatus consilio Ducum exercitus ad graviora & notabiliora vertens intentum, castra levans ab obsidione Arzeris ad Cortesellam, & deinde ad Pontem majorem districtus Bononiæ, qui est inter Bononiam, & Imolam, supra Fluvium Lidicis, militavit, ibique secundùm loci aptitudinem tentoria fixit, & castra firmavit, aductâ potentiâ Exercitus per adventum Pauli de Ursinis, de quo adventu proximè infra fit mentio.

Die XX. Junii dicti Anni. Generosus & strenuus Vir Paulus de Ursinis Stipendiarius Domini Papæ veniens de partibus Marchiæ, & proficiscens ad Exercitum cum brigata sua circa numerum quadrigentarum Lancearum armigerorum, appulit Ferrariam. Inde abiens die sequenti, ad Dominum Legatum, qui contra Arzerem castrametabatur in Comitatu Bononiæ, properavit, ex cujus adventu viribus ipsius Exercitus adjectum fuit non modicum incrementi. Per hos dies Domina Ducissa Mediolani, & reliqui gubernantes Statum Domini Ducis strenuos Viros Dominum Galeaz de Mantua, & Facinum Canem cum optimo armigerorum equitatu ad præsidia Civitatis Bononiæ transmiserant. Eodem An. MCCCCIII. die XXV. Junii. Cùm jam res Sanctæ Matris Ecclesiæ cœlestem propitiationem circa successus prosperos admisisset, accidit Dei permissione, quòd intestinæ discordiæ in Mediolano exortæ sunt. Nam ob nimium Principatum, quem Franciscus de Barbavaris, annuente Domina Ducissa cum aliis de factione ipsius Francisci, in Regimine Status Domini Ducis Mediolani ad se traxerat, suscitata æmulatione penes reliquos consortes in illo Regimine, Dominus Antonius de Vicecomitibus, & nonnulli alii sub armis tumultum excitarunt, non propterea machinantes contra Statum Domini Ducis, sed in depositionem Francisci Barbavaræ factionisque suæ. Erat nihilominus novitas illa maximo detrimento & disturbio, tali tempestate, negotiis Domini Ducis, crescente in dies majori flamma exsuscitata favilla talis incendii, uti assolet in rebus malis, quarum principia & semina sunt exilia, processus verò in messem amplissimam calamitatis se solent extendere. Nulla enim illius tumultuationis esse potuit mitigatio multos per dies reviviscentis, quoad omni ferme ordine dissoluto Franciscus jam dictus opus habuit non solùm à munere Status, sed etiam à Civitate Mediolani & ejus finibus, repentino diffugio se abdicare. Castrametante Domino Legato cum exercitu contra Bononiam ad Pontem majorem, Dominus Jacobus de Verme cum potenti exercitu Domini Ducis Mediolani proficiscebatur Bononiam, ut non tantùm ab hostibus illam tutaretur, sed etiam cum hostibus ipsis confligeret, superadditis gentibus & præsidiis, quæ in Bononia erant, existimans se non imparem exercitui Legati in viribus atque numero. Sed per Dei Providentiam, suæ Sanctæ Ecclesiæ protectoris, accidit, quòd dum ipse Dominus Jacobus curiosius iter inivit, civiles tumultuationes in Civitatibus Placentiæ, Parmæ, & Cremonæ factæ sunt, exaltantibus capita Guelforum partibus, & insurgentibus adversùs Gibellinos tamquam à baratro in lucem eductis. Nam Guelfi ipsi à longo tempore hactenus à Ghibellinis in contemtu & abjectione habiti fuerant. Jam Dominus Jacobus cum Ducali exercitu Regii fines attigerat, ubi de tumultuatione ejusmodi nuncium accepit. Quo audito ipse continuò retroducens Exercitum, gratiâ sedandorum tumultuum, & locorum muniendorum, ad Civitates ipsas itinere velocissimo se direxit. Et Dominum Ottobonum de Tertiis cum sua comitiva ad præsidia Parmæ constituit. Tunc etiam Magnificus Dominus Mantuæ à Mantua Cremonam profectus, ad conciliandum insimul Populum, & componendum partes dissidentes, solerti admodum studio laboravit. Neque quievit in his terminis dissidiorum summa civilium, quoniam & aliæ quædam Civitates, utpote Lauda, Crema, & Pergamum pari exemplo, Guelfis contra Gibellinos agentibus, successivè tumultuarunt. Quapropter debilitata non parum Domini Ducis Mediolani conditione, spes amplior & vigor ferventior triumphali Sanctæ Ecclesiæ Exercitui ingesta est.

Die VII. Julii dicti Anni MCCCCIII. Volentibus Illustri Domino Marchione Capitaneo &c. & ceteris Ducibus exercitus tenentis castra ad Pontem Majorem, gratiâ interrumpendi otii aliquid strenuitatis bellicæ exercere, pars exercitus positis insidiis usque ad mœnia & Portam Bononiæ equitavit, ut intrinsecos ad erumpendum extra, & scaramuzandum provocaret. Nec fefellit intentio, nam audito strepitu Facinus Canis cum equitatu intrinseco in armis positus, Portam Civitatis continuò egressus est, & impetu in hostes facto, pugna tumultuaria inter utrasque partes crebris congressionibus, & bellicis scaramuciis, strenuè acta est, multique hinc inde capti multique vulnerati fuerunt. Tamdem prævalebat Facinus, adversarios repulsans, & persequens versùs castra fortiter dimicando: quod cùm à Domino Legato cognitum est, Paulus de Ursinis cum gente sua validissimo impetu contra hostes se objiciens, eos rupit, & positos in fugam usque ad Civitatis januam acri pugna coërcuit. Quum per exules Bononienses, qui in exercitu penes Dominum Legatum erant, suggestum & assertum foret, quòd Populus Bononiæ de facili excitaretur ad tumultuandum, & rebellandum pro Sancta Ecclesia contra Statum Domini Ducis Mediolani, dummodo aliquod principium cum evidenti spe subsidii præstaretur ad illud, Dominus Legatus cum Consilio Capitaneorum & Ducum exerci-

citus id experiri decrevit. Paratis itaque multis malleis, sive pichonibus ferreis, atque scalis, die IX. Julii ante diluculum Ugutio de Contrariis Mareschalcus Generalis cum electa parte exercitus equestrium, & Provisionatorum pedestrium, se contulit ad mœnia Civitatis inter Portam stratæ Castilioni, & Portam stratæ Sancti Stephani, & advenientibus etiam nonnullis Montanariis, sive Comitatinis, qui ex circumstantibus Locis ad dictos exules accurrerant, facto clandestino transitu ad murum Civitatis, fractus fuit velociter ipse murus in pluribus locis, & Scalæ subductæ mœnibus, adeò quòd ingressus paulatim, & per muri scissuras, & per scalarum ascensum, adjuvantibus etiam nocturnis tenebris, habebatur in Urbem. Jamque introiverant pedites ad numerum CC. vel quasi, qui explicato vexillo Ecclesiæ, & præeunte tubicine uno, & clangente, cœperunt super mœnia, & deorsum apud muros discurrere, vociferantes: Vivat Ecclesia: propter quod stupor non modicus in Civitate factus est. Sed non propterea quicquam novitatis, aut applausionis ad voces illas à Civibus emanavit. Fortè horâ illâ Facinus Canis, & Dominus Galeaz de Mantua cum gente sua armigera, quæ erat ad numerum MCCCC. equitum, & cum turmis peditum, atque optimo numero civium se accingebant ad arma, ut quamprimum dies elucesceret, egredientes Urbe hostilem exercitum insultarent; sic enim ex deliberato decreverant. Cùm autem rumor de ingressis, & ingredientibus hostibus Civitatem ad ipsorum Facini, & Domini Galeaz aures intonuit, omni abjecta tarditate ad loca irruptionis accelerant, & factos sibi obvios, qui jam introierant, cædunt, atque captivant, ingredi verò satagentes metu coërcent. Deinde exeuntes per Portam cum mille armigeris vel circa ad insultandum Ugutionem cum gente illa, quam secum habebat juxta mœnia, studuerunt. Propter quod Ugutio versùs exercitum se reducere statuit, quem dicti Facinus, & Dominus Galeaz dimicando usque ad glaream Lidicis persecuti sunt. Sed postquam ad locum ipsum ventum est, Ugutio consistit, & reassumto animo contra hostes se animosè convertit. Instauratur certamen, & armis agitur valde strenuè, fitque strepitus ingens, & à castris Domini Legati ad badaluchum in succursum Ugutionis Armigeri multi conveniunt; neque se continuit Illustris Dominus Marchio, quin & ipse rapido cursu sonipedis se ingereret in certamen, magnanimus, atque strenuus hostes insultans. Supervenit & demum cum gente sua Paulus Ursinus, qui ad custodiam Domini Legati, & tutamentum castrorum remanserat. Et instaurato diro impetu, ac certamine contra hostes, & confracto eorum conatu, retrocedere per fugam hostes ipsi coacti fuere, persequentibus eos à tergo viriliter adversariis usque ad Portam Civitatis, multisque ipsorum cæsis, vulneratis, & captis. Tunc captivi fuerunt Pauli Ursini inter ceteros Dominus Philippinus Canis, Lanzalotus de Becharia, & Dominus Bologninus Buccatorta. Fuit equidem dies illa insignis Magnificis armorum operibus inter partis utriusque strenuos Bellatores. Die XXII. Julii dicti Anni MCCCCIII. Dum Illustris Dominus Marchio, & Magnificus Ugutio de Contrariis, profecti cum paucis ab exercitu, gratiâ recreationis essent Ferrariæ, Magnificus Miles Dominus Karolus de Vicecomitibus, natus quondam Domini Bernabovis, vênit de Padua Ferrariam, & cum ipsis Domino Marchione, & Ugutione reproficiscentibus ad exercitum se contulit ad Dominum Legatum. Die verò XXV. Ferrariam remeavit, & deinde Paduam se direxit.

Die . . . . dicti mensis Julii. Dominus Legatus Campum movit à Ponte-Majori, & tetendit contra Imolam, quia Dominus ille, videlicet Dominus Ludovicus de Alidosiis, partes tenebat Domini Ducis Mediolani. Facto igitur hostili insultu contra Civitatem, exustisque Burgis, ac vastata certa parte campestrium, idem Dominus Imolæ vênit in fœdera Ecclesiæ, discedens ab omni sequela, & adhærentia Domini Ducis, & Dominum Legatum in Civitatem admisit die XVII. Julii, promittens de fide & perseverantia obedientiæ erga Sanctam Romanam Ecclesiam & Dominum Papam, sicut tenebatur, tamquam Vicarius ipsius in Civitate illa, quæ est Ecclesiæ prælibatæ. Die XXVIII. dicti mensis Julii. Exercitus missus ab Imola contra Terram Medicinæ Comitatus Bononiæ, illam per deditionem obtinuit. Et per dies illos Johannes Grandis cum provisionatis Domini Marchionis bastitam Pegolæ occupavit. Recedens de Romandiola cum exercitu Dominus Legatus, rursus in Territorium Bononiæ apud Arzerem se direxit, inde discedens die XXVII. Julii tetendit Manzolinum, illudque subegit, & in ditionem Ecclesiæ revocavit. Die verò XXVIII. Julii transivit Navicellam, & exinde Mutinam, ut in Lombardiam militaret, mansitque illic, videlicet Mutinæ, per quatuor dies. Quum propter civiles discordias, & populorum tumultuationes, tam in Mediolano, quàm in nonnullis aliis Civitatibus Domini Ducis Mediolani in Lombardia, status ejus in ancipiti fluctuaret, immineretque propterea Domino Legato certa spes deditionis aliquarum ex ipsis Civitatibus, ac rebellionis aliarum, si exercitum traduceret, & specialiter ultra Padum: idem Dominus Legatus digesto negotio cum Capitaneis & Ducibus suis die . . . . mensis Augusti abiens à Mutina, petiit Lombardiam versùs Regium, & Parmam, constituens ac firmans Castra primò ad Sanctum Paulum secus Guardasonum in Parmensi Districtu, inde transacto flumine Parmæ ad Villam Panochiæ, & successivè ultra prædictas secundùm locorum opportunitatem, invasionibus & discursionibus bellicis cuncta exteriora turbando. Erant equidem Civitates ipsæ intra præsidiis Ducalibus communitæ, & Parma præcipuè præsidio Domini Ottoboni de Terțiis in illa degentis cum bono numero equestris gentis atque pedestris. Demum constituit Dominus Legatus trajiciendum esse exercitum ultra Padum, ut ad diffidentes Civitates Transpadanas, & etiam ad Mediolani fines, si processuum apta concederetur occasio, transitus fieret. Progreditur itaque cum exercitu ad Burgumnovum super ripam fluminis Thari, & exinde ad Padi ripam in Territorio Parmensi secus Tharum ex opposito Casalis Majoris, & paratis certis navibus,

bus, & constructis aliquibus zattis de arboribus (nam locus ille nemorosus est) & injectis in Padum, cœperunt equestres cum equis super navibus, & zattis illis vastum Eridani Fluvium transmeare. Jamque transiverat pars ad numerum D. equestrium, & pro reliquorum transitu insistebatur: & ecce quorumdam armatorum navigiorum Domini Ducis Mediolani classis à superiori parte descendens per Padum, rapido remigio in transeuntes irruit, eisque à transitu cohibitis naves & zattas cum remigibus cepit. Itaque dirupta trajectionis illius facultate, & sublatis à communione exercitus illis, qui jam præterierant, & qui per loca Transpadana errando dispergebantur: fuit opus Domino Legato, & Ducibus suis, de aliis processibus cogitare. Tunc igitur secus Mezanumse transtulit Parmæ Districtus, ubi pernoctans exercitus à Domino Ottobono Tertio, nocte egresso Parmâ cum Armigeris, fuit insultatus, & aliquali molestatione turbatus. Mox die postera, cùm essent aquæ fluviales in magno incremento, ita ut vadari fluentum non posset, acceptis nonnullis vegetibus, quas in Pago illo contigit reperiri, & facto de eis Ponte, transivit exercitus, & profectus ad locum Conventii, ibi in Villa castra constituit, ubi morante cum exercitu ipso Domino Legato fuit inchoata practica concordiæ, de qua proximè infra dicetur. Ingresso Domino Legato in principio cum exercitu fines Parmensis territorii, cùm castrametabatur juxta Panochiam, Dominus Ottobonus Tertius, qui pro Domino Duce Mediolani erat ad præsidia & Regimen Civitatis Parmæ, concepta suspicione contra Parmenses Cives, & præcisè contra illos, qui erant de parte Rubeorum, multa cum impietate expulit ex eis circa duorum millium numerum, qui ad alias regiones in ingenti calamitate habuerunt necesse migrare. Ipsi enim Nobiles de Rubeis, qui partes Guelforum sustinebant, quamprimum senserunt exercitum Ecclesiæ Parmenses invasisse fines, magnos motus à suis montanis Oppidis excitarunt contra partes Ghibellinorum, multas Villas incursionibus & incendiis populantes. Sed Dominus Ottobonus, & Nobiles de Sancto Vitale, quamvis Guelfi essent, tamen Domini Ducis Mediolani Domini sui partes fovebant, sicuti propter multa suscepta beneficia erant obnoxii. Dum in tam discriminoso statu, & rerum versatione conditio Domini Ducis Mediolani ad evidentem præcipitii descensum agitaretur propter extrinsecas pariter, & intrinsecas totius sui status turbationes, nam hinc hostili exercitu, illinc civilibus seditionibus & rebellionibus in suis Urbibus vexabatur, quibus ea tempestate resistere fas non erat: fuit Consilium Illustri Dominæ Ducissæ matri suæ, & aliis gubernantibus Statum suum, ad concordiæ impetrandæ cum Domino Legato refugium, tamquam ad tutiorem & magìs necessarium portum salutis propriæ, se convertere. Quare per interpositionem Magnifici Domini Mantuani, ac Magnifici Domini Karoli de Malatestis, qui cum Domino Legato militabat, res ejusmodi concordiæ cum Domino Legato, qui tunc castrametabatur juxta Conventium, per Ambaxiatores Dominæ Ducissæ, & Domini Ducis, tentata & practicata est, & tamdem post i[illegible]us practicæ digestas hinc inde quaslibet partes factas, diætim cognitas Domino Papæ per Dominum Legatum, habita ipsius Domini Papæ licentia & auctoritate discussionis efficiendæ, fuit in Dei nomine de concordia sancitum, atque conclusum die vigesimo quinto mensis Augusti in Villa dicta Caledio, ad beneplacitum Domini Papæ, eo pacto ut Dominus Dux Mediolani Civitatem Bononiæ, quam tenebat, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino Papæ, in manibus præfati Domini Legati liberè restitueret, atque dimitteret, similiterque Perusium & Assisium restitueret Ecclesiæ. Hanc concordiam Florentini molestissimam habuerunt, quoniam erat eorum votum & intentio, ut non ante desisteretur à bello, quàm totus Status filiorum olim Domini Ducis Mediolani funditus deleretur, & ipsi totum quasi pondus expensarum sustinuerant.

Factâ ipsâ concordiâ Dominus Marchio, & Ugutio cum Domini Legati licentia Ferrariam redierunt, prius tamen in manibus Domini Marchionis, & Magnificorum Domini Mantuæ, & Karoli de Malatestis, depositâ Cittadellâ Bononiæ ad cautelam & securitatem observantiæ promissorum, quoad Dominus Legatus Civitatis ipsius Bononiæ possessionem acciperet, ubi Papa concordiam ratam vellet habere. Conclusâ & firmatâ dictâ concordiâ, & demum acceptatâ per Dominum Papam, Dominus Legatus ab hostilitate exercitum suum abduxit, & versùs Bononiam concessit. Die verò Dominico II. mensis Septembris in nomine Sanctissimæ Trinitatis, ac Gloriosæ Matris Domini Mariæ Virginis, Beatorumque Petri & Pauli Apostolorum, & totius Curiæ Cœlestis, ad honorem & exaltationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sanctissimi Domini nostri Papæ, cum gentibus, & Vexillis, ut decuit, pro prælibato Domino nostro Papa, & Sacrosancta Ecclesia Dei, ipse Dominus Legatus Civitatis Bononiæ in magnifico honoratu fecit introitum, & liberum dominatum obtinuit; & qui præerant ad regimen & præsidia pro Domino Duce Mediolani, continuò abierunt. Hic itaque fuit finis, redactâ Bononiâ in potestatem & subjectionem debitam Summi Romani Pontificis, & Sanctæ Matris Ecclesiæ cum integritate dominii. Cui in Vicarium suum & Ecclesiæ prælibatus Pontifex Romanus præfatum Dominum Legatum præfecit atque constituit. Verùm certa Castra posita in Diœcesi Imolæ solita distringi sub Dominio Bononiæ, quæ Magnus Conestabilis hujus tempore guerræ, & paulò ante partim occupaverat, utpote Castrum Bononiense, Tausignanum, Duciæ, & quædam alia eidem Magno Conestabili remanserunt. Item Caprenum de Districtu Bononiæ in conterminis Tusciæ, quod Florentini occupaverant, remansit eis. Item Terra Sancti Johannis in Persiceto in manibus Magnifici Domini Pandulfi de Malatestis, & Terra Crepalcorii in manibus Illustris Domini Marchionis; & Terræ Centi & Plebis in manibus Gozadinorum, videlicet Domini Nannis, & Domini Bonifacii fratrum, sicuti eas esse contigit, remanserunt. Per hoc tempus fuerunt maximæ novitates discordiarum & crudelitatum inter Populos complurium Civita-

vitatum Lombardiæ subjectarum Domino Duci Mediolani, & fratri suo Comiti Papiæ, propter partialitates Guelforum & Ghibellinorum, & notanter in Civitate & Comitatu Brixiensi, ubi inter se partes ipsæ, sed fortius Guelfi in Ghibellinos, atrocissimam crudelitatem, & inhumanissimam truculentiam exercuerunt, cædendo, jugulando, evisceran-do, & diversis generibus sævitiei trucidando indifferenter in utroque sexu, & in qualibet ætate, usque ad exenterationem fœtuum è corporibus Matronarum: tanta erat rabies, quam in animos eorum accenderat humani generis inimicus. Nec quidem ab ignis clade manus continuerunt, ingentem domiciliorum copiam in cinerem flammis igneis convertentes. Eodem Anno MCCCCIII. Cùm Civitas Brixiæ, quæ erat Domini Ducis Mediolani, vacillaret propter diffidentias Guelforum, & Ghibellinorum, inter quos suscitatæ erant maximæ novitates, resurgentibus Guelfis, Magnificus & potens Dominus Dominus Franciscus de Carraria Dominus Paduæ, hortatu quorumdam principalium Guelforum Brixiensium, ad dominium Civitatis illius aspiravit. Quapropter facta congregatione equestris & pedestris exercitus, movens de Padua cum Jacobo & Ubertino de Carraria natis suis, multisque Nobilibus, relicto ad regimen Paduæ Domino Francisco Tertio etiam filio suo, processit ad Castrumbaldum die XIIII. mensis Augusti. Ea quoque die Magnificus Vir Ugutio de Contrariis, qui novissimè redierat ab exercitu Legati militantis contra Bononiam, & cujus exercitus ipse fuerat Marescalcus Generalis, movens à Figarolo cum strenuo equitatu transivit ad præfatum Dominum Paduanum, militaturus secum in expeditione illa, ducens secum quamplures notabiles Caporales, videlicet Albertum, & Antonium de Robertis, Maffeum de Boyardis, Bithinum de Platexiis, Nannem de Strociis, & alios quamplures, qui militaverant ad stipendia Ecclesiæ cum Domino Marchione & Ugutione paulò ante. Fuitque transitus ejusdem Ugutionis ad Castrumbaldum per Pontem de Maneziis, & viam de Salvaterra, & infra Crucetam, & per valles transacto Scortegino per Pontem super navibus factum. Erat etiam cum ipso Domino Paduano vir strenuus Philippus de Piis bellici negotii expertissimus, antea profectus de Ferraria Paduam ad servitia Domini præfati. Habebat & insuper secum Dominus idem Dominum Guielmum de la Scala, & Dominum Balardinum de la Scala jamdudum expulsos à patria, ad quorum instantiam sperabat aliqua loca, & specialiter Leniacum, & Portum Leniaci Districtus Veronæ, propter antiquam devotionem Domus de la Scala, in motu illo à Domino Duce Mediolani debere deficere, licèt ea spes cesserit incassum. Fuitque exercitus ille ad numerum duorum millium equestrium, & mille pedestrium, quo sic parato præfatus Dominus Paduanus recedens de Castrobaldo, trajecit ultra fluvium Athesis die XVI. mensis Augusti, tendens Castignarium, & apud Leniacum, deinde per diætas continuas usque Brixiam, in quam die XVIII. Augusti introductione Guelforum, nullâ sibi objectâ resistentiâ, cum toto exercitu ingressus est, & Civitatis ipsius datum sibi dominium accepit, Cittadellâ exceptâ, quæ in Domini Ducis Mediolani, sive præsidiorum suorum, sinè ulla defectione remansit. Erat quidem & prævalidi roboris fortilitium. Cùm autem Cittadella ipsa per spontaneam deditionem intrinsecorum obtineri non posset, quinimo ipsi diætim acrius & perseverantius repugnarent, Dominus præfatus censens nihil sibi in tuto esse, illa rebelli, statuit eam obsidione, ac prœliis impugnare. Die itaque primo Septembris, instructis ordinibus oppugnatorum ad quatuor latera, cum scalis subductis ad muros, & aliis bellicis instrumentis, cum possibili exfortio validissimum certamen intulit contra ipsam, longaque & terribilis fuit impugnatio, sed intrinseci bombardas, & tela torquentes, atque ingentia dejicientes saxa, extrinsecorum violentiam denique repulerunt, non paucis mortuis ex forinsecis atque sauciis; & in eodem certamine periit adolescens Nobilis Franciscus Lucæ de Lenone de Padua saxo ictus & dejectus, dum scalis inniteretur ad mœnia. Non propterea destituta fuit obsidio, sed per dies posteros pertinacius observata, donec intrinseci ad deditionis fœdera, si infra octo dierum spatium succursum non acciperent, cogerentur: Quo per eos Mediolanum significato, Dominus Jacobus de Verme, Dominus Jacobus de Cruce, Dominus Ottobonus Tertius, & Dominus Galeaz de Mantua cum Domini Ducis exercitu in succursum dictæ Cittadellæ præsto militarunt, & superactâ obsistentiâ Domini Paduæ illam per aditus suos versùs montes cum multis victualibus introierunt, ex quo fuit inanita deditionis promissio. Hoc peracto, dicti duces intrinseci multis signis & nutibus minabantur velle ad extrinsecos in armis exire, ac secum confligere: quod extrinseci stantes in armis intenti & animosi non refugere, sed appetere se ostentabant, consertis interdum aliquibus egregiis scaramuciis, in quibus extrinseci strenuè prævaluerunt. Attamen quia res exterior videbatur admodum dubiosa, Dominus Paduæ ad omnem cautelam, suasu Ugutionis, & Philippi de Pisis, atque aliorum primatum suorum, plebejo amictus vestimento cum paucis eques noctu clandestinè abiit, & per insolitos viarum anfractus remeavit in patriam. Stantibus itaque rebus in tali ventilatione, & intrinsecis non satis sibi consulentibus in aciem exire, extrinsecis verò non satis sibi fidentibus illo statu suo, licèt Ugutio, & Philippus, ac Caporales reliqui continuè de industria se impavidos in armis ostentarent & offerrent, denique hinc inde concorditer ad pactionem treugæ & salviconductus pro exterioribus dierum aliquot ventum est, cujus beneficio Ugutio cum exercitu illæso inde abiit, & quilibet ad propria se conduxit, Brixia sub jugum pristinum redeunte.

Anno prædicto MCCCCIII. die III. Septembris. Existente Magnifico Domino Paduæ in Brixia, Dominus Franciscus Tertius ejus filius, qui erat Paduæ, misit Thomaxium de Mantua stipendiarium suum cum certa comitiva armigerorum & peditum ad Terras Leniaci, & portus Leniaci, Comitatus Veronæ, quæ erant Domini Ducis Mediolani, fulcitas præsidiis, & negligenter custoditas. Qui Thomaxius cum suffragio nonnullorum intrinseco-

corum porrectis ad muros Scalis, circa quintam horam noctis Terras ipsas introivit, & pro Domino Paduæ occupavit, Rochis exceptis. Sed Dominus Mantuæ hoc percepto, cùm amicus & colligatus esset Domini Ducis, misit Bartholomæum de Gonzaga cum ducentis lanceis armigerorum, qui die VII. Septembris habito ingressu per Rochas, manu violenta Terras easdem recuperavit, cæsis pro majori parte præsidiis, quæ illic erant pro Domino Paduano. Die X. mensis Junii. Inceptum fuit laborari ad opus Cittadellæ Ferrariæ, videlicet ad demoliendum domos & foveam faciendum. Die XIV. mensis Junii nata fuit Isota filia Illustris & Magnifici Domini Domini Marchionis Estensis &c. ex Domina Katelina filia egregii Viri Magistri Tadei Medici de Ferraria. Eodem Anno MCCCCIII. Serenissimus & Illustrissimus Princeps Dominus Ladislaus Rex Apuliæ, Hierusalem, & Siciliæ, vocatus ad magistratum & dignitatem Regni Hungariæ per quamplures Barones, & Principes, sive Magnates ipsius Regni, qui Regem suum Illustrissimum & Strenuissimum Dominum Sigismundum à Regali solio deponere moliti erant, cum potentissimo Exercitu terrestri abiens à Civitate Neapolis, & deinde cum navali transivit in Dalmatiam, & demum in Urbem Jadræ maritimam perrexit, ad quam convenientibus Antistitibus, & Magnatibus Regni Hungariæ sibi propitiis, ipse Dominus Rex Ladislaus cum vehementissima celebritate, ejusdem Regni Hungariæ Diadema & insignia suscepit die quinto mensis Augusti. De mense Augusti. Sicut ex fama publica traditum fuit, Illustrissimus Princeps Dominus Rupertus de Domo Bavariæ, alias electus Rex Romanorum per Barones & Magnates Alemanniæ, fuit per Sanctissimum Dominum Papam decreto Apostolico confirmatus & titulum Imperatoris adeptus est. Die XVIII. Augusti circa quartam & quintam horam noctis spiravit quidam ventus adeò vehemens & impetuosus, quòd infinitas arbores robustissimi roboris in Comitatu Ferrariæ evulsas ab imis radicibus stravit. Multa quoque evertit tuguria, quorum alia super quiescentia in eis animantia corruerunt, & eadem necaverunt, nonnullis etiam utriusque sexus hominibus suffocatis. Die V. Septembris Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. cum comitiva ducentorum equestrium gratiâ visitationis accessit Bononiam ad Dominum Legatum, à quo fuit susceptus & honoratus magnificè.

Eodem Anno MCCCCIII. de mense Octobris. Cùm Januenses existentes sub commenda & protectione Serenissimi Domini Regis Francorum, dissidium haberent cum Domino Rege Cypri, inferentes ei bellum, & obsidionem navalem, cùmque Dominium Ducale Venetorum à Januensibus de subsidio præstito Regi Cypri suspectum haberetur, Magnificus & strenuus Miles Dominus Johannes Boutiquant, vulgo dictus Bucichaldus, Regius Loci-Tenens & Gubernator in Janua, cum Galèis quampluribus armatis gente Januensi & Francigena, in hostilitatem illam contra gentem Cypri profectus, pace facta ad Portum sive Oppidum Baruti, in Syriam declinans, maximam & quamcumque potuit prædam mercantiarum illic existentium, quas

A Mercatores diversarum regionum advexerant, perpetravit, inter quas major pars erat Civium & mercatorum Venetorum, & repetens Pelagus sulcabat Jonium. Ex parte altera miles strenuus Dominus Karolus Zeno Capitaneus Armatæ Venetorum ad Gulfi custodiam, ex more cum undecim Galèis armatis per idem Pelagus vagabatur; habebat autem ipse à suo Ducali Dominio in commissis, ut quemcumque reperiret habentem de mercantiis illis, quæ apud Barutum raptæ fuerant, intromitteret, & caperet toto posse. Cùm autem contigisset, Dominum Bucicaldum Classem suam adduxisse secus Mothonum ad locum, qui dicitur Portus Zonchus, distantem à Mothono per spatium quatuor milliariorum vel circa, & Dominum Karolum esse Mothoni, suborta eidem Domino Karolo suspicione deportationis mercantiarum, & insuper quod à Domino Bucicaldo impetendus esset, prævenire constituens, Classem suam in diluculo velocissimo remigio egit ad insultum & impetum classis adversæ jam recedentis, quod postquam Dominus Bucicaldus obstupens animadvertit, ipse etiam prœlio adnixus est. Cohærentibus igitur, & conjunctis insimul utriusque partis Classibus, horrendum & cruentum prœlium fuit commissum, prosilientibus alterutrum bellatoribus in Galèas. Erant autem Francigenæ illi in armis probi, atque strenui, Venetos acerrimè opprimentes, sed insoliti navalibus pugnis, & minus solidi in navium agitationibus, in quibus frequenter vacillabant, & procidebant, & ad ejusmodi agitationes Dominus Karolus de astutia operam dari faciebat plurimam & frequentem. Cùm adversarii validiori certamine Classem ejus obsedissent, atque turbarent, tamdem per prœlii ipsius perseverantiam, animositatemque & industriam Domini Karoli, fuit Bucicaldus superatus, atque devictus, & tribus amissis Galèis cum reliquis octo se salvavit per fugam. Capti fuerunt cum ipsis tribus Galèis multi notabiles Francigenæ ad numerum plurium quàm quinquaginta Nobilium, quos Dominus Karolus cum reliquis captivatis misit Venetias, ubi servati in custodia satìs urbanè, & ministrato sibi victu sumptibus publicis manserunt certo tempore, quo adfuit inter Ducale Dominium, & Januenses super certis differentiis conclusa concordia: ob quam practicandam Januensium Oratores Venetias adventarunt. Tunc dimissi fuerunt captivi illi, & repatriarunt per viam de Ferraria, quos Illustris Dominus Marchio benignè dulciterque ex Nobilitatis ac generositatis propriæ instinctu in Domo susceptos maximis fovit honoribus. Post concordiæ autem conclusionem Dominus Bucicaldus per nuncios atque litteras Ducali Dominio Venetorum multa misit convicia de impunitate Domini Karoli, quem ipse de proditionis crimine detestabatur, quod eum neque inferre cogitantem, neque recipere dubitantem insidias, sinè ulla diffidantia taliter insultasset. Die XVII. Decembris. Incœpta fuit fabrica Podioli novi arrengæ Palatii Communis Ferrariæ loco alterius, quod jamdudum corruerat. Et hoc tempore Bartholomæus Machaferrus erat Massarius Communis Ferrariæ.

Prædicto Anno MCCCCIII. de mense .... Dominus Bonifacius de Gozadinis

nis Miles, nonnumquam temerarius, & suæ felicitatis impatiens, existens in magistratu Terrarum Centi & Plebis Comitatus Bononiæ, quarum ipse & Dominus Nannes de Gozadinis ejus frater dominium habebant, excogitata ac fabricata populari seditione excitanda contra Statum Domini Legati Bononiæ de conscientia & cum sequela quamplurimorum Civium Bononiensium de factione sua, congregationem multorum peditum in Terris ipsis Centi ac Plebis accivit, & nocturno tempore inde proficiscens, mane attigit Bononiam, præoccupatâque portâ Civitatis per fautores suos intrinsecos juxta datum inter se ordinem, ipse equo insidens Portam ingressus, pedites illos introducere satagebat. Cujus rei perlato rumore ad Domini Legati notitiam, ipse cum nonnullis Armigeris equum ascendit, & cursu rapido ad Portam illam tetendit, & apprehensum Dominum Bonifacium, fictèque dicentem, se non dolo, sed præsidii gratiâ advenisse, misit in carcerem in Cittadella Bononiæ. Et eadem die detineri, atque ibidem carcerari mandavit Gabionum filium Domini Nannis de Gozadinis Bononiæ existentem, & de seditionis illius participatione suspectum. Postmodum paucis exactis diebus, idem Dominus Bonifacius, extortâ ab eo causâ suâ, in Cittadella præfata capitali damnatus sententia decollatus fuit. Gabiono verò per Dominum Legatum indictum fuit, se par supplicium subiturum, nisi infra certum præfixum sibi terminum Dominus Nannes de Gozadinis pater ejus Terras Centi & Plebis eidem Domino Legato dimitteret. De mense Decembris Dominus Antonius Porrus, Dominus Galeaz Porrus, & Dominus Galeaz Aliprandus, qui erant ex principalibus in Consilio & Gubernatione Status Domini Ducis Mediolani, ob culpam tentationis habitæ contra Majestatem, jussu præfati Domini Ducis in Mediolano decapitati fuere. Tuncque Domina Ducissa Franciscum Barbavaram pridem per fugam absentatum revocavit Mediolanum, comitante Facino Cane cum gente armigera, eumque Franciscum in Gubernatione Status juxta pristinum sublimavit. De mense Decembris. Cùm ortus esset certus rancor inter Illustrem Dominum Marchionem, & Dominum Legatum Bononiæ, culpa & defectu Domini Legati refugientis observare Domino Marchioni fœdera & promissa, specialiter de restitutione Nonantulæ & Bazani; & cùm Dominus Marchio propterea inhibuisset omnem deportationem, & præcipuè victualium & bladorum: quod erat Bononiensibus maximo detrimento, quia frumentariæ rei habebant tunc plurimam indigentiam: Serenissimum Ducale Dominium Venetiarum, & Magnifici Domini Florentini suos Oratores notabiles miserunt Ferrariam ad Dominum Marchionem pro tractanda & interponenda concordia, qui eam ob causam diebus pluribus Ferrariæ commanserunt.

Anno prædicto MCCCCIII. de mense Aprilis. Habitabat in Civitate Ferrariæ quidam Ghinus de Scalis de Florentia, homo sicarius & homicida, propter ipsius funesta facinora exbannitus à propria patria, & à Bononia, aliisque compluribus regionibus. Hunc subiit falsa & maligna suspicio contra Franciscum de Maliciis Campsorem Civem Ferrariensem, quod videlicet is Franciscus ad instantiam inimicorum suorum illius perniciem pertractaret; quare de ejusdem Francisci interitu cogitavit. Exploratis igitur aditibus domus habitationis suæ existentis super via Sablonum ex opposito Ecclesiæ Sancti Antonii, & assumpto sibi in socium sceleris quodam juvenculo vocato Villano, admodum lascivo, & vagabundo de Lombardia, nutrito tamen Ferrariæ, nocte sequenti post diem Paschæ Resurrectionis, quæ dies fuit XV. Aprilis, ambo se contulerunt ad præfati Francisci domum, & per ostium posterius clandestinè domum ingredientes, & procedentes usque in thalamum, in quo Franciscus & Uxor sua dormiebant, constiterunt illic, ut omnem patrandi facinoris viam melius apprehenderent. Exvigilatus tamen Franciscus, quia lampadis lumen erat, eos conjectavit, sed timore pressus exurgere non audebat. Tunc illi extincto lumine lampadis, in vicinam guardacameram paulisper secesserunt, perpendentes Franciscum & Uxorem ejus expergefactos. Continuò Franciscus à lecto exurgens progrediebatur ad fenestram anteriorem, ut vicinos excitaret, & Uxor ipsius eum comitabatur. Tunc Sicarii illi irruerunt, & fuste quodam fracto Francisci capite cerebrum pæne excusserunt primo ictu, deinde pugionibus ipsum multa per vulnera trajecerunt. Uxor verò, non muliebri, sed virili profectò animositate usque ad morsus dentium in reluctatione ejusmodi, cœca & incerta propter obscurum, illos impediebat, constricto cum brachiis à tergo Villano. Sed adeò invaluerunt vulnera, quòd Franciscus exanimis corruit, & Sicarii abierunt, neutro eorum cognito per Uxorem. Franciscus verò etsi eos cognoverat, nequivit revelare, extinctâ sibi loquelâ etiam ante mortem immediatè post vulnera, & die sequenti ante nonam morte consumptus est. Sequenti die cùm ignoraretur de auctoribus homicidii, Potestas Ferrariæ dedit studium inquirendi, & quosdam infames, & malæ conversationis Juvenes apprehendit, inter quos fuit Villanus, qui ad patibulum ductus seriem totam aperuit. Ghinus verò, postquam novit inquiri, sic accepta bulletta secessit. Villanus debito damnatus supplicio fuit, per Civitatem super curru tenalleatus, deinde ductus ante domum commissi homicidii fuit squartatus, & quarteria cum capite reciso imposita furcæ, illicque ad spectaculum usque in sero manserunt.

Anno prædicto MCCCCIII. die primo Novembris Dominus Ugolinus de Cavalcabobus, & Johannes de Ponzonis occupaverunt dominium Civitatis Cremonæ, quæ erat Domini Ducis Mediolani, favore populari Guelforum, sed brevi tempore subsecuto sublatus fuit per mortem Johannes Ponzonus, & dominium totum in solo Domino Ugolino remansit. Eodem Anno, postquam Dominus Ugolinus de Cavalcabobus Cremonæ dominium acceperat, Florentini se cum eodem Domino Ugolino intelligentes, ad dispendia Domini Ducis Mediolani, & Fratris ejus Comitis Papiæ, miserunt gentem Magni Conestabilis stipendiarii sui, cui genti præfectus erat Rubeus dell' Aquila, & Albertum de Robertis, aliosque complures Caporales cum suis Brigatis armigeris Cremo-

monam penes Dominum Ugolinum, dantem sibi receptacula & favores; quæ gentes multa & longa invasione, ac prædis, incendiis, & captivationibus Territoria illa Domini Ducis Mediolani, & Domini Comitis Papiæ hostiliter perturbarunt, discurrentes sæpe numero usque prope mœnia Civitatum. Anno prædicto MCCCCIII. de mense Novembris. Illustrissimus Princeps Dominus Stephanus Dux Austriæ duxit in Uxorem Illustrissimam Dominam Dominam Johannam Serenissimi Principis & Domini Domini Ladislai Regis Apuliæ; & fuit ejus sponsæ profectio maritima per Dalmatiam ad Jadram, & deinde ultra ad reliquas partes itineris versùs Austriam.

Anno Domini MCCCCIIII. die ultimo Januarii. Cùm Jacobus de Monturso de Mutina, Conestabilis pedestris Domini Marchionis, & Petrus de Donziis de Mutina Caporalis ejus, occasione unius captivi inter se controversiam haberent, ad tantum iracundiæ processerunt, quòd rem illam per duellum pedestre dirimere pacti sunt, & campum sibi concedi à Domino Marchione in Ferraria petierunt. Quo concesso & facto claustro, sive stelengarda, super platea Ferrariæ inter Palatium Domini Marchionis, & Episcopatum, Petrus primus mane introivit armatus, sinè viseria tamen galee suæ, ibique in angulo claustri versùs strazarolos sub quodam linteo tabernaculo delituit, expectans adversarium, qui quodam monitus omine venire distulit usque in horam XVII. Et post eam horam veniens claustrum introivit, & tremebundus sedit in cathedra quadam in opposito angulo versùs viam Portæ Leonis; exhibitisque in medium armis offensibilibus utriusque, jussu arbitrorum constitutorum ad id per Dominum Marchionem, qui fuerunt Nobiles & Egregii Viri Gerardus de Bojardis, & Aldrovandinus de Joculis, fuerunt lancearum longitudines æqualatæ, & ferrorum lancearum, atque aliarum armorum facta credentia. Postmodum, restitutis armis utrique, ipsi se ad certamen insurgentes paraverunt. Et conjecto guanto per arbitros, mutuis congressibus se insultantes cum lanceis processerunt. Mox Petrus, cui propositum erat magìs de sternendo in terram Jacobum, quàm secum rectis armorum officiis dimicare, abjectâ in ictu lanceâ suâ ad amplectendum brachiis Jacobum integerrimè armatum molitus est; dumque sic amplexatum sternere conabatur, Jacobus educto pugione, sive dagha illum in cossa dextera, quæ erat inermis, vulneravit, quod fuit circumstantibus imperceptum; nec quidem Petrus ipse vulnus ejusmodi in colluctatione illa sentire visus fuit. Tamdem Jacobum Petrus in terram resupinum decidere coëgit, & superjectus sibi, manu sinistra, & genu dextero omnem motum & exercitium manuum utrarumque ipsius compressit, itaut is Jacobus stans immobilis, mortuo simillimus videretur, & evaginans Dagam Petrus viseriam galeæ Jacobi à vinculis ferreis, quibus compacta erat, crebris ictibus dirumpere laborabat, ut exinde vulneribus agere posset. Quod tamdem fecisset, nisi arbitri obstitissent, qui continentes Petrum, Jacobum in tanto suo discrimine ad se reddendum hortabantur. Interea ex vulnere Petri multus sanguis defluebat, Petro ipso non sentiente, quem sanguinem astantes magìs existimabant à corpore Jacobi, quàm Petri effusum esse. Taliter itaque pressus pulsatusque Jacobus, hortatu Domini Marchionis, & Ugutionis, se reddidit, & Petrus victor fuit. Qui Petrus mox cùm exsurrexit, debilitatus per tanti cruoris effusionem, languere cœpit, atque deficere; sed introductis ambobus in domum Domini Marchionis, fuit de medela provisum, tam ad reprimendum sanguinis fluxum, quod difficile fuit, quàm ad vulneris medicamen, quod fuit infra dies modicos solidatum. Eodem Anno MCCCCIIII. de mense Januarii. Detento Gabiono filio Domini Nannis de Gozadinis in Cittadella Bononiæ, sicut in præcedentibus paulò ante fit mentio, Dominus Nannes Pater suus, qui erat in Terra Centi, suasu & consilio aliquorum amicorum suorum, ut viam captaret redemptionis & salutis ejusdem Gabioni filii sui, absque eo quod dimitteret Terras Centi & Plebis, sicut petebat Dominus Legatus, ita effecit, quòd Brichus Guidonis de Castilione de Florentia Frater Danthis de Castilione habitatoris Ferrariæ, & amicissimi sibi, Fortilitium Massimatici, quod idem Dominus Nannes tenebat, sub specie proprii negotii occupavit, introductis in illud quampluribus latrunculis, cum quibus de circumvicinis locis prædonio more prædas abigebat, & clandestinè noctu profectus ad passum Malalbergi nobilem Virum Petrum de Platesiis Civem Bononiæ divitem, qui viâ illâ per navim rediens de Ferraria proficiscebatur Bononiam cum nonnullis, rapuit, & Massimaticum duxit, & deinde clam misit ad Terram Centi in fortiam Domini Nannis intra Rocham in custodia & carcere collocatum.

Anno prædicto MCCCCIIII. de mense Februarii. Per interpositionem Serenissimi Ducalis Dominii Venetorum, & Magnificorum Dominorum Florentinorum, facta fuit inter Dominum Marchionem, & Dominum Legatum Bononiæ, super habitis rancoribus compositio atque concordia sub certis conventionibus & promissionibus tunc factis per Dominum Legatum Domino Marchioni, & præcisè de restitutione Nonantulæ & Bazani: quas promissiones ipse Dominus Legatus attamen non attendit, largus in illis, sed in observatione parcus. Quæ concordia die IIII. Februarii fuit super platea Ferrariæ publicata, hoc addito quòd liceret cuilibet portare frumentum, & quæcumque alia victualia Bononiam, solvendo Datia ordinata. Eo utique tempore erat Bononiæ frumenti & bladorum vehemens indigentia. Die VIIII. Februarii. Cùm Gabionus de Gozadinis carceratus, ut supra, in Cittadella Bononiæ precibus & supplicationibus, tam per literas, quàm per Nuncios, flectere nequivisset Dominum Nannem Patrem suum, qui in Cento degebat, ad dimittendum Domino Legato Centum & Plebem pro ejusdem Gabioni redemptione; existimabat enim Dominus Nannes ipse, & sic per nonnullos sibi dabatur intelligi, Dominum Legatum ad Gabioni interitum minimè processurum, præsertim existente Petro de Platesiis captivato, ut erat, in manibus Domini Nannis: præfatus

tus Dominus Legatus eumdem Gabionum decapitari fecit. Cujus interitus fuit amarissimus dolor & intolerabilis tristitiæ gladius misero Genitori: Erat enim Gabionus ipse juvenis magnæ indolis & industriæ. Die VIIII. Februarii Dominus Legatus Bononiæ pro auferenda rebellione Massimatici, & fortiùs pro apprehendendo eo, qui illud occupaverat, videlicet Bricho, misit in obsidionem ejusdem Loci Dominum Conradum de Matelica stipendiarium suum, militem strenuum valde, cum Exercitu, qui dum in obsidione illa maneret, & in debellationem Fortilitii quamdam bombardam magnam adaptari fecisset, immisso in eam igne, ut lapidem excuteret, fractâ bombardâ à reliquiis & vapore incensi pulveris evolantis, fato miserabili cum tribus aliis fuit extinctus. Verùm continuata nihilominus per Exercitum obsidione, idem Fortilitium die XIII. Februarii devictum fuit, & obtentum pro Domino Legato, non capto Bricho, qui clam ante aufugerat. Eodemque die XIII. Februarii Homines de Cento confisi subsidio dicti Exercitus rebellarunt Domino Nanni, ac clamantes: Vivat Ecclesia; & Dominum Johannem Franciscum de Panciatis Militem, Potestatem eo tempore Civitatis Ferrariæ, sed tunc residentem ad Regimen Centi in favorem Domini Nannis, irruentem in arma, equo dejectum, & vulneratum in capite, captivarunt, equos & arma sibi auferentes, & Terram occupantes, sed non Rocham. Moxque evocato exercitu, qui erat Massimatici, eum introduxerunt in Terram eamdem die sequenti. Post prædicta Dominus Nannes cognoscens suæ fortis depressionem, condescendit per volontariam compositionem & concordiam dimittere Domino Legato Rocham Centi, & Terram Plebis cum Rocha, & sic dimisit, ipseque Ferrariam adventavit.

Anno prædicto MCCCCIIII. die XXVIII. Januarii Magnificus Dominus Pandulfus de Malatestis, & Facinus Canis habentes singuli exercitus, & militantes ad stipendia Domini Ducis, & Dominæ Ducissæ Mediolani, junctis exercitibus expugnarunt Burgum Pandini, quod rebellaverat. Deinde sequenti die transiverunt flumen Abduæ, & ingressi Territorium Brixiæ, nonnulla Oppida propter partialitates vacillantia in obedientiam redegerunt. Demum se Brixiam conferentes, quæ tota inter se dissidiis conflagrabat, & se alienam ab obedientia faciebat, igne & ferro pro magna parte vastatam, cruentâ admodùm violentiâ domitarunt, ut Domini Ducis, & Dominæ Ducissæ rejectum jugum admitteret. Anno prædicto MCCCCIIII. de mense Januarii Magnificus & potens Dominus Dominus Franciscus de Carraria Dominus Paduæ exercitum suum duxit in fines Civitatis Vicentiæ, quæ erat Domini Ducis Mediolani, & ibi ad obsidionem ipsius Civitatis duas validas bastitas construi fecit, duasque alias erigi fecit contra Terram Leniaci, quæ est de Comitatu Veronæ secus Athesim fluvium. Pontem unum insuper construi fecit ex transverso Athesis supra Leniacum, ut ad alterum latus sibi pro libito expeditus foret accessus. Quibus bastitis & ponte completis atque benè munitis, idem Dominus Paduam repeti-

A vit. Eodem tempore. Cùm multæ & gravissimæ forent molestiæ, quas Dominus Paduæ contra Dominum Ducem Mediolani, & præsertim in Vicentinis, & Veronensibus finibus inferebat, Dominus Dux Mediolani Facinum Canem, quosdamque alios Capitaneos cum novo exercitu ad numerum quinque millium equestrium misit, ut invaderet Territorium Paduanum. Sed Dominus Paduæ hoc præsentiens, cum omni exfortio gentis suæ ac subditorum suorum militavit, & se opposuit ad serralia sua versùs fines Vicentiæ, unde erat conceptus Facini Territorium ingredi Paduanum. Ibi multis diebus moliente Facino transire serralea, & B Domino Paduæ resistente, plurima strenua prœlia commissa fuerunt. Tamdem Facinus frustrato conatu suo, cum exercitu retrocessit in Lombardiam. Tempore illo Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. cupiens Domino Paduæ socero suo in tanta sua necessitate succurrere, die XII. Martii recedens de Ferraria militavit ad illius subsidia cum quingentis lanceis Armigerorum, inter quos fuerunt Dominus Estor de Vicecomitibus, Checus de Sancto Severino, Tartaglia, Sfortia cum suis brigatis, ac Brigatæ olim Domini Conradi de Matelica, & Alexii de Monte Reali, qui revera erant adhuc pro majori parte stipen- C diarii Ecclesiæ, & Florentinorum. Isto tempore Serenissimum Ducale Dominium Venetorum, instinctu Domini Jacobi de Verme Oratoris & Consiliarii Dominæ Ducissæ, & Domini Ducis Mediolani, & ad omnem bonum finem multam dedit operam & interpositionem per multiplicatos Oratores, & amicabiles hortatus suos, ut Dominus Paduæ desisteret inferre molestias Domino Duci Mediolani sub sponsione magnorum munerum accipiendorum per eum à Domino Duce, & specialiter Feltri & Cividalis. Sed ipse Dominus Paduæ pertinaciter & obstinatè omnia facere recusavit; jam enim illectus erat desi- D derio captandi Dominii Veronensis: quod finaliter fuit ejus excidium.

Postquam Facinus Canis, sicut proximè supra dicitur, se & exercitum Domini Ducis Mediolani amovit à molestatione Serraleorum Domini Paduæ, & secessit in Lombardiam, ipse Dominus Paduæ, ad cujus subsidia se contulerat Illustris Dominus Marchio cum quingentis lanceis equestrium, ut supra tangitur, cum auxilio & præsentia ejusdem dicti Marchionis quàm magnum & validum potuit paravit exercitum, dispositus se extendere ad negotia Vicentiæ & Veronæ Civitatem Domini Ducis Mediolani. Adhibuitque secum Dominum Guielmum de la E Scala, intendens introducere ipsum ad Veronæ dominium, sicut sibi factibile satis arbitrabatur, tum quia jam fautores habebat Cives quosdam Veronenses per occultam tractatus practicam, & tum ob antiquam Veronensium affectionem ad Domum de la Scala. Et circa principium mensis Aprilis idem Dominus Paduæ cum exercitu illo, in quo Dominus Marchio, & Dominus Guielmus de la Scala cum Brunorio & Antonio ejus Filio, ac Dominus Karolus de Vicecomitibus militabant, dimisso ad Regimen Paduæ Domino Francisco Tertio de Carraria ejus filio, in Vicentinum Territorium equitavit,

 ubi

ubi jam ante certas fecerat poni bastitas, & castra posuit contra Coloniam Oppidum Vicentinæ Diœcesis, sed districtum sub Jurisdictione Veronæ. Dum autem sic castrametaretur illic, ipse Dominus Paduæ, & Dominus Guielmus de la Scala cum illis Veronensibus, cum quibus ante se intellexerant, per secreta missa & remissa continuarunt tractatum de invadendo Veronam. Quare die V. Aprilis motis castris à Colonia, præfati omnes Domini cum exercitu se ulterius transtulerunt apud Caldariam, & Lasios, in finibus Veronensibus, ibidem pernoctantes. Die sequenti verò VI. Aprilis ad Villam Sancti Martini, quæ propinqua est Veronæ, ad quinque milliaria processerunt, ibi noctem agentes. Tunc verò captabatur conspiratoribus internis per occultos internuncios de agendis ordo plenissimus. Propter quod Dominus Paduæ nocte illa certas cohortes provisionatorum suorum pedestrium electorum ad numerum CCCC. præmisit cum scalis & aliis artificiis, tam ad ascensum, quàm fracturam murorum accommodis, qui cum auxilio fautorum interiorum mœnia Civitatis Veronæ, & ingressum ipsius occuparent circa locum prærordinatum. Post hæc declinante nocte, admoto exercitu ad iter circa Auroram processerunt ad muros Civitatis, transactâ foveâ, quæ sine aqua & limo erat, ad latus Campi Martii inter Portam Episcopi, & Portam Campi Martii. Jam autem provisionati præmissi, faventibus amicis internis, mœnia cum scalis ascenderant, & custodes repulerant, duosque Turresinos ceperant. Jam rumor effusus per Urbem Dominum Ugolotum de Blancardis Capitaneum Veronæ excitaverat, qui cum armis & certa Populi parte arma captaverat, & jam prœlio agebatur durissimo inter intrinsecos, & provisionatos in mœnibus se tenentes, & intrinsecos repellentes. Tunc repentino studio, & indefesso labore Dominus Paduæ ad rumpendum murum fecit intendi, & facto foramine, ipse, & Dominus Marchio, & Brunorius cum nonnullis aliis illico introierunt pedibus, sed non faciliter propter foraminis parvitatem. Postea dilatato amplius foramine introivit Dominus Guielmus. Successivè, facto etiam alio foramine, introierunt ceteri de exercitu, & fuerunt equi introducti. Non erat tamen interea cessatum prœliari cum Domino Ugoloto, qui se illic obtulerat; verùm postquam cognovit ipse Dominus Ugolotus, amodo se non posse resistere multitudini & viribus illis, cùm jam se fortiter accumulassent in latitudine loci illius, videlicet Campi Martii intra mœnia, versis habenis retrofugere laboravit. Quem Dominus Marchio cum nonnullis ex suis in velocissimo equorum cursu strenuissimè persecutus fugavit. Ipse verò ad Palatia confugit, & pontes Athesis levari fecit, ne ad latus illud hostibus esse posset accessus. Istis actis Dominus Paduæ Portas Episcopi, & Campi Martii occupavit, deinde exercitum transtulit ulterius in Civitatem versùs Portam Sancti Georgii, capiens allogiamenta per domos, & nulli Civium inferens prædam aut molestiam. Dum autem sic omnes stationarent, nullam timentes hostilitatem; ecce die sequenti VIII. Aprilis circa meridiem Dominus Ugolotus cum armigeris, & quadam Populi parte, prodiit ad latus illud, & allogiamenta exercitus rapido impetu insultavit: propter quod fuerunt omnia in strepitu, & ad arma captanda data necessitas. Primusque inter omnes Illustris Dominus Marchio, vix patiens moræ captionis armorum, sonipedem animosus insiliit, & cum non multis ex suis in hostes mira virilitate se ingerit, eos durissimè opprimens in congressu lancearum, & ictibus ensium, & multam de persona sua die illa strenuitatem efficiens. Concurrerunt Dominus Paduæ, & ceteri ad hostium ipsorum repulsam, qui hostes tamdem prœlio devicti terga dederunt. Habuit Dominus Marchio hos captivos, videlicet, Bonifacium de Valle, Sartorium de Sabaudia, Petrelinum, Guidonem de Vasconia, Uliverium de Parma, Agutium de Verona. Ea verò die, qua factus fuit ingressus intra Veronam, ut supra, illico post ipsum ingressum in signum & monimentum strenuitatis, sicut in talibus est solitum, facti fuerunt Milites infrascripti, videlicet. Illustris Dominus Marchio, Jacobus de Carraria natus Domini Paduæ, Brunorius de la Scala, Antonius de la Scala ejus Frater, Philippus de Pisis, Albertus de la Sale Ferrariensis, Nannes de Strociis de Florentia, Michaël de Medicis de Florentia, Paulus de Leone Paduanus.

Obtentâ & subactâ per Dominum Paduanum sub nomine Domini Guielmi de la Scala illa parte Veronæ, quæ est ad latus Campi Martii, & quæ ab altera dividitur per Athesis alveum, excepto Castronovo, Dominus Ugolotus reliquam tenebat partem ad latus Plateæ & Palatiorum, & levatis pontibus se cum præsidiis tutabatur in illa. Quare per Dominum Paduæ, Dominum Marchionem, & Dominum Guielmum decretum fuit partem illam ultra Athesim, per expugnationem Pontis navium, & per navalem fluvii transitum, impetendam. Idcirco dispositis omnibus facta fuit pontis durissima oppugnatio, pariter & transitus cum navibus ad ripam. Tamdemque capto ponte transiverunt ad plateam, & Palatia, nullam habentes illic noxiam resistentiam; nam Dominus Ugolotus cum Armigeris in Cittadellam aufugerat, in quam ante, etiam & tunc, confugerant multi Cives; & erat ea Cittadella fortissima, & munita valde. Tunc calatis pontibus Athesis, fuit totus advectus exercitus ad plateam sine ulla Civium læsione, factaque discursio per Civitatem ad statum & nomen Domini Guielmi, conclamantibus omnibus nomen & felicitatem domus de la Scala. Deinde posita re in tuto, evocati fuerunt Cives benigniter ad concilium, factæque fuerunt expedientes conciones circa materiam. Et Dominus Guielmus pleno & alacri consensu omnium fuit constitutus & vocatus in Dominum Civitatis & Populi. Fueruntque facti tunc aliqui Milites ex hominibus, & Civibus Veronensibus. Verùm Cittadella, in quam introiverat Dominus Ugolotus, & Arces, videlicet Castrum-vetus, & Castrum-novum, tunc non accesserunt in obedientiam Domini Guielmi, sed in rebellione manebant, se tenentes juxta pristinum pro Domino Duce Mediolani. In hac rerum felicitate, & fallaci applausu fortunæ, quæ res secundas occulto felle contaminans, eas diu-

diuturnas esse non patitur, Dominus Guielmus de la Scala recentissimus Veronæ Dominus, & cum eo existens Dominus Karolus de Vicecomitibus, noctis tempore morte subitanea obierunt. De quorum interitu quòd veneficio actus esset, fuit communis omnium suspicio contra Dominum Paduanum: quod quidem per subsecuta deinde pleniorem credulitatis fidem admisit. Extincto Domino Guielmo, ut proximè dictum est, Dominus Brunorius, & Dominus Antonius de la Scala ejus filii unanimi concordia & assensu Populi Veronensis fuerunt in dominio surrogati. Quum Cittadella, in qua se tenebat Dominus Ugolotus, & Arces, sive Castra vetus, & novum, sicut præmissum est, rebelles essent, & se dedere recusarent, Dominus Paduæ, Dominus Marchio, & Dominus Brunorius, & Antonius de la Scala novissimi Domini Veronæ, obsidionem instituerunt Cittadellæ; & principio fecerunt præcidi aditus & vias, ita ut nullus ingressus vel exitus in Domini Ugoloti & intrinsecorum potestate consisteret. Sed propterea nulla de deditione mentio tradebatur, cùm eadem Cittadella victualibus opulentissima foret, & suo robore bene munita. Ex quo post factam aliquot dierum ejusmodi obsidionem, decretum fuit per Dominos præfatos illam esse bellaciter expugnandum, & magno studio parata fuerunt altissima oppugnacula de lignamine, aliæque machinæ, & robustissima artificia, paratique bellatores in potenti ostentatu. Jamque accingebatur ad prœlium, & expugnationem tentandam. Quod concipiens Dominus Ugolotus, expavefactus, & de defensione ignaviter diffidens, decrevit certamini illi non se committere, & Cittadellam dedidit cum pactione salutis personarum & rerum, suique salviconductus liberè abeundi cum rebus: qua facta deditione, & occupata ipsa Cittadella Dominus Paduæ eam propriis munivit præsidiis. Et Dominus Ugolotus cum maxima supellettile licentiatus abiit in Lombardiam. Eodemque die Castrum-vetus, & postera die Castrum-novum simili pactione se dediderunt: quæ idem Dominus Paduæ etiam suis præsidiis communivit. Post hæc Dominus Paduæ avidus ad occupationem dominii Vicentiæ, ad quod diu ante animum intenderat, Civitati ipsi bastitis objectis, egit, quòd Dominus Franciscus Tertius ejus filius, qui Paduæ remanserat, se cum certo exercitu transtulit ad obsidionem Vicentiæ, ipseque Dominus Paduæ strenuum militem Dominum Philippum de Pisis cum armigera multa gente ex ea, quæ Veronæ erat, & delectas cohortes provisionatorum suorum pedestrium ad eumdem filium suum à Verona transmisit. Qui Vicentiam gravissima obsidione premebat, obsidebat, & insuper Oppidum Coloniæ in Diœcesi Vicentina, sed solitum esse sub dominio Veronensi. Cujus Oppidi jam expugnatis extremis partibus, Fortilitium infesta molestatione pulsabat.

Erat tunc Venetiis penes Ducale Dominium Miles Magnificus & strenuus ac notabilis providentiæ Dominus Jacobus de Verme, Consiliarius principalis & Ambasciator Dominæ Ducissæ, & Domini Ducis Mediolani, & omni quo poterat ingenio atque arte insistebat Dominium ipsum inducere in favorem Domini Ducis Mediolani, & incendere ad odium contra Dominum Paduanum, suggerens inter cetera, quantum erat eidem Dominio habenda suspecta tanta grandificatio Status Domini Paduæ, non supportatura vicinos, & circa talem suadelam adhibebat solicitudinem incessantem. Erat & ipse non mediocriter læsus, quoniam ex novo dominatu Veronæ ablata erant ei studio Paduæ Domini omnia bona sua in Civitate & Comitatu Veronæ posita, quæ quidem multa erant. Suggessit insuper, & institit, ut Vicentiam obsessam Veneti occuparent, sed ante omnia repente succurrerent Coloniæ, quæ ad extremas deditionis oppressiones pæne arctabatur, ut exinde fieret habilior possibilitas interrumpendi conatus Domini Paduæ. Ducale Dominium verò, sicut omnia digerit circumspectè atque maturè, hæc in his consiliis opportunè discussit, & deliberatione sequuta, quòd esset Fortilitium Coloniæ occupandum, & suis præsidiis muniendum, nonnullas balistariorum, & aliorum hominum majori ex parte Venetorum, cohortes præsto contraxit, adhibitoque ordine per Dominum Jacobum de Verme, ut in Fortilitium Coloniæ admitterentur, eas ad præsidia ipsius Fortilitii celeri profectione mittebat. Cùm autem gens ipsa proficiscens, jam proxima loco fieret per itinera sibi visa cautiora ultra Vicentiam, Dominus Franciscus Tertius de Carraria, explorato illius accessu, cum Domino Philippo de Pisis, & Armigeris, atque Provisionatis suis factus obvius, eam impetiit, & severissima functus crudelitate gentem ipsam cruento interitu cædi fecit; neque enim proficiebat ulli se velle dedere, sicut mos bellorum est, pro vitæ salute. Quin immo quod primum nomen Venetum audiebat, omnes sæviens inhumanius trucidabat. Sanè hæc tam fera crudelitas pestiferos & exitiales fructus eduxit Domino Paduano; nam ex ea pullularunt semina odiorum Ducalis Dominii, & universaliter omnium Venetorum adversùs ipsum, propter quæ exortum fuit bellum calamitosæ ruinæ ipsius Domini, de quo infra suo loco dicetur. Et exinde secutum fuit, quòd Veneti paulò post acceperunt Vicentiam, secundùm quod de ipsius acceptionis, serie, & aliis subsecutis infra narrabitur in processu. Compositis in Verona rebus, & novissimè occupata per Venetos Civitate Vicentiæ, de cujus occupatione infra in processu dicendum erit, Magnificus Dominus Paduæ gravi dolore ex novo illo Vicentiæ turbatus, statuit Veronam indilatè dimittere, & domestica facta repetere. Quare die . . . . mensis Maii ipse cum Domino Jacobo de Carraria ejus filio, & Illustris Dominus Marchio, acceptâ à Domino Brunorio, & fratre suo, gratâ licentiâ, cum eorum gentibus de Verona recesserunt, dimisso per Dominum Paduæ, & ad ejus petitionem in Cittadella Domino Philippo de Pisis revocato ob eam causam ab obsidione Vicentiæ & Coloniæ cum paucis, & munitis similiter Castris novo & veteri suis præsidiis. Et venientibus eis, Dominus Paduæ cum Domino Jacobo ejus filio, & cum gente sua se uniens cum Domino Francisco Tertio obsidente Coloniam, Oppidum ipsum, sive ipsius Fortilitium prœlio expugnavit, & tenuit. Dominus Marchio verò recto itinere Paduam adventavit, & dimissis

missis

missis ibi equis perrexit Venetias ad Ducale Dominium, gratiâ intercessus & conciliationis adhibendæ inter illud, & Dominum Paduæ, cùm jam constaret de indiciis odiosis. Sed nil profecit in re, quia jam erat inexorabile ipsum Dominium. Deinde Paduam remeavit ad referendum Domino, qui interea illuc advenerat. Deinde repatriavit Ferrariam. Dominus Jacobus de Carraria verò cum gente sua Veronam rediit, ibi manens, & se recipiens in Castro Vetere pro habitaculo suo. At Dominus Franciscus Tertius Vicentiam continuè obsidebat. De processu obsidionis Vicentiæ jam habitæ per Venetos, & de reliquis, quæ circa historiam intervenerunt, hìc prætermittitur successivè tractari propter aliqua incidentia, quæ ad feriem temporis adhibendam ulterius in anno isto differri non patiuntur: quibus positis fiet regressus ad continuationem Historiæ.

Dominantibus Veronæ Magnificis Dominis Dominis Brunorio & Antonio fratribus, filiis & successoribus Domini Guielmi de la Scala, sicut in superioribus scriptum est, sinè ulla controversia, & cum Civium assensione concordi, Dominus Jacobus de Carraria filius Domini Paduæ, habitans in Castro Veteri, quod unà cum Cittadella & Castro Novo erat in manibus Domini Paduæ, in die Pentecostes ipsos Dominos Brunorium & Antonium adductos secum in Castrum ad convivandum in cœnis detinuit, & captivavit, objiciens eis crimen, quòd tractarent ponere Civitatem & Dominium Veronæ in manibus Venetorum. Et ea nocte ipsos vinctos per navim misit Leniacum, qui deinde per missos à Domino Paduæ accepti fuere, & conducti ad Montemsilicem, & ibi Rochæ carceribus intrusi. Eadem quoque nocte idem Dominus Jacobus plateam & Palatium Veronæ munivit multis turmis provisionatorum pedestrium. Et mane facto sequenti die ipse personaliter armatus cum multo agmine armigerorum equestrium processit ad Palatium, & Plateam; deinde equo descendens, facta multorum civium evocatione, exposuit rem & causam illius detentionis, justificans illam per multas infrascriptas rationes, & detestans facinus detentorum, atque veritatem criminis affirmans per ostensionem unius literæ, quam se circa materiam recepisse asseverabat à patre. Quod quidem crimen in hominum credulitatem minimè cadere potuit, sed id potius fuisse confictum creditum fuit. Interea idem Dominus Jacobus de Carraria Civitatis Regimen & custodiam sub exquisitissima diligentia conservabat. Post aliquot verò dies Dominus Paduæ cum certo equitatu, ducens secum Illustrem Consortem suam Dominam Tadæam de Domo Estensi, Veronam se transtulit, & in Cittadellam descendit. Postmodum verò ad Palatium profectus in copioso armatorum comitatu, primos & notabiliores Cives ad concionem vocari jussit, quibus sub magnæ condolentiæ ostentatu crimen & detentionem Domini Brunorii, & Domini Antonii captorum, explicuit, execrans & detestans illius facinoris qualitatem, quod videlicet post tantam affectionem & beneficentiam, quibus Populus ille erga eos usus fuerat, se eorum dominio subjiciendo, postque tantos labores, impensas, ac difficultates, & pericula, quibus ipsemet Dominus ad introducendum illos in domum suam, pro quiete & salute Patriæ se commiserat, ipsi eam perfidiam & ingratitudinem exercere non abhorruissent &c. Denique subintulit, & conclusit, suadendo pariter, & hortando, ut ipse ab eisdem Civibus & Populo admitteretur in Dominum, pollicitus multa ad frugem & bonum Regimen Civitatis: ad quod mox annuentibus Civibus ipse in Dominum assumptus & vocatus liberum dominium accepit. Et eâ horâ quosdam ex Nobilibus Veronensibus decore Militiæ insignivit. Dominus Paduæ, & nunc etiam Veronæ præfatus, capto ut supra Veronæ dominio, ad componendas illic res per aliquot dies continuam fecit residentiam unà cum Illustri Consorte sua Domina Thadæa Estensi, usus erga Cives multa familiaritate & clementia: Simili modo Domina Thadæa cum Dominabus Veronensibus cum ingenti placibilitate multam contraxit amicitiam. Insuper cùm esset Veronæ bladorum carentia, & idem Dominus Paduam exhauriens bladis ultra quam mille curruum sarcinam inter frumentum & milium fecit Veronam à Padua deportari. Decrevit præterea cum assensu Civium ad id placidè inductorum Regimen & Dominium Civitatis ponere in manibus Domini Jacobi de Carraria ejus filii adolescentis claræ indolis, atque magnanimi. Item ad Civium complacentiam annuit Cittadellam imposterum esse delendam. Multa quoque alia ex ordine Civibus grata disposuit. Quibus actis, dimisso illic in dominio Domino Jacobo ejus filio cum circumspectis Consiliariis, die X. Junii abscedens Paduam remeavit, & cum eo Domina Thadæa, ducens secum chorum optimum Veronensium mulierum gratiâ festivitatis agendæ, cùm esset proxima celebritas diei Sancti Antonii Confessoris, quæ permaxima fit Paduæ die XIII. Junii annuatim ex more.

Eodem Anno MCCCCIV. die XXVI. Martii. Bertholacius quondam Ghidini de Pizabechariis de Mutina, habitator & Civis magnus ac opulentus Civitatis Ferrariæ, & Præpositus Factoriæ Domini Marchionis, & Bithinus de Platesiis apprehensi propter crimen læsæ Majestatis, cùm tractassent interitum Magnifici Viri Ugutionis de Contrariis, qui Domini Marchionis Statum gubernabat, decapitati fuerunt, videlicet Bertholacius super platea Ferrariæ quasi ad extremum versùs banchas Calegariorum, trasinatus usque illuc à Palatio Communis, & Bithinus in Castro Ferrariæ. Anno prædicto de mense . . . . . . Magnificus Dominus Dominus Pandulfus de Malatestis habuit dominium Civitatis Brixiæ, quæ erat Domini Ducis Mediolani, olim famosæ & opulentissimæ Urbis, tunc verò in multam desolationem redactæ propter discordias civiles & populares tumultus inter Ghibellinos & Guelfos. Quod dominium Domina Ducissa Mater Ducis eidem Domino Pandulfo tradidit in satisfactionem suorum stipendiorum, quæ meruerat militando ad servitia superioris, & moderni deinde Ducum Mediolani. Eodem Anno Terra Hostiliæ Comitatus Veronæ, quæ erat Domini Ducis Mediolani, de mense Maji, jam amissâ Veronâ, vènit in potestatem & dominium Magnifici Domini Domini Francisci de Gonzaga Domini Mantuani. Die VIII. mensis Martii Nobilis vir

vir Petrus de Rubeis, & Dominus Ottobonus de Tertiis de Parma Guelfi per dolum occupaverunt Civitatem Parmæ, quæ erat Domini Ducis Mediolani eorum Domini, & ipsius Civitatis dominium in se pariter acceperunt. Sed cùm Regna socium ferre non sciant, illa societas diuturna non fuit; parvo enim temporis interjectu Dominus Ottobonus Petrum exclusit, & totum sibi dominium usurpavit: quod quidem Civibus, & maximè Guelfis illis, qui erant de parte Rubeorum, quæ plurima erat, summè displicuit. Quum Dominus Ottobonus de Tertiis, usurpato Parmæ dominio, se tamquam sævissimum Tyrannum in dominio ipso gereret, & amicos omnes Nobilium de Rubeis haberet odiosos atque suspectos, accidit die XVI. mensis Julii, Diabolo operante, quòd quidam ejus familiaris fuit ab aliquibus ex illis, qui erant de parte Rubeorum, accidentaliter interfectus: quo comperto Tyrannus ipse omnem superans Syllæ, & Neronis crudelitatem, in iracundiam & furorem accensus, cum aliquibus satellitibus suis in cædem irruit quorumlibet repertorum ex amicis Rubeorum, nulli parcens indifferenter notabili, aut plebejo, mari, aut fœminæ, puero, infanti, adolescenti, adulto, aut seni; nec ante ferrum continuit à nefandissima strage, quam manibus ejus & satellitum illorum trecenta quatuordecim corpora humana & civilia caderent trucidata. Deinde sævitiei suæ non modicum superaddens, quotquot deferre potuerunt viginti duo currus, cadavera occisorum misit ad confinia Rubeorum ad locum Albaræ, quæ corpora illic dejecta ac dimissa in campestri loco insepulta fuerunt: horrendissimum quippe facinus in omnes, sed permaximè in Cives suos, atque Compatriotas, & Cœlesti fulmine expiandum. Die XVI. Martii Nobiles de Scottis de Placentia abstulerunt Domino Duci Mediolani Civitatem Placentiæ exceptis fortilitiis. Postea Dominus Ottobonus Tertius, qui dominabatur Parmæ, illuc cum gente sua equitavit, & pulsis Scottis Civitatem ipsam præter fortilitia occupavit. Eodem Anno Georgius de Benzonibus occupavit dominium Cremæ. Ipso eodem Anno Johannes de Vignate occupavit dominium Laudæ. Dominus Johannes Pizolus Nobilis de Pergamo occupavit Pergamum. Postea verò in processu temporis Nobiles de Soardis, & de Coglionibus abstulerunt: quæ Terræ erant Domini Ducis Mediolani.

Eodem Anno MCCCCIIII. de mense Aprilis. Dum Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. esset penes Magnificum & potentem Dominum Dominum Franciscum de Carraria Dominum Paduæ Socerum suum ad illius subsidia in profectione Veronæ, Magnificus Vir Ugutio de Contrariis, qui pro ipso Domino Marchione Statum in Ferraria gubernabat, tractatum habuit, mediantibus Domino Nicolao de Robertis de Tripoli, qui nunc erat in Castello suo Sancti Martini Comitatus Regii, & Gerardo de Bojardis, qui erat in Terra sua Irberiæ, cum quampluribus Civibus Civitatis Regii, de subjiciendo Civitatem ipsam dominio Domini Marchionis, sub quod Cives ipsi libentissimè veniebant. Composito itaque tractatu ipso, Ugutio quemcumque potuit fecit apparatum equestrium & pedestrium armatorum in Civitate Ferrariæ, adhibitis quampluribus Nobilibus & Civibus, inter quos fuerunt Bonifacius de Ariostis, Aldrovandinus, & Bartholomæus de Joculis, Paulus de Costabilis, & alii. Nam erat eo tempore Ferraria non multum munita equis propter absentiam Domini Marchionis; & Mutinam equitavit, abiens de Ferraria die XX. mensis Aprilis. Ibi scilicet Mutinæ adauxit exercitum tam equitibus, quàm peditibus, etiam per accessionem Nobilium Virorum Jacopini de Rangonibus, & Alberti de Savignano, cum amicis & hominibus suis. Die verò XXIIII. Aprilis recedens de Mutina cum exercitu versùs Regium equitavit, & adjunctis sibi Domino Nicolao de Robertis, & Gerardo de Bojardis cum suis Brigatis equestrium & pedestrium, apud Regium castra firmavit secundùm deliberatum. Tunc ad eumdem Ugutionem, & in ejus auxilium convenerunt aliqui Castellani Regini, videlicet Dominus Karolus, & Jacobus de Foliano, Gerardus, & Galeacius de Corrigia, Johannes de Manfredis, & . . . . de Canossa. Fuitque exercitus idem tunc ad numerum DCCC. equestrium, & duorum millium pedestrium, & mansit in obsidione, & castrametatione illa usque per diem ultimum Aprilis, interim per intrinsecos tractata deditione. Die autem primo Maji patefactâ januâ Civitatis, Ugutio cum exercitu in magna celebritate in eam fuit introductus, & pro Domino Marchione, plaudente Populo, illam & ejus dominium obtinuit, præter Rocham, sive Castrum, in quo erat Capitaneus unus cum præsidiis pro Domino Duce Mediolani. In diebus sequentibus cùm Capitaneus ipsius Castri requisitus de deditione, prorsus abnueret, sed hostilitatem cum bombardis & balistris inferret: Ugutio de obsidione decrevit, & ne possent alii succursus in Castrum ipsum intrare, adhibita multitudine vastatorum fecit ad extra foveas, & alia obstacula circumduci, continuans, & perseverans in ejusmodi obsidione per dies aliquot. Interea Illustris Dominus Marchio, expeditis negotiis Veronensibus Ferrariam rediit, & paucis exactis in Ferraria diebus, cum optima equestrium comitiva Regium accessit ad Ugutionem, ubi à Civibus cum ingenti alacritate visus fuit, atque receptus. Tunc ad obsidionem Castri solertior opera data fuit; sed Capitaneus nullis erat flexibilis minis aut precibus, more pristino adversando: quare constituerunt finaliter Dominus Marchio & Ugutio, experiri, ut illud manuali prœlio expugnarent, licèt antea multis bombardarum concussionibus ipsum pulsari fecissent. Et jam omnia parabant ad prœlium, murosque scandendum, & confringendum opportuna, immissæque erant in foveas nonnullæ naviculæ; sed dum ejusmodi præparatio solicitè ordinatur, certa intervenit occasio Domino Marchioni, & Ugutioni suggesta, propter quam urgentibus admodum respectibus eis visum fuit omnino necessarium facta illa dimittere, atque inde quantocius se abdicare. Quapropter cum tota gente sua recedentes Mutinam, & deinde Ferrariam reprofecti sunt, destituta in manibus mœstorum Civium Regii Civitate, quam quidem post-

postmodum Dominus Ottobonus Tertius Parmæ Tyrannus occupavit & obtinuit, cum Castro pariter, & omni ipsius Civitatis & Castri dominio. Die XXV. Julii. Decessit Isota infantula ætatis XIII. mensium filia naturalis Illustris Domini Marchionis, & corpusculum ejus penes Minores de Ferraria reconditum fuit. Die XV. mensis Augusti. Cùm Domina Ducissa Mediolani facta esset rebellis filio suo Domino Johanni Mariæ Duci Mediolani, seque reduxisset in Montiam, idem Dominus Dux Mediolani secretè misit Dominum Franciscum de Vicecomitibus cum certa armatorum comitiva, qui nocturno tempore favore cujusdam Civis Montiensis introductus, eamdem Dominam Ducissam incautam captivavit, & Mediolanum conduxit. Quam Dominus Dux fecit carceri commendari intra Castrum Mediolani, ubi per temporis modici lapsum terminum vitæ complevit. In captivatione illa fuit pæne interceptus etiam Magnificus Dominus Pandulfus de Malatestis, quem tunc contigit esse in Montia cum Domina Ducissa; sed beneficio unius molendinarii cum navicula expositus fuit, & solus fugitivusque se recepit in Trecium.

Eodem Anno MCCCCIIII. die VI. mensis Octobris, Sanctissimus Dominus Noster Dominus Bonifacius Papa Nonus obiit in Christo in Urbe Romana. Et die XVII. creatus fuit Successor ejus Sanctissimus Dominus Noster Dominus Innocentius Papa Septimus, qui pridem erat Cardinalis tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, & erat nomen ejus Dominus Cosmatus deElelioratis de Sulmone. In creatione quidem prælibati novi Pontificis, & etiam ante, Romanus Populus in armis tumultuavit, petens & clamans restitutionem pristinæ libertatis, ne videlicet Pontifex ipse temporale Dominium Urbis sibi adjiceret, quod nuper defunctus Prædecessor suus habuerat. Conveneruntque in Urbem ob eam causam multi Barones, & Principes Romanorum, cum ingentibus copiis gentis, & præcipuè pedestris, alii pro Ecclesia, alii pro Romano Populo contendentes, adeòque excitato bello complures perierunt. Demum autem advenit Serenissimus Princeps Dominus Ladislaus Rex Apuliæ cum copioso armatorum equestrium & pedestrium comitatu ad favorem Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ, ut concordiam interponeret, & tamdem Domino Papa functo benignâ clementiâ Respublica restituta fuit, & cessaverunt furores, pacatis animis per adjectionem certarum conditionum utrique parti aptarum, & fuit omne dissidium tranquillatum. Die XX. mensis Octobris Illustrissimus Princeps Dominus Ladislaus Rex Apuliæ Arcem Romanam, videlicet Castrum Sancti Angeli occupavit, illudque suis præsidiis munivit. De mense Novembris die XXIIII. Illustris Domina Domina Thadæa Estensis Consors Magnifici & potentis Domini Domini Francisci de Carraria Domini Paduæ decessit in Padua. Die VIII. Decembris Dominus Henricus de Guigliarinis de Lugo habitator Ferrariæ Legum Doctor condemnatus fuit ad supplicium capitale pro crimine seditionis, & eadem die decollatus in prato bestiarum, & bona ipsius publicata. Circa exitum mensis Martii, & per aliquot dies sequentis mensis Aprilis fuit in Ferraria, & Comitatu, atque communiter in omnibus Italiæ partibus maxima vexatio hominum ex passione algoris, sive frigoris, cum accessione gravissimarum febrium, quæ tamen breves erant, per quinque aut sex dies tantummodo perdurantes. De mense Decembris Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. dimisit, & consignari fecit Domino Legato Bononiæ Terram Crepalchorii Comitatus Bononiæ, cujus ipse Dominus Marchio erat Dominus & possessor. Et hoc fecit ad preces & assiduam instantiam ejusdem Domini Legati, qui in conventionibus multa promisit se facturum ad favorem Domini Marchionis & Status ejus per publica documenta, ac se daturum operam circa faciendam Domino Marchioni restitutionem Nonantulæ, & Bazani, & tamen nihil horum effecit. Die XIII. Decembris Magnificus Dominus Ugolinus de Cavalcabobus Dominus Cremonæ vadens à Cremona in Territorium Brixiæ ad colloquium cum Domino Pandulfo de Malatestis, insultatus, & captus fuit juxta Manerbium per Dominum Astorgium de Vicecomitibus cum gente sua tempore noctis, & ductus ad Terram Quinzani, & ibidem carceratus: propter quod Karolus de Cavalcabobus ejus Nepos Cremonæ dominium die XVIII. ejusdem mensis accepit. Die XIII. mensis Septembris. Cùm Magnificus Conestabilis, videlicet Magnificus Miles Dominus Albericus de Barbiano Comes Cunii post expeditionem belli Bononiensis, in quo militaverat ad stipendia Ecclesiæ, & Florentinorum, eratque factus potentior solito per acquisitionem Castri Bononiensis, & aliorum certorum Oppidorum, instaurasset bellum contra hostem suum Astorgium de Manfredis Dominum Faventiæ, non diminuens odium pristinum, & per continuam belli & oppressionis guerræ perseverantiam eum ad extremam suæ protectionis desperationem coëgisset, exhaustum viribus, pecuniaque pariter, & amicis: Astorgius ipse Civitatem Faventiæ cum Districtu suo lachrymanter eam dimittens, ne in manus hostis sui veniret, posuit in manibus Domini Legati Bononiæ ad certum tempus futurum, ipseque Ariminum abiit cum nato suo Johanne Galeaz ad affinem suum Karolum de Malatestis Dominum Ariminensem. Fortilitium tamen Castri Faventiæ cum certis aliis fortilitiis Castrorum Comitatus ex certo fœdere positum fuit in custodia dicti Karoli.

Anno prædicto MCCCCIIII. de mense Octobris Dominus Ottobonus de Tertiis Tyrannus Parmæ, cum quo Illustris Dominus Marchio nullam habebat inimicitiam, nihilque de ejus hostilitate dubitabat, cum multa gente armigera, quam Parmæ habebat, nullâ inductus justâ causâ, sed perfidiâ propriâ, invasit Territorium Mutinense, & totam discurrens planitiem, rapiendo, prædando, inæstimabilem quantitatem Boum & bestiarum Bovinarum, aliorumque Animalium grossorum & minutorum, maximam quoque rerum mobilium Comitatinorum summam, & quicquid exportabile repertum fuit extra fortilitia Comitatus, Parmam, & Regium abduxit, ad ultimam ferè consumptionem Comitatinorum, qui sinè suspicione putabant se

se tutos, nec non Civium Mutinensium habentium in Villis & Comitatu bestias, & recollectus eorum. Fuit autem tantæ importantiæ præda illa, quòd ejus extimatio communi opinione transcendit summam Ducatorum centum millium damnis cum interesse pensatis. Anno prædicto MCCCCIIII. de mense Maji circa principium. Incœperunt pestifera dissidia inter Ducale Dominium Venetorum, Communitatemque Venetiarum parte una, & Magnificum Dominum Dominum Franciscum de Carraria Dominum Paduæ & Veronæ parte altera, ex quibus quidem dissidiis genita fuit guerra sævissima. Nam cùm, sicut ante in præcedentibus hujus Anni Capitulis expositum est, Dominus Paduæ, Veronæ dominio occupato, faceret obsideri Vicentiam & Coloniam per Dominum Franciscum Tertium filium suum: quod Veneti satìs ægrè ferebant, tum propter ipsius dominii spretas preces, & visam importunitatem ejusdem Domini, & tum quòd tanta ejus amplificatio eis videbatur habenda suspecta; fecissetque idem Dominus Franciscus Tertius homines Venetos, qui mittebantur ad præsidia Coloniæ tam crudeliter & inhumaniter trucidari: quod sævitiei detestabile opus non solùm Ducalis Dominii, verùm etiam universi Populi Venetiarum diro fremitu & implacabili odio animos concitavit contra Dominum Paduanum: ipsi Veneti non mediocriter indignati cœperunt in suis Consiliis multa super eadem materia agitare. Tunc autem Dominus Jacobus de Verme Consiliarius & Orator Dominæ Ducissæ, & Domini Ducis Mediolani, existens Venetiis, sicut ante etiam per dies multos manserat in Legatione penes Ducale Dominium, habens à Domina Ducissa, & à Domino Duce Mediolani plenam potestatem atque licentiam, obtulit Ducali Dominio Civitatem Vicentiæ, hortans, & instans, ut eam occupare vellet, priusquam Dominus Paduæ ipsam auferret, aut ad deditionem arctaret. Ad quod annuens Ducale Dominium, repente paravit præsidia mittenda ad ejusmodi occupationem perficiendam, & præmisso per Dominum Jacobum ordine introductionis habendæ, Vir egregius Dominus Jacobus Suriano Civis Venetiarum notabilis cum eisdem præsidiis in sufficienti quantitate, & cautissimo modo, mandato Ducalis Dominii profectus Vicentiam, & introductus in eam die . . . . . mensis Maji, illam pro Ducali Dominio, & Communi Venetiarum sinè impedimento ullo liberè obtinuit, & integrum dominium accepit ejusdem.

Dominus Jacobus Suriano ingressus Vicentiam pro Ducali Dominio, & Communi Venetiarum, sicut supra proximè dictum est, per Tubicinem unum admonuit Dominum Franciscum Tertium de Carraria tenentem castra secus Vicentiam per duo milliaria vel circa, ubi validissimam bastitam habebat, quod ab obsidione discederet, quoniam Vicentiæ Civitas non amplius Domini Ducis Mediolani, sed Communis Venetiarum erat, sciturus, se amodo non offensurum Dominum Ducem Mediolani, sed Ducale Dominium, & Commune Venetiarum, si talibus vacaret molestiis. Hunc tubicinem functum officio suo, & regredientem, dictus Dominus Franciscus post missis satellitibus fecit in itinere trucidari. Dominus Jacobus Suriano miratus quòd is tubicen non redibat, alterum cum eadem commissione transmisit, ut responsum acciperet, quem Dominus Franciscus redeuntem fecit in itinere similiter trucidari: quod scelus à Domino Jacobo Suriano compertum, Ducali Dominio significatum extitit, neque parum addidit incrementi pristino indignationis exordio. Verùm Dominus Paduæ nuntiata sibi per filium admonitione illa, quam Dominus Jacobus Suriano per tubicines ei transmiserat, animadvertens omnem spei suæ viam amodo interruptam, & se deinceps talibus insistendo omnem operam inutiliter amissurum, nequeuntem nisi cum jactura propria tanto stimulo calcitrare, obsidionem Vicentiæ, & bastitas suas jussit auferri. Non propterea destitit à detentione Coloniæ, quasi id sibi suo jure liceret, cùm esset locus ille in districtu Veronæ solitus computari: quod quidem Veneti molestissimum acceperunt. Interea universo Populo Venetiarum propter susceptas injurias contra Dominum Paduanum graviter infremente, Ducale Dominium per multorum consiliorum suorum digestiones negotio agitato ad ultimum conclusit, atque decrevit, irrevocabiliterque constituit inferre Domino Paduano bellum usque ad omnem supremam possibilitatem Communis Venetiarum, & extremum exterminium Domini Paduani, & de contrahendis ad eorum stipendia gentibus undecumque equestribus & pedestribus; Caporalibusque, & Ducibus, in quantocumque posset numero; duos quoque confici exercitus, alterum scilicet contra Paduam, & alterum contra Veronam Ducale ipsum Dominium constituit. Decrevit insuper dandam esse operam ad alliciendum in partes & colligationem suos vicinos, & finitimos Dominos, specialiterque Illustrem Dominum Marchionem, & Magnificum Dominum Mantuanum. Alios quoque Dominos, & Principes, ac Communitates tum in Italia, tum extra, inducendum ad indifferentiam, si non aliter quivissent, Domino Paduano in nihilo propitiaturi. Hæc tamen sic sancita in consiliis suis Ducale Dominium non publica faciebat, sed sub palliatione servabat, nulla depromens in aperto suæ intentionis vestigia sive signa. Verùm cùm sint Dominis & Principibus ad explorandum secreta præsentium & convicinorum multi aditus, Dominus Paduæ illa omnia sentiebat, & propterea multis animi angoribus torquebatur, animadvertens magnitudinem sarcinæ quæ super eum casura erat. Idcirco frustratis primò conatibus instantiæ suæ, quos plurimos expertus fuit penes Ducale Dominium Venetorum, ut placaret illud, admovit Dominos Florentinos, ac Dominum Legatum Bononiæ, & Dominum Marchionem, ut se ad pacationem ipsius Ducalis Dominii interponerent. Quo per Oratores, & vehementes preces tentato, nihil fructus reportatum est, Ducali Dominio talem intercessionem penitus aspernante, & multa objiciente de receptis injuriis, & de causis, quibus lacessitum se dicebat à Domino Paduano ad odia pariter atque bella, & quibus causam suam justificare nitebatur. His taliter frustra tentatis, Dominus Paduæ necesse habuit sublata amodo spe concordiæ de bello co-

cogitare. Idcirco ad parandas gentes stipendio, & subditos suos, locaque & passus muniendum, incessabilem operam dabat. Sed thesauro erat exhaustus propter vehementes sumptus, quos effuderat in profectionibus Brixiæ, atque Veronæ, necnon in obsidione Vicentiæ; eratque in Civitatibus suis caritudo Bladorum. Itaque afficiebatur defectu illarum duarum rerum, quibus belligerare debentes principaliter opus habent, victualibus scilicet, atque pecuniis: quod utique à Venetis inter ceteras sibi commodas occasiones optimè notandum extiterat. Sperabat attamen, se non adeò deserendum, ne aliquos adjutores succursus impetraret, & præsertim à Florentinis, & Januensibus, ac Domino Rege Apuliæ, tamquam non passuris ad ultimum ruinam ipsius. Sed spes ejusmodi evasit ad nihilum. Nec quidem de Fratre suo Domino Comite de Carraria, qui eo tempore ad stipendia Regis Apuliæ militabat, erat habenda mentio, quoniam ex certa causa vigebat inter eos simultas odii capitalis. Factis per Ducale Dominium Venetiarum deliberationibus antedictis, missi fuerunt illico Oratores sui ad Magnificum Dominum Mantuæ, ut eum attraherent in partes ejusdem Dominii Ducalis & Communis Venetiarum ad dispendia Domini Paduæ, & singulariter contra Veronam. Erat autem tunc inter ipsos Dominos rancor exortus pridem propter præsidia, quæ Dominus Mantuæ Veronam miserat eo tempore, quo Dominus Paduæ illam intraverat, sed necdum totam occupaverat. Cum quibus Legatis idem Dominus Mantuæ composuit, & firmatis fœderibus sub ingentibus ejus emolumentis ipse se Venetis colligavit ad bellum & exterminium contra Dominum Paduanum, militaturus specificè contra Veronam. Eodem tempore Legati Venetorum, qui fuerunt Dominus Benedictus Superantio, & Dominus Johannes Barbo, viri utique notabiles, ac Nobiles, & magnæ reputationis in Republica Civitatis Venetiarum, venerunt ad Dominum Marchionem, & sub ingenti Orationis suæ gravitate, præmisso exordio de intentione Ducalis Dominii, quæ erat belligerare contra Dominum Paduæ, multisque aliis præpositis præambulis suasoriis, Dominum Marchionem pro parte Ducalis Dominii vehementissimè hortabantur, ut & ipse contra Dominum Paduanum Venetorum partes vellet amplecti, multa & amplissima stipendia, lucraque, ac præsidia, & emolumenta propterea offerentes &c. Hac exposita ambasiata Dominus Marchio responsum dedit, se cum Consilio, & Civibus suis deliberaturum, & postmodum responsurum. Quibus Legatis ad hospitium suum profectis, Dominus Marchio, delectu quamplurium Civium suorum facto, & eis ad concilium evocatis, totam seriem Orationis Legatorum exposuit, consultans, quidnam sibi respondendum videretur. Censuerunt omnes concorditer, nullo pacto veniendum esse ad tantum inhonestatis & inconvenientiæ, quòd Dominus Marchio Domino Paduano, qui Socer & Amicus ejus erat, hostilitatem inferret. Ita quoque taliter practicandum, ne etiam cum Venetis diffidia orirentur. Placuit Domino Marchioni justa responsio, & evocatis postera die Legatis responsum honestissimum eis reddidit in sententia antedicta, multa subjungens ad negotii congruentiam. Hoc habito, Legati Ducali Dominio Venetias rescripserunt, & accepto responso rursus Dominum Marchionem, & suum Consilium adeuntes, duo pro parte Ducalis Dominii proposuerunt, quorum alterum deberet eligere: an videlicet Venetis, an Domino Paduæ adhærere, suamque intentionem exprimere. Iterum Dominus Marchio, quamvis ipso primo aspectu petitio illa ineptissima videretur, tamen dixit se capturum deliberationem cum suo Consilio, atque Civibus. Et sic iterato Civibus convocatis rem totam explicuit. Qua bene librata, fuit concors deliberatio tam Domini Marchionis, & ejus Consilii, quàm Civium, quòd neutrum propositorum admitteretur in forma proposita, sed esset ea conditio penitus aspernanda honestissimis rationibus, & Dominum Marchionem responsurum, se ad electionem ejusmodi ullo arctari non velle, sed esse indifferentem, non obstante affinitate Domini Paduæ, seque intendere utriusque partis amicum, passuumque suorum liberum concessorem. Cum hac itaque responsionis acceptæ conclusione Legati ipsi non bene contenti Venetias redierunt. Item præfatum Ducale Dominium Venetiarum ad significandum hanc suam intentionem, inferendi scilicet belli Domino Paduano, & ad significandum causas cum multa ipsius Domini Paduani detestatione, atque ad præoccupandum impetrationem non conferendorum eidem Domino subsidiorum, Legatos suos diversos ad diversas partes eodem tempore misit, utpote ad Dominum Legatum Bononiæ, ad Dominos Florentinos, ad Dominum Apuliæ, ad Dominum Regem Francorum, ad Dominum Regem Hungariæ, & ad Dominos Duces Austriæ, aliosque quamplures Dominos & Castellanos.

Concipiens Dominus Paduæ, quot & quanta Veneti parabant ad ejus dispendia, Serralea sua, aliaque loca dubia solertissimè muniebat; & quia tenebant Veneti Policinum Rodigii, ipse Dominus ad Castrumbaldum, & ad Anguillariam de reparationibus faciebat intendi. Fecerat quoque ad Anguillariam unam configi bastitam, eamque muniverat. Tunc Veneti circa diem XII. mensis Junii pro custodia ejusdem Policini quasdam barcas armatas ad passum Venetii de dicto Policino, quod Venetium est ex opposito Anguillariæ mediante fluvio Athesis, qui dicitur Flumen Vetus, & quasdam alias ad passum Abbatiæ in eodem flumine transmiserunt. Erantque tunc aquæ in maximo culmine, ita ut de submersione Policini per existimatam inevitabilem scissuram aggerum esset ibidem dubitatio. Die autem XVIII. Junii Dominus Franciscus Justiniano, qui pro Ducali Dominio Capitaneus erat Rodigii, secum adducens stipendiarios, qui Rodigii morabantur, & quamplures ex subditis, se Venetium transtulit, conscendensque barcas illas, & ad alterum videlicet Anguillariæ trajiciens aggerem, supra & infra bastitam in septem locis fecit excidi: propter quod aqua tunc suo culmine potentissima per ruptas illas defluens regionem illam ad unius maris instar brevi tempore inundavit. Fuitque exinde exundationis Policinii sublata su-

suspicio, moxque factis ruptis eisdem, per quas infricta erat facultas succurrendi bastitæ de Anguillaria, præfatus Capitaneus bastitam ipsam prœlio expugnavit, & tenuit illam, suis remuniens præsidiis pro Communi Venetiarum. Hoc equidem cùm Dominus Paduanus audivit, mœstus obstupuit, concernens amodo incensum ignem suæ adustionis, tempestivius & incautius quàm cogitaret. Existimabat enim, se à Venetis non ante receptuturum quicquam apertæ & bellicæ hostilitatis, quàm sibi per diffidantiam, ut moris est, bellum indicerent. Dominus Paduæ cognito, quòd Veneti sic fregerant contra eum, & quòd erat inevitabilis belli susceptio, quòdque nondum parato exercitu Venetorum, eidem Domino, pro suarum virium facultate satis parato, detrimento erat in talibus suspensionibus temporis ingaviter remorari: per unum Tubicinem suum Ducali Dominio diffidantiam destinavit. Post factam dictam diffidantiam per Dominum Paduanum, ipse gentis suæ armigeræ equestris partem in fines Tervisinos equitare, & discursionem unam facere jussit. Cui genti facti obvii Dominus Tristanus de Sovregnano, & Henricus à Trecia Teotonicus, stipendiarii Venetorum, cum suis equestrium & pedestrium comitivis, fuerunt ab ea superati, & positi in conflictum, captis ex eis pluribus quàm trecentis equitibus, & ducentis peditibus. Jam tamdem Veneti pro exercitu suo conficiendo stipendia quantacumque potuerant solertiùs impleverant, contrahendo stipendiarios, & armatorum gentes equestres & pedestres undecumque ab exteris locis atque suis, præcipuam dando operam ad Balistrarios in magno numero conducendos, & Magnificum Dominum Malatestam de Malatestis Dominum Pensauri, probata insignem strenuitate, in suum Generalem Capitaneum conduxerant; multos quoque strenuos Caporales, videlicet Dominum Thadæum de Verme, Paulum de Savellis Romanum Nobilem, Petrum de Polenta de Ravenna, Comitem Antoniuccium de l'Aquila, Albertum de Robertis, Dominum Zonum de Senis, Dominum Tristanum de Sovregnano, Dominum Guielmum de Prata, quamplurimos quoque alios Nobiles de Tarvisinis, & Forojulianis partibus, & aliis regionibus; & erat numerus equestris gentis ad novem millia equitum, & pedestris decem millium vel circa. Ex qua tota gente, quæ dispartita erat in Territorio Tarvisino per Villas & Oppida, diætim, sicut attigerat, suum composuerunt exercitum, contra Paduam militaturum. Alterum quoque exercitum militaturum contra Veronam per Magnificum Dominum Mantuanum colligatum suum, & per Dominum Jacobum de Verme, qui in Lombardiam redierat, instrui faciebant; nec desinebant à stipendiando gentes, ut utrique exercitui copiosiùs subvenirent. Munierunt insuper Terras, ac Fortilitia, & Passus Policinii Rodigii, quod tenebant, præsidiis armigerorum & peditum, ac multis navigiis armatis. Et Dominus Marchio tamquam indifferens transitum liberum concesserat per passus suos quibuscumque gentibus, per illos transeundi opus habentibus, undecumque profectis ad partis utriusque stipendia atque servitia.

Circa exitum mensis Junii dicti Anni MCCCCIIII. Magnificus Malatesta de Malatestis de Pensauro Capitaneus & Dux Generalis exercitus Venetorum, susceptis à Ducali Dominio mandatis opportunis, profectus ad gentes, quæ in Tarvisino Territorio dispartitæ erant, & cum eo Provisores Nobiles Veneti per Dominium constituti, gentes ipsas à Locis, in quibus degebant, evocarunt apud Noalem & Castrumfrancum Oppida Tarvisina, & exercitum constituerunt, ordinatis Marescalchis & Subducibus equestrium & pedestrium juxta rei exigentiam cum optima providentia. Deinde cum exercitu ipso progressi versùs proximum Serraleum territorii Paduani juxta Stianum prima castra firmarunt in circumserentiis Noalis & Castrifranchi. Quo facto ad ingrediendum Serraleum illud in circumstantiis Stiani & Mirani conatum suum dirigere statuerunt. At Dominus Paduæ cum gente sua, cujus erat Capitaneus Dominus Philippus de Pisis, & cum Villanis suis illic proximis, percepto negotio, adventaverat, & reparaculis intendebat. Cùmque Venetorum exercitus ad transitum fossæ & Valli Serralei violenter adniteretur, & Dominus Paduæ ex parte altera vi magna resisteret, asperrima conserebantur prœlia inter partes, cadebantque multi lanceis, jaculis quoque bombardarum & frequentibus balistarum. Sed erat exterorum conditio longè infelicior, quoniam Dominus Paduæ eos in prœliis ejusmodi pluries & gravissimè cruentis repulsionibus affligebat. Mansit exercitus in locis illis, multa molitus, & in multis locis tentans introire Serraleum; sed resistentibus viriliter intrinsecis Paduanis labor totus evadebat incassum. Quare castris motis ad aliam partem alterius Serralei versùs Trisigolum militavit circa medium mensis Julii, & castrametatus est ibi inter Campum Sancti Petri, & Oriagum, circuens & insistens quotidie illud intrare tum prœliis, tum ingenio, atque dolo. Verùm gentes Domini Paduani, & Oppidani sub Domino Philippo de Pisis earum Capitaneo, qui castra tenebat intra Serraleum apud Villam Rustigæ, ad illius defensionem die ac nocte diligentiùs intendentes, hostes exteros ab ingressu coërcebant. Nec quidem sinè alterutra strage, sed graviori in exteros. In talibus igitur discriminibus bellicosis versatum est usque ad diem septimum Septembris subsecuti, irrito hactenus omni labore exercitus Venetorum, itaut animo quasi omnis excidisset spes illius ingressionis habendæ, Capitaneusque & Provisores de faciendis curas ancipites agitarent. Sed fatis volentibus, sicut varii sunt bellorum eventus, ea die, videlicet VII. Septembris, in qua erat Vigilia Festi Nativitatis Virginis Mariæ, dum custodes Serralei intrinseci negligenter se haberent, nonnulli pedites de exercitu accedentes secretè ad locum Serralei sibi visum debiliorem, ubi dicitur Trisigolo, certam trabem superjecerunt ad ripas fossæ in modum pontis circa horam XXIII. Et non sentientibus custodibus, transiverunt ipsi pedites in aliqua quantitate, feceruntque se fortes ad passum illum. Aliis peditibus continuè transeuntibus, multiplicatus est adeò numerus ingressorum brevissimâ horâ, quòd intrinseci tunc sentientes & concurren-

rentes ad locum, non habuerunt commoditatem neque potentiam eos amplius repellendi. Convenerant & ad locum eumdem alii multi de exercitu, & sero illo, ac per totam noctem transiverunt pedites in maximo numero. Sequenti verò die, refecto majori Ponte, & habilitato vado, transiverunt gentes armorum, & totus exercitus, constiteruntque illic per triduum. Postea aliò fecerunt passum, sive vadum, latissimum, & bastitam unam ad ipsius vadi tutelam construxerunt, ut in eorum potestate foret aditus atque reditus. Motis inde castris ad Pontem Brentæ, qui distat à Padua per tria milliaria, processit exercitus, & castrametatus est ibi, discurrens usque ad mœnia Civitatis apud Portam Omnium Sanctorum. Tunc fecit Dominus Paduæ, facto ingressu in Serraleum, incidi ripam Brentæ, & inundabatur certa pars Serralei, quòd exercitui multo erat incommodo. Egrediebantur & gentes ejusdem Domini aliquando contra hostes, sed obstabat nimis imparitas. Dum autem sic castrametaretur exercitus Venetorum ad Pontem Brentæ, allata est fama, etiamque de Venetiis significatum, quòd Illustris Dominus Marchio ruperat contra Venetos, & proficiscebatur in succursum Domini Paduani, ducens secum Magnum Conestabilem conductum ad servitia ipsius Domini Marchionis: ob quod decernentibus Malatesta Capitaneo & Provisionibus ad tutiorem & commodiorem locum migrare, moto inde exercitu retrocesserunt ad Pontem Vici Aggeris super Brentam, & illic sua tentoria confixerunt longè ab Urbe Paduæ per tria milliaria versùs Portam Trinitatis, & quotidianas discursiones agebant usque ad Portam eamdem. Construxeruntque in proximis Tarvisini Territorii finibus bastitam unam magnam prævalidam, ad quam deferebantur victualia, & inde ad exercitum ducebantur. Tempore illo, quo Venetorum exercitus obsidebant Serralea Domini Paduani, nondum facto transitu intra ea, ipse Dominus in tanta suæ conditionis angustia frequentibus nunciis atque scriptionibus illustrem Dominum Marchionem, & Magnificum Ugutionem de Contrariis, de afferendo sibi omni possibili succursu suppliciter requirebat tum lege affinitatis & amicitiæ inter ipsum & Dominum Marchionem Generum suum, ne periclitaret, & tum debito observationis fidei certorum fœderum ligæ inter ipsos contractæ tempore profectionis Veronæ. Concipiebant Dominus Marchio, & Ugutio, urgentem necessitatem Domini Paduæ, contemplabanturque vinculum affinitatis & amicitiæ, necnon fidem pactorum. Ex adverso animadvertebant, quantum erat discriminosum se opponere potentiæ Venetorum, atque inhonestum injuriis illos lacessere, cum quibus ejus Antecessores æternam pacem & amicitiam habuerant, & à quibus ipse Dominus Marchio in necessitatibus suis pro statu ejus defensando tot & tantas subventiones acceperat. Idcirco non videbatur facile, sed arduum admodum in tanta controversia deliberare. Tamdem vicit Caritas & pietas Affinis oppressi, & fœderum contemplatio, nec non respectus habitus, quod videlicet, sicut ferè in universali hominum sedebat judicio, oppressio illa erat injusta. Et ideo derumpendo contra Venetos, & succurrendo Domino Paduæ, Dominus Marchio & Ugutio finaliter decreverunt. Tunc Magnum Conestabilem, qui in Romandiola erat ad stipendia Domini Marchionis, cum MD. equitibus firmaverunt, qui ad id promptissimus fuit, cupidus favorum Domini Paduæ, cui singulariter amicabatur.

Die VI. mensis Septembris Anni prædicti MCCCCIIII. Illustris Dominus Marchio, cùm conclusivè deliberasset succurrere socero suo Domino Paduano, & ad ejus subsidia prœlialiter militare, id loco diffidantiæ per literas & Currerium suum Ducali Dominio Venetorum significavit, inserens in literis causas, quibus ad illud inducebatur potissimè. Primam scilicet contemplatione justitiæ, quia judicium omnium erat, Dominum Paduæ injustè molestari; secundam nexu & vinculo affinitatis; tertiam honoris proprii gratiâ, ne Affinem & Amicum pateretur injustè periclitari; quartam verò obligatione fœderum, quæ secum habebat. Ducale Dominium Venetorum, receptis dictis literis Domini Marchionis die VII. mensis Septembris horâ tertiarum, ut retulit Currerius, vehementer obstupuit, atque indoluit, indignatus, execrans, & detestans multis conviciis Dominum Marchionem; moxque in suis decrevit consiliis, dari operam ad bellum inferendum Domino Marchioni; & insuper statuit revocandum esse Venetias Illustrem Azzonem Estensem, qui in Candia Cretensis Insulæ Urbe relegatus erat, quasi speraret ipsum Ducale Dominium per ejusdem Azzonis præsentiam multa adversùs Statum Domini Marchionis concitari debere. Tunc mandavit idem Ducale Dominium, omnes Ferrarienses, & alios subditos Domini Marchionis repertos Venetiis & alibi sub Dominio suo, cum navibus & mercantiis quibuslibet detineri, ac Ferrariensium impræstita sequestrari. Jusserat interea Dominus Marchio, reparari & fortificari passus suos versùs partes Venetorum, utpote passum Corbulæ inferioris, bastitis, pontibus, & palatis, passum Adriani, passum Thienis, & passum Sancti Alberti, ipsaque loca, & alia opportuna muniri consilio & provisione Magistri Bertolini de Novaria Ingeniarii sui, & Magistri Dominici de Florentia excellentis Architectoris missi per Dominum Paduanum. Post missam diffidantiam Ducali Dominio factus fuit excessus per stipendiarios & subditos Domini Marchionis contra bona Venetorum existentia in districtu Ferrariæ raptaque bona mobilia, ac bestiamina, immobilia quoque sequestrata, & reperti Veneti arrestari. Homines insuper de Adriano scientes, quòd Galea Guardiæ Venetorum circa litus illud versabatur, ad litus ipsum accedentes, compertos homines ejusdem Galeæ spatiantes in litore, rapuerunt, similiter & Galeam, & in Adrianum conduxerunt. Quia Policinum Rodigii, quod tunc erat in manibus Venetorum, erat multo nocumento factis Domini Paduani, Illustris Dominus Marchio dispositus ut supra idem Domino Paduano Socero suo afferre succursum, deliberavit Policinum ipsum ante omnia esse de medio auferendum. Igitur evocato Ferrariam de Romandiola Magno Conestabili cum Comite Manfredo ejus

ejus Nepote cum gente sua, quem Magnum Conestabilem, sicut ante dictum est, Dominus Marchio ad sua stipendia cum MD. Armigeris, & certis Cohortibus peditum, & paratis alia gente, & Nobilibus, & familiaribus Domini Marchionis, ac equitatu Magnifici Ugutionis de Contrariis, atque peditum turmis, & constituto exercitu, ipse Dominus Marchio cum Ugutione, & Magno Conestabili in die Festi Sanctæ Mariæ de mense Septembris, videlicet die VIII. horâ tardâ de Ferraria eduxit exercitum; nondum enim advenerat fama, quòd Venetorum exercitus introisset Serraleum Domini Paduani. Et arripiens iter, intendebat per totam noctem equitare per viam de Manezio, & aggerem Vallium de Salvaterra, donec in Policinum se conferret. Sed in itinere citra Figarolum adventavit de Padua nuncius, afferens novum, qualiter exercitus Venetorum introiverat Serraleum Paduanum juxta Trisigolum: propter quod instabat Dominus Paduæ succursum sibi celeriter exhiberi. Quo novo percepto Dominus Marchio pro tunc à processu incœpti itineris destitit, & nocte illa divertit ad Figarolum, ut cunctando paulisper omnia consultiùs prævideret, mansitque illic usque in sequentem diem ad horam tardam; & firmata deliberatione sua cum maturo consilio, inde discedens, & proficiscens nocte illa per viam ante conceptam perrexit Salvaterram secus Terram Abbatiæ, transvadavitque Athesim, & nocte eadem appulit in Burgos exteriores Lendenariæ, figens ibi tentoria. Tunc nonnulli homines de Terra Abbatiæ, qui sentiebant exercitum advenisse, & se clandestinè absentaverant, accedentes ad Dominum Marchionem, rogarunt, ut præsto ad Terram ipsam Abbatiæ cum exercitu se conferret, obtenturus omnia pro voto adjutorio hominum loci ejusdem ad id multo desiderio indifferenter concurrentium. Quare Dominus Marchio movens de Burgis Lendenariæ castra apud Terram Abbatiæ in Burgis castrametatus est, & concitatis interioribus hominibus, sopitaque aliquali pertinacia Potestatis, qui illic præerat pro Communi Venetiarum, Dominus Marchio cum ingenti hominum illorum lætitia Terræ ejusdem die sequenti introitum habuit atque dominium; eademque die Terræ Lendenariæ dominio potitus est cum auxilio intrinsecorum. Et die sequenti Castra & Fortilitia Lendenariæ, & Pinzonum Abbatiæ per deditionem similiter obtenta sunt.

Eodem autem tempore Dominus Lucas de Leone per viam de Burbuleo venerat Lendenariam in auxilium Domini Marchionis cum optima peditum copia missus à Domino Paduano. Erant Terræ & Fortilitia Policini tunc diminuta præsidiis; nam Dominus Franciscus Justiniano Capitaneus Rodigii pro Dominio Venetorum multos exhauserat Conestabiles & Stipendiarios, multamque copiam vastatorum, profectus in Paduanum Districtum ad construendum & muniendum bastitam unam ad Calatam Gorzoni inter Anguillariam & Consilium. Duxerat quoque ad idem opus gentem equestrem armigeram, quæ degebat in Rodigio ad numerum quingentorum equitum sub conductis Comitis Antoniuccii dell' Aquila, & Henrici Teotonici, aliorumque Caporalium, qui omnes profecti erant cum jam dicto Capitaneo Rodigii, non trajectis tamen equis suis ultra passum Venetii, sed dimissis cum famulis citra flumen in Villis Venetii, & Mardimagi. Qua re per Dominum Marchionem cognita, ipse decrevit quadrigentos equites armigeros militare debere ad insultandum jam dictos Capitaneum Rodigii, & gentem illam, quæ secum erat, in reditu suo, priusquam Rodigium attingerent. Qui CCCC. equites dum ad id efficiendum equitarent, & jam apud Rodigium transirent, reperierunt, quòd Capitaneus, & gens illa armigera paululo ante Rodigium introiverant in maxima fuga. Nam dum essent ad opus bastitæ, ad quod iverant, intenti, eâ jam perfectâ atque munitâ, nuncium habuerant, qualiter Dominus Marchio Policinum invaserat: ex quo reversioni suæ celerrimæ operam dederant, ne circumvenirentur ab hostibus. Verumtamen de ultimis aliqui, antequam possent mœnia Rodigii introire, ad numerum sexaginta equitum fuerunt captivi. Et post hoc dicti CCCC. equites ad exercitum Lendenariam redierunt. Capitaneus verò Rodigii animadvertens, quòd exercitus ad obsidionem Rodigii venturus erat, fœnum & alia stramina, blada, & vinum in qua majori potuit quantitate de Burgis Rodigii intra Terram illico fecit conduci, moxque immitti ignem in domos Burgorum, quæ omnes ferè paucis exceptis de Burgo superiori, cum omni supellectile & mobiliis ignis illius repentino incendio absumtæ fuere. Subsequenter sollicitè fecit intendi ad fortificandum se in locis suspectis, & specialiter ad buccas fluminis Athesis in parte superiori & inferiori introitus Rodigii, permaximèque in parte superiori inter portam & Rocham apud pontem, qui à porta ad Rocham transtenditur, quoniam locus ille suspectior videbatur propter glaream exteriorem in medio fluvii, quæ usque ad pontem se extendebat in sicco, muniens locum ipsum stellatis, & aggere, ac ripas interiores palificationibus & vallis, pro quibus agendis, ut lignamina inveniret, domos quamplures tam Domini Marchionis, quàm Civium fecit demoliri. Versabatur tunc Dominus Marchio cum exercitu Lendenariæ, quo tempore Magnificus Ugutio de Contrariis jussu Domini Marchionis se contulit ad Villam Arquadæ ad expugnandum Castrum illic, & mediantibus viribus Comitatinorum de Arquada, & Fracta, Castrum ipsum die X. Septembris prœlio devictum obtinuit. Die autem XV. Septembris Illustris Dominus Marchio cum exercitu declinavit in obsidionem Rodigii, & campum posuit in Burgo superiori secus Athesim, fecitque discurri versùs partem inferiorem ad occupandum Turres & passum Villæ Ducis, qui est in Districtu Rodigii deorsum per quinque milliaria supra Athesim eundo versùs Venetias. Qui quidem passus pro Domino Marchione captus fuit, deprehensis in itinere aliquibus barchis & hominibus, quos Capitaneus Rodigii mittebat pro præoccupando passum ipsum, fuitque munitus præsidiis Domini Marchionis, & deinde fortificatus foveis, aggeribus, atque vallis. Ugutio verò cum certo equitatu præcucurrit ad fortilitium Venetii, illudque brevi prœlio ex-

expugnavit. Postmodum descendentibus juxta datum ordinem quibusdam navigiis armatis Domini Paduæ, missis de Verona & de Padua infra per flumen, & repulsis atque fugatis barchis, & aliis navigiis Venetorum, quæ degebant in flumine ad passus custodiam, Ugutio flumen transivit, & bastitam de Anguillaria, quam tenebant Veneti, violenter recuperavit. Adveniente quoque auxilio peditum Domini Paduæ, altera bastita facta nuper à Capitaneo Rodigii ad Calatam Gorzoni, expugnata & recuperata similiter fuit. Fuit insuper tentatum haberi fortilitium Campi Novi, quod distat à Venetio per tria milliaria infra per flumen, sed non affuit tunc facultas illud obtinendi. His actis Ugutio ad exercitum retrocessit, & vacatum fuit per Dominum Marchionem, Ugutionem, & Magnum Conestabilem cum exercitu ad obsidendum Rodigium, & diætim augebatur exercitus. Nam erat illic multa copia victualium tam ad usum hominum, quàm equorum, omniaque agebantur in prædam in circumpositis Villis, cùm non esset possibile refrænari Saccomanos, & alios multos, qui se ingerebant ad raptum, non obstante quòd intentio & mandatum Domini Marchionis esset, ut nulli subditorum illorum inferretur præda sive molestia. Intrinseci etiam stipendiarii Venetorum exeuntes ad alteram partem, videlicet ad latus Sancti Stephani, prædas multas, & præcipuè bestiaminis abigebant. Erant & tunc expulsi per Capitaneum Rodigii multi Terrigenæ, qui ad Dominum Marchionem venerant, & in campo morabantur; habebat enim ipse Capitaneus Terrigenas omnes suspectos, sciens & ex certis indiciis concipiens, quantum afficiebantur Domino suo Domino Marchioni. In obsidione quippe ejusmodi non multa certamina agebantur, tum quòd intrinseci raro egrediebantur ad scaramucias, & tum propter loci situm & robur, quoniam Dominus Marchio cum suis consultius censebat obsidione quàm prœliis intrinsecos faticare. Attamen prodeuntibus extrinsecis per glaream extra Pontem Athesis contra intrinsecos Armigeros ibidem se præsentantes, scaramucias & certamina aliquotiens committebant. Et erat tunc fluvius, sive alveus ille, cum modica aqua, quoniam defluebat in agros per ruptam unam, quam fecerant extrinseci supra versùs Lendenariam longè à Rodigio per duo milliaria secus Colombarias. Talis igitur erat obsidio usque circa finem Septembris.

Dum maneret obsidio taliter contra Rodigium, exercitus Venetorum, sicut super dictum est, castrametabatur contra Paduam juxta per tria milliaria ad Pontem Vici Aggeris, discurrens diætim usque ad Civitatem secus Portam Trinitatis, & erat divisus in duos campos, sive castra. Nam Malatesta Capitaneus, & Provisores, cum majori exercitu campum tenebant in loco illo pontis Viciaggeris, ultra quem in finibus Tarvisinis consistebat Bastita magna constructa, quamprimum ad eumdem locum ventum extiterat. Paulus verò Savellus alium minorem campum habebat remotius à Padua, distantem ab altero per duo milliaria versùs campum Sancti Petri. Quare Dominus Paduæ vehementer instabat de accessu Domini Mar-

A chionis, & Magni Conestabilis cum exercitu, sperans per eorum adventum, & cum adjutorio gentis suæ hostiles vires conterere. Erat tunc Ugutio ab exercitu Domini Marchionis absens, præmissus Ferrariam cum certa equitum comitiva, ut opportunis negotiis provideret, maximè circa tutelam, & ad muniendos passus propter suspectam Venetorum hostilitatem, quos sentiebatur ad offensas Domini Marchionis magnum instruere apparatum. Die igitur . . . . mensis Septembris Illustris Dominus Marchio cum Magno Conestabili & exercitu, dimissa obsidione Rodigii, & remunitis passibus, ne subsidia à Venetiis mitti possent, perrexit ad Villam Bovariæ proximam Rodigio per duo

B milliaria supra fluvium Athesis majoris, qui dicitur Flumen Vetus, illicque constitit aliquot per dies, donec processibus & tempore se intelligeret prudenter cum Domino Paduano; & mittebantur sibi victualia de Lendenaria infra per flumen in navibus. Deliberato satis autem de accessu & tempore cum Domino Paduano literis atque nunciis, idem Dominus Marchio cum Magno Conestabili trajecit exercitum secus Anguillariam in Territorium Paduanum, & per noctem totam equitans, juxta Paduam appulit, minimèque illam introire voluerunt Dominus Marchio, & Magnus Conestabilis, nec aliquem ex suis permittere introire, cùm esset

C eorum propositum non prius illam ingredi Civitatem, quàm incautos hostes impeterent, & aliquod bellicæ strenuitatis efficerent. Quare egresso Domino Paduano ad colloquendum cum eis, decretum fuit, ut mane illo per hunc exercitum Domini Marchionis, & Magni Conestabilis, & per totum conatum gentis Domini Paduani, hostes insultarentur, & ponerentur in conflictum, quantum foret possibile. Sic ideo re disposita, Dominus Paduanus, & filius ejus Dominus Franciscus Tertius, accincti cum suis in armis, & Illustris Dominus Marchio, & Magnus Conestabilis cum exercitu suo, contra Vene-

D torum exercitus viriliter equitantes cum magnis viribus insultarunt, præcurrente & ingerente se primùm in hostes animositate conspicua & strenuitate præclara Illustri Domino Marchione, comitantibusque Domino Francisco Tertio de Carraria, & Comite Manfredo de Barbiano cum aliis probissimis Caporalibus. Erat ea hora proxima tertiarum, & fiebat deportatio victualium ad hostilem exercitum cum multis curribus & jumentis, & cum copia armigerorum scorta sub ductu Domini Thadæi de Verme cum CC. lanceis, in quam irruentes isti illam ruperunt violenta manu armorum, & totam

E verterunt in fugam atque conflictum, fuitque Dominus Thadæus captivus Domini Marchionis. Continuò processerunt ad castra Pauli Savelli, & conflixerunt cum eo, & gente sua, ipsum expugnantes cum strage & captivatione multorum, inter quos coëgit Dominus Marchio cum sua gente in captivationem Paulum Savellum, licèt is Paulus per aliqua subterfugia datam suam captivationis assensionem irritam postmodum fecerit. Facto igitur strepitu maximo, Capitaneus, videlicet Malatesta, cum exercitu magno convertitur totus in arma, & impetit hostes, qui cùm tantam vim se non posse su-

sustinere concernerent, retrocedentes in Urbem Paduæ se festinanter receperunt, adductis captivis circa numerum duorum millium quingentorum equorum, inter quos ex nominandis fuerunt captivi adducti Paduam Domini Marchionis hi, videlicet, Dominus Thadæus de Verme, Bertholdus de Perusio, Complectus Teotonicus, Bertholundus de Fulginio, Beltramolus de Varesio, Nicolaus de Faventia, & Johannes minor de Tausignano, nonnulli etiam ex parte Domini Paduæ hostes remansere captivi. Post hunc conflictum decreverunt Capitaneus & Provisores exercitus Venetorum à loco illo se cedere, & se reduxerunt cum exercitu in Territoria proxima Tarvisii, stante nihilominus in eorum arbitrio pristino ingressu & reditu Serralei ad Vadum, ubi posuerant bastitam apud Trisigolum. Verùm Dominus Paduæ per gentem Magni Conestabilis frequenter discurri faciebat Territorium Tarvisinum, quæ gens prædam multam animalium & captivorum adducebat. Exactis autem paucis diebus Magnus Conestabilis cum certa suæ gentis parte evocatus, ut dixit, à Domino Rege Ladislao, qui apud Romam degebat, impetratâ à Domino Paduano, & à Domino Marchione licentiâ recedendi, Paduâ abiit, & per viam de Ferraria in Romandiolam concessit, deindeque Romam, dimisso Paduæ penes Dominum Marchionem Comite Manfredo cum residuo gentis suæ.

Dimissa per Dominum Marchionem obsidione Rodigii, & eo Paduam profecto, Capitaneus Rodigii fecit comburi omnes domos, quæ inexustæ supererant in Burgo superiori Sancti Johannis, ubi castrametatus fuerat Exercitus, & totam Villam Mardimagi, quæ magna erat & domibus copiosa in Districtu Rodigii circa Venetium. Item misit gentes armigeras equestres ad dispendia Lendenariæ, unde nonnullis domibus Burgorum incensis captivos quamplures & bestiaminis prædam contraxerunt. Insuper cùm omnes intrinsecos Rodigienses suspectos haberet, fecit delectum quamplurium ex ipsis magis divitum majorisque mentionis, & eos per insolitum iter Vallium vinctos Venetias destinavit, ubi in tetros conjecti carceres manserunt usque ad pacis eventum. Eo tempore impetraverat Capitaneus Rodigii, quòd de Venetiis sibi mitterentur munitiones Farinæ, ac Bombardarum, & sagittamentorum, & nonnullarum aliarum rerum, quas noverat necessarias in Rodigio; & quia opus erat res ipsas conduci cum navibus supra per Athesim, & transire per passum Villæ Ducis distantem à Rodigio per quinque milliaria, qui passus erat jam occupatus pro Domino Marchione, & munitus ejus præsidiis, idem Capitaneus miserat gentem armigeram & pedestres stipendiarios existentes Rodigii, sive majorem partem, Duce Henrico magno Teotonico, ad eumdem passum pro expugnando & occupando ipsum, vel saltem turbando per tantum temporis spatium, quoad naves cum munitionibus illis transitum facerent versùs Rodigium. Advenientibus itaque juxta navibus gens illa missa per Capitaneum, ut dictum est, fortilitium passus prœlio acriter perturbabat, pedestri tantùm, equis repositis ibi prope. Intrinseci resistebant, sed tamdem fuissent in perseverantia superati, & naves quidem munitionum attigerant illuc cum nonnullis ganzarolis, qui etiam prœlio conferebant. Verùm, dum ista sic agerentur, contigit Magnificum virum Ugutionem de Contrariis cum bona armigerorum comitiva adventasse ad Villam Arquadæ providendorum gratiâ, cui cùm esset adnunciatum, ipse mox omni sepositâ mora ad locum illum Villæ Ducis celeriter equitavit, atque hostes debellantes impetiit, qui sentientes ejus adventum, equos suos raptim ascenderant; & insultans eos animositate præcipua, ipsos strenuè debellavit, atque omnes indifferenter captivavit, rapiens etiam naves cum munitionibus omnibus, quæ erant in eis, fugatis & abeuntibus ganzarolis infra per Athesim. Ex ista equidem clade remansit Rodigium pæne præsidiis desolatum, & Capitaneus in multis angoribus. Die III. mensis Octobris dicti An. MCCCCIV. Dominus Johannes Barbo Nobilis & notabilis Civis Venetiarum missus à Ducali Dominio cum sex Galêis, & multis Barchis armatis, & multis balistariis, aliisque bellicis apparatibus, & cum gente armigera equestri sub conducta Johannis de Tosignano ad numerum CC. equorum, profectus per mare, intravit Padum per Portum Primarii, & conferens se ad fortilitium Sancti Alberti, quod erat Domini Marchionis, repentinum instruxit prœlium contra illud, atque expugnatum occupavit, captivatis custodibus, sive præsidiis, quæ intra erant, & captivatis Antonio de Contrariis tunc Potestate Riperiæ Fili, & Magistro Dominico de Florentia summo Architectore & Ingeniario Domini Paduæ, quos contigit eo tempore esse in Fortilitio illo, profectos ad opera providendum, & quos Dominus Johannes Barbo misit Venetias ad Ducale Dominium, quod eumdem Magistrum Dominicum habuit admodum carum ob sui ingenii præstantiam, & ejus artificio deinceps in multis arduis contra Dominum Paduæ functum fuit. Occupato ut supra per Venetos fortilitio Sancti Alberti, cùm tunc Illustris Dominus Marchio esset Paduæ, Magnificus Ugutio de Contrariis sollicitam valde & repentinam adhibuit personaliter diligentiam ad muniendum gentibus ac aliis opportunis Passum Argentæ, atque Bastitam fossati Zanioli, ad fortificandum loca stellatis, vallis, & propugnaculis, atque aliis reparaculis, sicuti providebatur oportere per singula. Hoc tempore Illustris Dominus Marchio cum gente sua, & Comite Manfredo de Barbiano, & Magnificus Dominus Paduæ cum parte suorum armigerorum, & multis provisionatis pedestribus, deliberantes reiterare obsidionem contra Rodigium, de Padua recedentes, Lendenariam adventarunt, & instructis ibi multis præparamentis scalarum & aliarum rerum, processerunt ad obsidionem Rodigii, ponentes castra ad inferiorem partem in Burgo Sancti Bartholomæi, & in Burgo Fornacium mediante flumine Athesis, quod tunc propter aquæ paucitatem hinc & hinc sinè navis adjutorio faciliter transvadabatur. Consumatis aliquot diebus in obsidione contra Rodigium, Illustris Dominus Marchio certo febrili affectus languore Ferrariam profectus est, remanseruntque in obsidione eadem Magnificus Dominus Paduæ, & Comes Manfredus de Barbiano cum Exercitu toto, & fiebant crebri insultus ad muros cum scalis, & ad

ad Pontem Athesis per alveum, à quibus insultibus intrinseci licèt pauci se tuebantur non sinè multa difficultate. Postquam recesserat Dominus Marchio, ut proximè supra tangitur, Dominus Paduæ, & Comes Manfredus ad obsidionem Rodigii curiosè intendebant; intrinseci verò à Turribus & mœnibus bombardis & balistis agebant, cùmque die quadam lapis unus bombardæ ab intra fuisset emissus in locum, ubi Dominus Paduæ residebat ad ripam Athesis in Burgo Sancti Bartholomæi, & petram quamdam elisisset, itaut in partes salientes dispergeret, una earum magna fuga in crus Domini Paduæ advolavit, & ingenti affecit contusione pariter & dolore: qua ex re opus habuit idem Dominus abscedere, & delatum super sbarra quadam suorum hominum manibus Paduam remigrare, remanente ad obsidionem Comite Manfredo cum tota gente.

Cùm Comes Manfredus de Barbiano stipendiarius Domini Marchionis, & Capitaneus exercitus graviter obsideret Rodigium, tenens castra in Burgis Sancti Bartholomæi, & Fornacium, atque in circumpositis vicinis Villis Broxedæ, & Gragnani, Veneti mittebant ad succursum Rodigii circa centum equites sub conducta Comitis Antoniuccii dell' Aquila, & circa quingentos pedites, quorum pars non exigua erat balistariorum. Qui omnes equites & pedites, declinato parumper itinere solito passus Villæ Ducis, passum ipsum transiverant, & jam appropinquabant Rodigio, ut intrarent per Portam, quæ dicitur Porta Arquadæ, secundùm quod Capitaneus Rodigii præconscius expectabat, ituri tamen per medium aliquorum ex obsidentibus in parte illa. Tunc præmisso nuntio per Capitaneum passus Villæducis, qui eorum transitum senserat, ad Comitem Manfredum, ipse Comes non parum attonitus suos accersivit in arma, deindeque adnotato negotio hostes illos insultavit apud Burgum Fornacium, & positos in conflictum pedites omnes captivos habuit, equites verò equorum beneficio illæsi mœnia intravere. Comes Manfredus cum exercitu Domini Marchionis, & gente Domini Paduani perseverans in obsidione contra Rodigium, illudque contundens bombardis, & intrinsecos prœliis fatigans, Capitaneum Rodigii ad consensum deditionis induxit sub certis fœderibus, inter quæ fuit illud iniquissimum, ut videlicet hostibus exportare prædas liceret: quæ quidem fœdera idem Comes Manfredus contraxit, atque conclusit, sinè ulla conscientia Domini Marchionis, qui tunc erat Ferrariæ parumper ægrotans. Erat & Ugutio tunc non solidæ valetudinis quoniam & ipse ægrotaverat pluscul is diebus. Verùm per Comitem Manfredum nunciato negotio Domino Marchioni, Ugutio ipsius Domini mandato perrexit illuc, ut tenutam acciperet; qui cùm percepisset à Comite Manfredo fœderum conditionem, molestissimè tulit fuisse conventum cum hostibus de prædarum exportatione. Nam Capitaneus Rodigii, & stipendiarii intrinseci in practica illa, & ante etiam, multorum Civium bona mobilia rapuerant, multamque supellectilem & blada de Palatio & granariis Domini Marchionis. Sed jam erant pacta ipsa irrevocabilia penes Comitem Manfredum, ea servari oportere pertinaciter dicentem, alioquin se omnia infecta dimissurum. Die igitur Mercurii XXIX. Octobris de mane, ratificatis conditionibus, Capitaneus Rodigii Portâ Arquadæ patefactâ liberum concessit ingressum, & introiverunt Ugutio, & Comes Manfredus, cum tota gente. Nec mora facto ingressu gens Comitis Manfredi ad omnes domos terrigenarum discurrens, & violenter subintrans, quæcumque reperta rapiens convertebat in prædam: ad quam gentem reprimendam Ugutio omni conamine faciebat insisti; sed nequaquam rabies illa poterat refrænari, cùm gentis ipsius Magister Comes Manfredus nullo efficaci remedio se opponeret. Deinde habuit Ugutio tenutam Rochæ, quam munivit præsidiis Domini Marchionis. Sequenti verò die Dominus Franciscus Justiniano hactenus Rodigii Capitaneus, & omnes Venetorum stipendiarii licentiati cum salvoconductu versùs Venetias abierunt, prædam multam deferentes in navibus, quam substulerant è Rodigio. Eademque die Illustris Dominus Marchio, licèt nondum ad integrum bene sanus, se illuc transtulit, quem universi homines illi, utpote Dominum suum naturalem & amatissimum, cum permaxima animorum devotione & alacritate viderunt. Composuerunt deinde Dominus Marchio, & Ugutio illic res quanto melius fuit possibile secundùm temporis qualitatem, providentes ad Terræ ac Fortilitiorum custodiam, constituitque Dominus Marchio Capitaneum ibidem Nobilem Virum Nicolaum de Baysio. His actis gens Domini Paduæ Paduam rediit, & Dominus Marchio, & Ugutio Ferrariam remearunt. Vênit etiam Comes Manfredus ducens gentem suam, quæ in Burgis & aliquibus Villis Ferrariæ, rapiendo, & prædando, damna maxima intulit, antequam in Romandiolam transiret.

Die VI. Novembris dicti Anni MCCCCIV. Magnificus Dominus Paduæ misit ad expugnandum Fortilitium Campinovi, quod est in Viscontaria Rodigii infra Venetium supra flumen, & quod adhuc per Venetos tenebatur, & obtentum muniri fecit suis præsidiis ipse Dominus Paduanus. Per hos dies cùm Dominus Johannes Barbò, qui occupaverat, & tenebat pro Venetis Sanctum Albertum, multa faceret indicia, quibus concipiebatur eum velle intendere ad invasionem Argentæ tam navali quàm terrestri profectione: Illustris Dominus Marchio, & Magnificus Ugutio de Contrariis, facto nobili apparatu quamplurimorum Civium Ferrariensium, & stipendiariorum multorum, necnon aliquorum navigiorum armatorum, ad protectionem Argentæ se prœlialiter contulerunt, ubi jam tamen ante erant valida præsidia armigerorum equestrium & pedestrium, & centum provisionati pedestres Domini Paduani. Ibique Pontem, & stellatas sub multa roboratione fecerunt solicitè reparari, Burgosque & fronterias versùs Sanctum Albertum, quod intendebant prœlio expugnare. Instructæ fuerunt naves duæ magnæ incastellatæ insimul cum Turribus, sive propugnaculis ligneis tantæ altitudinis, ut existimaretur ea excellere altitudinem vallorum Fortilitii, & Pontis Sancti Alberti, itaut bellatores ejusdem altitudinis beneficio & hostes contunderent, & Fortilitium, ac Pontem Padi expugnarent. Quibus navibus ordinatis, & impositis bellatori-

toribus unà cum aliis XVI. Galeonibus, & Navigiis armatis, quæ illic erant, demissæ fuerunt gentes infra per Padum die VIII. Octobris, & Dominus Marchio, & Ugutio cum armigera gente equestri ad numerum DCC. equitum, & pedestri ad numerum DC. peditum terrestri itinere pariter processerunt, factusque fuit navalis insultus contra fortilitium juxta Pontem Padi, ad quem stationabat classis hostium, & fuit certo spatio prœliatum; verùm insurgentibus ad Pontem hostibus, naves illas incastellatas suo pondere graves, & non bene tractabiles, superatis pugnatoribus, tenuerunt simul & pugnatores, atque nautas. Navigia reliqua secesserunt Argentam, Domino Marchione, & Ugutione cum gente, quam duxerant, sospitibus similiter redeuntibus. Aliquot exactis diebus post præmissa Dominus Johannes Barbo cum classe sua navigavit ad Bastitam Fossati Zanioli, quæ erat distans ab Argenta per duo milliaria ad Padi Ripam, & eam violento prœlio expugnavit, & obtinuit, moxque occupatam delevit incendio. Ante hoc cùm Comaclenses Venetis essent nimis infesti, eo quòd cum suis barchis armatis frequenter tendebant in pelagus, & multos transeuntes à Venetiis versùs Marchiam, vel è contrario, vel venientes ad Sanctum Albertum, rapuerant: præfatus Dominus Johannes Barbo, missis ad Terram Comacli tribus Galëis, & aliquibus barchis armatis, eam igne fecit incendi, quo universæ domus exustæ sunt. Per tempus istud exercitus Venetorum militans contra Paduam, qui repulsus fuerat ab obsidione Paduæ, videlicet à Ponte Vici Aggeris, tempore quo Dominus Marchio, & Magnus Conestabilis iverant ad subsidium Domini Paduani, moram faciebat in finibus Tarvisinis, & remuniebat se, ut iterato impeteret Paduanum. Alii verò duo exercitus ipsorum Venetorum, quorum alterum ducebat Dominus Mantuanus, & alterum Dominus Jacobus de Verme, & se aliquando secundùm necessitates insimul uniebant, militabant bellaciter contra Veronam, omnia perturbando. Erat autem in Civitate Veronæ Dominus Jacobus de Carraria natus Domini Paduani, regens eam, habensque in bono numero gentem armigeram equestrem & pedestrem sub ductu Chechi de Sancto Severino viri strenui, qui multotiens egrediens cum hostibus decertabat, & signanter in gentem Domini Mantuani aliquales interdum intulit conflictus. Eo tempore circa finem Octobris placuit Magnifico Domino Malatestæ de Malatestis Capitaneo Generali exercitus Venetorum, cùm exspirasset firma sua, se ab eorum stipendiis abdicare: quod cum bona licentia Ducalis Dominii effectum est, ipseque ad propria remeavit. Et loco ipsius vir Nobilis & strenuus Paulus de Savellis fuit per Dominium præfatum in Generalem Capitaneum subrogatus.

De mense Novembris hujus An. MCCCCIV. exercitus Venetorum, ducente ejus Capitaneo novo Paulo Savello, transivit ad invasionem Serralei Plebatus Sacci Districtus Paduani, & die XVII. mensis ejusdem intulit asperrimum prœlium contra illud. Quod cùm nunciatum fuisset Domino Paduano, ipse illuc cum gente sua velociter equitavit, ut hostium violentiam repulsaret: ad quod dum ferociter & impavidè inter missilia balistarum laboraret, ictu unius verettoni saucius & trajectus fuit in brachio dextero desuper manum sub anteriori parte brazalis, & penetravit missile inter utrumque os brachium totum: propter quod Dominus idem ob nimium dolorem ferè conversus in pasmum, infortunio suo volente, pro tunc bello impotens fuit effectus. Hostes verò in loco dicto Fossalovara Serraleum intraverunt, potiti modo voto suo, quod per tot difficultates exquisierant. Deinde se contulit exercitus idem ad Camponogariam distantem à Civitate Paduæ per XII. milliaria, & expugnato per vim passu Arini, qui erat in extrema parte Serralei, introivit, firmatisque castris in Camponogaria, & fortificato loco, ibidem hibernavit, discurrens assiduè totum Plebatum, ponte facto supra fluvium ad bastitam Maltempi jam devicta. Ceteri verò ejusdem exercitus progressus, quòd insequentem annum transiverunt, in ipsius anni tractatibus suo loco dicentur. De mense Decembris Anni prædicti Magnificus Dominus Paduæ pro subveniendo tutelæ Veronæ, quam Dominus Mantuæ, & Dominus Jacobus de Verme cum Exercitibus Venetorum vehementissimè opprimebant, conduxit ad sua stipendia Comitem Manfredum de Barbiano cum CCC. lanceis pro duobus mensibus; qui facto transitu per Districtum Ferrariæ, & per Policinum Rodigii, dum Veronam proficisceretur, pergens propè Vicentiam, casu incidit die VI. Decembris in Dominum Jacobum Suriano Capitaneum Vicentiæ pro Ducali Dominio Venetorum, qui cum nonnullis armigerorum Cohortibus redibat Vicentiam, veniens ab expeditione quadam facta juxta villam Montisfortis in contermino Territorio Veronensi; & facto insultu adversùs eum, fuit hinc inde pugna tumultuaria, mutuo certamine partis utriusque sed brevissima. Superatus enim Dominus Jacobus cum suis succubuit, ipseque, & Dominus Antonius ab Equis, qui secum erat, Comitis Manfredi fuerunt captivi, & mox missus fuit Dominus Jacobus per eumdem Comitem captivatus in Romandiolam, se multo auro redempturus. Magnificus Dominus Paduæ videns progressus nimios exercitus Venetorum, qui tunc in Camponogaria hibernabat, exploratoque, quòd ipse exercitus multis erat affectus incommodis tam hominum quàm equorum, seque inordinatè gubernabat, Comitem Manfredum, qui cum CCC. lanceis erat Veronæ, paulò ante conductum ad ejusdem Domini stipendia, Paduam revocavit circa Decembrem, volebatque cum omni conatu totius gentis suæ, & subditorum suorum, hostes improvisos impetere, & secum pugna confligere, quoniam satis ei suisque Caporalibus & armigeris factibile videbatur, hostes ipsos in tali eorum conditione consternere. Sed Comes Manfredus nullo pacto annuere voluit ejusmodi discrimini se committere, sicut & idem abnuerat Veronæ, videlicet pari fortunæ se subjicere contra hostilem exercitum. Hoc utique Domino Paduano fuit molestissimum, & non parva convicia inter natum suum Dominum Franciscum Tertium ob eam causam intervenerunt, & Comitem antedictum.

Anno Domini MCCCCV. nocte sequenti post diem Mercurii quintum Januarii, Magnificus

ficus Dominus Dominus Franciscus de Gonzaga Dominus Mantuæ, & strenuus miles Dominus Jacobus de Verme, Duces exercituum Venetorum contra Veronam, cum gente sua clandestinè transiverunt ad murum Civitatis inter portam Calzariorum, & Monasterium Trinitatis; & fracto muro, adjectisque scalis introiverant jam de Exercitu multi ad numerum CCCC. vel circa, & duos occupaverant Turresinos ad mœnia. Tunc excitatus à nuncio Dominus Jacobus de Carraria cum gente sua, & parte Populi, cucurrit ad locum, & qui introiverant, partim trucidati, partimque captivati fuerunt, & extrinseci ab ingressu repulsi. Inter captivos autem fuerunt Dominus Bartholomæus de Gonzaga, Feltrinus de Gonzaga, Dominus Johannes, & Dominus Guielmus de Galluciis, & Guido Taurellus. His diebus erat Dominus Johannes Barbo cum exercitu Venetorum, videlicet sex galêis, & aliis navigiis armatis, & cum gente armigera de conducta Johannis de Tausignano, suis tamen fulcito præsidiis, tum propter loci ineptitudinem, & tum quòd cognoscebat nihil sibi sperandum contra Argentam; & Territorium Ferrariense ad partem illam, & constituerat campum terrestrem juxta Padum infra Adriani passum ad dimidium milliare, qui quidem passus custodiebatur per Dominum Philippum de Pisis cum gente Domini Marchionis. Accesserant & illuc Illustris Dominus Marchio, & Magnificus Ugutio de Contrariis, & fuit refortificatus passus optimis stellatis, & ponte, atque armatis navigiis. Discedens postmodum inde Dominus Marchio perrexerat ad Massam Fiscaliæ pro tutela passus Thienis, faciens ibi, videlicet in Massa, continuam residentiam; Ugutio verò in Adriano sistebat. Cùm autem esset illius exercitui à Venetorum bombardis, balistrisque, & aliis inquietationibus, plurima molestatio, placuit Ugutioni, & Domino Philippo exercitum ipsum invadi; placuit & idem Domino Marchioni, in Adrianum tunc eâ causâ profecto. Quare paratis gentibus Domini Marchionis, & provisionatis pedestribus Domini Paduani accersitis de Argenta, die XVI. Februarii Ugutio præmissis insidiis, uti fuit opportunum, cum Domino Philippo de Pisis, & tota gente, prodiit in hostes accampatos, ut supra, in Terra juxta Padum, & insultatos fortiter atque viriliter posuit in conflictum, multos cædendo, & multum eorum numerum captivando. Reliqui se per fugam salvarunt, fugientes ad naves, quas Dominus Johannes Barbo jussit illico longius versùs Pelagus navigare. Eo prœlio saucius fuit Ugutio ictu unius Verettoni in crure, trajectâ gamberiâ, sed tamen brevi tempore sospitatus, quia vulnus non altè transcenderat. Post triduum verò Dominus Marchio iterum se tulit ad Massam. Eodem prœlio ex captivatis de gente Venetorum fuerunt inter alios isti, videlicet: Cola de Ducia, Michaël de Utino, Cinque de Perusio, Bertholdus de Alemanea, Armigeri de conducta Johannis de Tausignano, Christophorus de Roma, Nannes de Cola, Johannes de Cissalonia, Conestabiles pedestres.

Eodem Anno MCCCCV. de mense Martii cùm Illustris Dominus Marchio per nonnullas prævias conjecturas concepisset, Illustrissimum Ducale Dominium Venetiarum inductibile & desiderosum ad pacem, videreturque eidem Domino Marchioni, pacem ipsam non solùm utilem, sed etiam necessariam fore sibi, & subditis suis, tum propter intolerabiles sumptus, atque labores, & tum quòd tunc in Civitate & Districtu Ferrariæ erat valida fames, cui subveniri non poterat, stante dissidio cum Venetis, propter quod dissidium non erat possibilitas frumentum adduci de locis remotis, utpote de Marchia Anconitana, & de Apulia, & vicinæ Regiones eâdem famis angustiâ premebantur, concerneret quoque ipse Dominus Marchio, Cives suos pacem ejusmodi magnopere exoptare: animum ad illam intendit. Quare misso à Ducali Dominio salvo conductu, Egregios viros, Consiliariosque suos Joculum de Joculis, & Bartholomæum de la Mella ejusdem Domini Referendarium, die primo mensis Martii Venetias ad Ducale Dominium Legationis officio misit, ut ejusdem Dominii intentionem exquirerent, & Domino Marchioni significarent. Successivè ab ipso Ducali Dominio die II. Martii Missus fuit alius salvus conductus pro sex Civibus Ferrariæ ituris Venetias in Legatione pro parte Populi ad pacis practicam, qui sex Cives electi similiter accesserunt, & functi Legatione sua, infra dies paucos redierunt, ac omne, quod collatum erat & practicatum illuc usque elegantissimè retulerunt. Joculus verò, & Bartholomæus ultra commissiones præstitas, habito à Domino Marchione novo responso intentionis suæ, ut ad pacis practicam procederent, ad eam solerter & prudentissimè intendebant. Erant quidem conditiones, quas Ducale Dominium proponebat, arduæ valde, atque difficiles, de quibus, & de intercedentibus singulis in practica, diætim Dominus Marchio à Joculo & Bartholomæo per scriptiones conscius reddebatur. Et ipse quidem Dominus communicavit cum Civibus; eratque in summa consilium, ut omnino non discederetur à pacis conclusione, prius tamen omnibus interpositis experimentis ad modificandas conditiones, si foret possibile. Pro qua efficienda modificatione, Joculus, & Bartholomæus omnem, quam poterant, artem & solertiam penes Ducale Dominium afferebant; sed inflexibile erat ad id pertinaciter in proposito primo perseverans, protestans, quòd nulla esset opus practica, & se ab ea penitus discessurum, si propositarum à se conditionum diminutio, aut mutatio aliqua peteretur. Rursus hoc significato per Legatos ipsos Domino Marchioni, ut finalis intentio haberetur, idem Dominus Marchio, postquam animadvertit Ducalis Dominii intentionem immutabilem esse, Legatis ipsis mandavit, ut pacem concluderent, mittens sibi procuratorium arbitrii ad idem perficiendum. Quæ pax in Dei nomine die XXVII. Martii inter Ducale Dominium pro se, & Communi Venetiarum, & præfatos Legatos pro Domino Marchione conclusa fuit documentis publicis in Ducali Palatio validata. Et die Dominico XXVIIII. Martii mandato Domini Marchionis in platea Ferrariæ voce tubicinis publicata cum celebritate permaxima & lætitia totius Populi Civitatis propter ejusdem pacis nimiam necessitatem. Sed fœdera ipsius gravia, & dispendiosa valde fuerunt, pristinarum

narum respectu conditionum ante guerram, honori & rebus Domini Marchionis, & Communis Ferrariæ. Sed ea subiri omnino necessitas coarctavit. Fuit equidem inter pacis conditiones & fœdera, quòd totum Policinum Rodigii cum Terris & Fortilitiis in Venetorum manibus, sicuti erat ante guerram, restitueretur, & expeditum poneretur per Dominum Marchionem, reservato etiam per eos Fortilitio Sancti Alberti, quod antea occuparant. Hujus pacis beneficio effectum est, quòd illico fuit tanta frumenti indigentia & fames ablata, quanta prius habebatur in Ferrariâ & Comitatu, adventis maximis grani copiis de Apulia, de Marca, & de Venetiis: quod tamen non levi pretio vendebatur, limitato tamdem ad soldos XXIII. Marchianos pro stario. Magnificus Dominus Dominus Franciscus de Carraria Dominus Paduæ, audito de pace, quam Dominus Marchio cum Venetis concluserat, vehementer indoluit, & cognoscens sibi multo dispendio affuturum, quòd Policinum Rodigii in Venetorum manus rediret, fecit illico suo nomine occupari Fortilitium Venetii, expulsis præsidiis Domini Marchionis per suos stipendiarios, quos in Fortilitio ipso tenebat; præterea Fortilitium Campinovi, in quo erant sua præsidia, fecit validiùs remuniri; deinde personaliter ipse cum paucis equitibus, sed cum multo numero Provisionatorum suorum pedestrium, & balistrariis, atque bombardis ad obsidionem Rodigii adventavit, & campum firmavit secus Portam inferiorem in Burgo Sancti Bartholomæi juxta Athesis fluvium, ut ad partem illam insultaret, & prœlio expugnaret. Erat tunc in Rodigio Locitenens pro Domino Marchione Aldrovandinus de Joculis, vir utique nobilis, atque strenuus, & erat paucis ante diebus revocatus inde Nicolaus de Baisio, qui fuerat Capitaneus. Nulla erat gens armigera, pauci quoque pedestres stipendiarii. Moliebatur Dominus Paduæ Aldrovandinum ipsum minis quampluribus & terrore ad voluntariam deditionem inducere; at ipse aspernabatur impavidè, & se continuò cum stipendiariis & Civibus opportuno hortatu præparabat ad resistentiam atque prœlium. Ut autem concepit Dominus Paduæ, terrores & minas suas in vanum evasisse, dimicandum esse decrevit, & instructo ordine pugnatorum fortem insultum fecit, pontem per Athesis alveum, ut ad portam contiguam, atque ad mœnia violentum haberet ingressum. Verùm Aldrovandinus armatus, cum parte stipendiariorum & Civium super ponte se tenens, hostibus viriliter resistebat; alii super mœnibus & Turribus balistis, & bombardis, ac saxis volentes eos ingredi retundebant. Sic fuit magno spatio prœliatum, & tamdem hostes frustrato conatu suo, multisque eorum vulneratis, nonnullis interemptis, à prœlio desistentes, retrocesserunt ad Dominum suum, qui prope aderat in Broilo Domini Marchionis. Interim delatum est Domino Paduano, Dominum Marchionem, & Ugutionem in Policinum cum multis artis Armigeris adventare, & jam ad Arquadæ vadum appulisse: quare discedens illico Dominus ipse Paduanus rapido gressu cum gente sua versùs Venetium emigravit, post cujus abscessum, parvo interjecto temporis spatio, Dominus Marchio, & Ugutio Rodigium attigerunt, & tetenderunt post Dominum ipsum Paduæ usque ad Pontem Canalis Fornacis citra Venetium per unum milliare & dimidium, quem pontem idem Dominus Paduæ jam transiverat, & se in tuto posuerat. Ibi data inter se fide colloquii multa dixerunt cum turbulentia animorum, utrisque protegentibus causas suas. His peractis Dominus Paduanus versùs propria, & Dominus Marchio, & Ugutio Rodigium, & inde Ferrariam redierunt.

Eodem Anno MCCCCV. die nono Aprilis Dominus Paduæ fecit occupari Castrum Guielmum territorii Ferrariensis per nonnullos pedites suos, illuc sub alio prætextu missos, qui deceptis custodibus ejusdem Fortilitii illud introiverunt. Fingebant tamen ipsum tenere nomine Domini Marchionis, & sub eo nomine nocturnas custodias vocitabant. Eodem die VIIII. Aprilis Illustris & Magnificus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. cum maxima comitiva ad numerum DC. personarum ivit Venetias ad Ducale Dominium visitandi gratiâ, fuitque ab ipso Dominio cum multa celebritate susceptus, venientibus ei obviam Domino Duce, & suis Consiliariis cum ingenti Nobilium comitatu. De mense Aprilis Illustris Dominus Marchio restituit & dimisit in manibus Venetorum juxta fœdera Pacis Policinum Rodigii cum omnibus Fortilitiis, exceptis Forticiis Venetii, & Campinovi, quæ occupaverat Dominus Paduanus, & quæ ipse detinuit usque ad ultimum suæ ruinæ: quod quidem Domino Marchioni damnosum fuit valde propter interesse, quod Veneti proinde prætenderunt, & voluerunt sibi à Domino Marchione resarciri & computari. Die X. Aprilis. Fuerunt suspensi in Padua ad Palatium Communis cum singulis pedibus tantùm quinque infrascripti propter repertam eorum seditionem cum Domino Jacobo de Carraria fratre naturali ipsius Domini Paduæ, qui Dominus Jacobus tractabat tradere Portam unam Civitatis gentibus Venetorum. Ipse verò Dominus Jacobus seditione detecta semet gladio confodit in pectore, ac periit. Tradiderunt tamen aliqui, Dominum Paduanum eum propriis manibus peremisse. Lanza Teotonicus, Benevenutus de Curte, Candiotus de Candida; Laurentius de Padua, Bernardus Lanarius de Padua. Eodem Anno MCCCCV. de mense Junii Magnificus Dominus Mantuanus, & Miles strenuissimus Dominus Jacobus de Verme cum exercitibus Venetorum Civitatem Veronæ gravissima obsidione turbabant. Eratque in ea Civitate defectio frumentaria vehementissima sinè spe remedii propter hostilem obsidionem. Pressus itaque Populus ille his duobus incommodis, fame scilicet, & obsidione, urgentibus fluctuabat angustiis. Et tamdem die XXIII. Junii fuit tumultuatum in Populo ipso, multis manu armata irruentibus ad plateam. Dominus Jacobus de Carraria verò, hoc percepto, se recepit intra Fortilitium Castri veteris, in quo multis jam ante diebus suam constituerat mansionem. Populus autem tumultuans ad Portam Civitatis, quæ dicitur Porta Episcopi, se conferens, & occupans illam, Dominum Mantanum, & Dominum Jacobum de Verme cum exercitu ad in-

ingressum Civitatis evocatos, per portam eandem introduxerunt, qui collatis banderiis & vexillis ad Plateam tetenderunt, & pro Ducali Dominio & Communi Venetiarum plenum captaverunt dominium Civitatis. Compositis deinde rebus illic, Ducale Dominium jussit Dominum Galeatium de Mantua cum gente armorum, quæ ibi necessaria non videbatur, proficisci ad alterum suum exercitum, qui contra Paduam militabat. Veronâ captâ, Dominus Jacobus de Carraria, qui se in Arcem Castri veteris collocaverat, mutato amictu Civitate egressus, comitante Domino Paulo de Leone Milite Paduano quàm poterat clam fugiebat, ut Paduam ad Genitorem se conferret, & jam ad Cerete Villam attingerat; sed fortunæ insidiis circumventus per fraudem ductoris, vel uti alii tenuerunt, casu ab Oppidano quodam cognitus fuit, qui concitatis mox hominibus Villæ illius effecit, quòd præfatum Dominum Jacobum, & Dominum Paulum comprehenderunt die XXVI. Junii, & vinctos Veronam adductos Domino Mantuano, & Domino Jacobo de Verme præsentarunt, qui eos in fortiam Ducalis Dominii transmiserunt Venetias, ubi fuerunt illico arduis carceribus mancipati.

Anno prædicto MCCCCV. Paulus Savellus Capitaneus exercitus Venetorum contra Paduam, qui exercitus hyemaverat in Campo-Nogaria, post exactam hyemem cum exercitu expugnavit & obtinuit bastitam de Lucho in Plebatu Sacci, item bastitam de Gambarariis, & illam de Perario, postmodum obsedit Fortilitium Castri Cari, quod non absque multa difficultate, & apparatu machinarum & oppugnaculorum, devictum fuit. Interea fecerant Veneti bastitam maximam poni ad Bagnolum cum certo exercitu, ut ex illam partem versùs Consilvium occuparent; sed habito Castro Caro, quod amplius bastita ipsa opus non erat, eâ dimissâ & incensâ, se ambo exercitus unierunt. Successivè transivit exercitus contra Buvolentam, obseditque eam diebus aliquot, & deditam pactis obtinuit. Deinde processit apud Portam Pontis Corbi Civitatis Paduæ, positis castris ad Vadum Zuchi, ubi per mensem unum mansionem traxit, discurrens quotidie usque ad Portam Civitatis, voluitque Civitatem, videlicet muros, expugnare ad Portellum Omnium Sanctorum, quod nequivit efficere, factâ sibi resistentiâ cum strage multorum. Postmodum nocturno tempore inde discedens, perrexit ad Pontem Brentæ, & ad Noventam, permanens ibi, & stimulans continuè Civitatem usque circa finem Julii. Tunc verò processit ad obsidendum Paduam juxta mœnia extra Portam Sanctæ Crucis, & ibi castrametatus est in Burgo Bassanelli, quotidianos experiens insultus contra Portam, & mœnia Civitatis. Dum erat exercitus Venetorum in Plebatu Sacci, exortum fuit dissidium inter Magnificum Petrum de Polenta, & Comitem Antoniuccium de l'Aquila, Stipendiarios & potentes Caporales in exercitu; sed potentior Petrus erat: quamobrem Ducale Dominium Venetiarum, animadvertens dissidium ejusmodi negotiis suis esse pestiferum, & deliberans illud sedare, Petrum ab exercitu, & Magnificum Obicionem de Polenta fratrem suum à Ravenna

A Venetias evocavit, deditque operam cum interpositione Obicionis placare Petrum, ut condescenderet ad concordiam: quo impetrato consensu revertebatur ad exercitum Petrus, & secum ibat Obicio, & quatuor Nobiles de Venetiis missi per Dominium Ducale, ut differentias sedarent, & Petrum, & Comitem Antonium dissidentes componerent in concordia. Cùm autem die XV. Julii navali itinere per Brentellam pergerent secus fines Plebis Sacci, affuerunt quamplures armati & balistarii pedites Domini Paduani, qui ad insidias in Ripa fluminis inter arundines latitabant, & naviculam traductam habebant, & mox naviculam ingressi

B impetierunt transeuntes, & manu violenta navem eorum trahentes ad ripam eos in captivitatem coëgerunt, & ad Fortilitium Plebis Sacci penes Jacobum de Panico ibi Capitaneum transtulerunt. Quos ipse Jacobus in custodia positos conservavit, Domino Paduano notificans. Erat tunc locus ille pestilentia Epidemiali infectus, ex qua Petrus de Polenta ægrefactus, paucis exactis diebus, interiit. Obicionem verò, & illos Nobiles Venetos Dominus Paduanus de manibus stipendiariorum emptos Paduam nocturno tempore, & occulto itinere fecit adduci, quos ad redemptionem sub gravissimis auri solutionibus coarctavit. Castrametante exercitu

C Venetorum in obsidione contra Paduam in Burgo Bassanelli, Johannes Beltraminus de Vicentia subditus & stipendiarius Venetorum, homo Nobilis & bellicosus cum gente equestri pauca, sed cum multis peditibus tam stipendiariis, quàm Comitatinis Vicentinis, occupavit loca montana districtus Paduani, & claustra montium, recipiens se ad Arquadam, Montanariam, ad Theolum, & alia principalia loca, & discurrens ad Montagnanam, Estum, Cittadellam, & alia proxima Oppida. Tunc primò homines Terræ Esti, contaminati per tractatum, ut fuit fama, ad instantiam Venetorum rebellarunt Domino Paduano, & interfecto Guercio de Pisis

D die XIII. Augusti, qui erat illic ad præsidia pro ipso Domino, tumultuarunt, Terram occupantes & Rocham, illasque genti Venetorum tradiderunt, videlicet Johanni Beltramino, qui facto ingressu Miles factus est, captivato Domino Michaële de Rabatha Milite ibi Præfecto & Loci Tenente pro Domino præfato: qui Dominus Michaël mox dimissus in libertate Paduam ad suum Dominum remeavit. Die verò XVII. Augusti facta simili conspiratione per homines de Montegnana, gens Venetorum Terram occupavit, exceptâ Rochâ, in quam confugerat Thomaxius de Mantua, qui erat eo tem-

E pore ipsius Capitaneus, & eam Rocham retinuit usque ad diem sextum Septembris, diætim prœlio pulsatam ab exteris; sed die ipsa, videlicet sexta Septembris, se reddiderunt intrinseci, & Thomasius Ferrariam adventavit. Quum constitisset Domino Paduæ obsesso intra Paduam, quòd exercitus Venetorum, qui campum tenebat in Burgo Bassanelli extra Portam Sanctæ Crucis, inordinatè atque improvidè stabat, multis etiam infirmatis, & quòd Dominus Galeacius de Mantua cum certa parte Armigerorum exercitus equitaverat Montemsilicem, die XXI. mensis Augusti decrevit exercitum ipsum facere

cere insultari per totam gentem suam, & multam partem populi Paduani. Idcirco eis positis in armis sub ductu Domini Francisci Tertii de Carraria ejus Filii, ipse Dominus Franciscus Tertius, Patre comitante usque ad Portam Sanctæ Crucis, & ibidem remorante, porta egressus cum gente tota præfata, magno & rapido impetu ad hostium tentoria convolavit, & animositate maxima hostes ipsos insultans, incensis etiam tentoriis & allogiamentis, stragem cruentam & captivationem plurimam committebat. Eratque jam Paulus Savellus captivitate confusus apud Ludovicum Comitem de Sancto Bonifacio, multi quoque alii notabiles deprehensi, vertebaturque totus exercitus in conflictum. B Tunc superveniens Dominus Galeacius de Mantua à Montesilice reprofectus, comperto tanto exercitus exterminio, mira strenuitate se ingerit in Paduanos illuc usque victores, quorum pars multa populando tentoria prædæ intenta erat, ipsosque inclementer cædendo & comprehendendo diro certamine afflixit atque fugavit ad Portam, redempto Paulo Savello, & ferè omnibus aliis, qui captivati erant in manibus hostium ante ejus adventum; vixque potuit Dominus Franciscus Tertius cum superstitibus se intra mœnia tempestivè satis recipere. Fuit utique prœlium illud multa utriusque partis cæde insigne, C ita ut peremptorum Civium Paduanorum corpora in quampluribus curribus permissione extrinsecorum in Civitatem ad tumulandum opus fuerit deportari. Erat isto tempore obsidionis in Civitate Paduæ terribilis fames usque ad hominum supremum interitum, erat & aliud malum atrocius, videlicet Pestis Epidemiæ tam horrida, ut trecenta ferme humana corpora caderent singula die. Nam ea tempestate Civitas illa erat admodum populosa; quòd Comitatini propter hostes in ipsam confugerant; & adeò fuit valida Pestis ejusdem vastatio, ut cùm se remisit, compertum fuerit, posito computo defunctorum, defecisse circa numerum D XXVIII. millium personarum. Multis quoque aliis calamitatibus Civitas eadem erat oppleta.

Die XIII. Septembris MCCCCV. Capitaneus Rodigii pro Ducali Dominio Venetiarum recuperavit & habuit fortilitia Venetii, & Campinovi, quæ per Dominum Paduæ tenebantur; idque effectum est sinè prœlii difficultate, præsidiis sponte cedentibus. Die XIII. Septembris gens Venetorum occupavit Terram Montis-silicis per consensum & defectionem intrinsecorum. Et die penultimo Octobris obtinuit Arcem inexpugnabilem loci ejusdem, cui præerat Dominus Lucas de Leone Miles, qui profectus Ferrariam, morbo affectus, brevi mortuus est. E Die XIV. Septembris Terra Leniaci districtus Veronæ, quæ adhuc tenebatur per Dominum Paduanum, accessit sub jugum Dominii Venetorum, præsidente illic pro Domino Paduano Domino Calcino Torniello Milite, qui se postea transtulit ad Civitatem Ferrariæ. Et his diebus obtinuit etiam gens Venetorum Castrum Baldum Paduani Territorii, Fortilitium præcipui roboris, cui præerat Dominus Bonifacius de Guarnerinis Judex, Domini Paduani gener ex filia naturali. Terra insuper Cittadellæ eisdem diebus, & alia nonnulla Oppida Domini Paduani ab ipso Domino ad Venetos defecerunt. Eodem tempore Officiales Ducalis Dominii existentes in Policino Rodigii occupari fecerunt Fortilitium Castriguielmi Districtus Ferrariæ, quod occupari fecerat, & tenebat Dominus Paduanus, & illud nomine Communis Venetiarum munierunt, atque applicuerunt subjectioni Capitanei sui Rodigii cum tota Villa & habitantibus illic. Per id tempus Dominus Paduanus tenuit cum Ducali Dominio Venetiarum assiduam practicam impetrandæ secum & obtinendæ concordiæ tam personaliter cum Provisoribus & Nobilibus Dominii Ducalis, qui in exercitu morabantur, quàm interventu Domini Lucæ de Leone, qui pro ipso Domino Paduano ante amissionem Montis-silicis ad eamdem practicam intendebat, & jam ad conventionis conclusionem ventum esse videbatur, quòd videlicet Dominus Paduæ Civitatem & omnem suam Jurisdictionem traditurus esset, & liberè dimissurus Ducali Dominio & Communi Venetiarum, recipiendo ab eis LX. millia Ducatorum, & possibilitatem se cum suis & omni sua suppellectili atque mobilibus liberè transferendi quocumque placeret. Verùm ductus postmodum pœnitentia idem Dominus, Consilii inops, uti in magnis malis solet contingere, à conventione resiliit: quæ res quia delusionis instar habuisse à Venetis putata est, eorum animos vehementiùs acerbavit. Eodem tempore Paulus Savellus, Generalis Capitaneus exercitus Venetorum Paduam obsidentis, gravi morbo correptus, & Venetias deportatus, infra paucorum dierum excessum è vita migravit, cujus corpus Ducale Dominium publico sumptu fecit apud Minores magnificè tumulari, & strenuum Militem Dominum Galeacium de Mantua in Capitaneum surrogavit. Die II. Novembris, Dominus Galeacius de Mantua Capitaneus exercitus Venetorum cum electis Armigeris se transferens ad muros & ad Portam Sanctæ Crucis Civitatis Paduæ, ferventi certamine introire mœnia conabatur; sed adveniens præsto Dominus Paduæ cum gente sua, & conserens prœlium, valde probè infestos hostes à mœnibus coërcuit, non paucis interemptis, & pluribus vulneratis.

Anno prædicto MCCCCV. die XXVI. Novembris. Continuato & tamdem in conceptos terminos redacto tractatu quodam, quem Provisores, & Capitaneus exercitus Venetorum duxerant cum Capitaneo Portæ Sanctæ Crucis Civitatis Paduæ, qui Capitaneus Domini sui postergato negotio, nocte, quæ præcedebat diem vigesimum sextum Novembris, nocturnos custodes mœniorum Civitatis in circumferentiis Portæ dolo trucidavit, & admissis intra cum scalis nonnullis de exercitu, repagulis Portæ confractis, aditum ministravit, Dominus Galeatius cum exercitu mane facto Urbem intravit in Burgum, qui dicitur Sanctæ Crucis, procedens deinde versus Pratum Vallis, & alterum ambitum mœniorum. Erat tunc casualiter Dominus Paduæ cum Domino Francisco ejus filio in partem illam Civitatis gratiâ providendorum egressus è Castro suo Paduæ, in quo morabatur, & de hostium ingressu nil noverat, cui nunciato eorum adventu jam loco illi proximorum, ipse protinus intra Castri

A Castri sui claustra confugit, continuòque vocatis nonnullis Civibus suis, de faciendis in tanto turbine consultabat. Tamdem inter discussiones eligendæ deliberationis inter illius calamitatis dispendia, fuit sibi consilium ad clementiam Ducalis Dominii Venetiarum confugere, & misericordiam, atque veniam suppliciter postulare, speranti ejusmodi supplicationes suas non futuras exortes gratiæ & indulgentiæ saltem in aliqua parte. Ista firmata deliberatione Dominum Galeatium evocavit per nuncium cum fidantia intra Castrum, ubi erant & Cives illi, & patefacta intentione sua, ab ipso Domino Galeatio impetravit salvum conductum ejus sibi con-
B cedi, quo sibi, & Domino Francisco filio suo fas esset migrare Venetias, atque redire tutè ab omni molestia exercitus, & totius gentis sub jurisdictione ipsius constitutæ, sancito inter eos sub nexu hinc inde traditæ fidei hoc pacto, quòd Castrum in manibus & custodia Domini Galeatii maneret usque ad reversionem Domini Paduani; quòd si concordia sequeretur, ipsius concordiæ conditiones servandæ forent. Siquidem remearet Dominus idem non concors, Castrum sibi per Dominum Galeatium esset liberè resignandum, & res in statum pristinum reducenda. Obtento igitur salvo conductu præfatus Dominus fatorum suorum nescius, &
C natus suus ærumnarum comes Dominus Franciscus in plebejo habitu, & cum paucissimis clientibus, ad infaustam profectionem se committentes, Venetias profecti sunt, & sinè intervallo moræ ad Ducale Atrium quam poterant incogniti emigrarunt. Deinde ad Domini Ducis & Consiliariorum præsentiam cum eorum admiratione non modica introducti, accessus sui causam, culpam propriam detestantes mixtam non paucis lachrymis, misericordiam & veniam genuflexi ad pedes ipsorum Domini Ducis & Consiliariorum implorare suppliciter conati fuere. At nullæ supplicationes, nullaque pietas aut lachrymæ Dominium illud ad clementiam ullam flecte-
D re potuerunt; quin immo illas cum multiplicibus conviciorum jactationibus fuit rigidissimè aspernatum. Et continuò missos in carceres eos mandavit sub fida custodia conservari. Post quæ festinanter Dominium idem, missis Commissariis suis Paduam ad Dominum Galeatium & exercitum, jussit Civitatem ipsam & ejus Dominium pro se & Communi Venetiarum occupari: quod utique factum est. Ægrè quidem tulit Dominus Galeatius modum illum, sed obedire necesse erat. Per hæc tempora Civitates Feltri, & Bellunæ de Provincia Forojulii sub Dominio Ducis Mediolani, permissione ipsius Ducis & Dominæ Ducissæ Matris suæ, venerunt sub jugum & Dominium Venetorum. Anno
E prædicto MCCCCV. die XX. Martii Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. & Magnificus Ugutio de Contrariis iverunt in Romandiolam ad parlamentum cum Magno Conestabili in Castro Bononiensi. Eodem Anno MCCCCV. die primo Junii. Porruperunt in hostilitatem & guerram ad invicem Dominus Legatus Bononiæ, videlicet Reverendissimus Dominus Dominus Baldasar Cossa parte una, & Magnus Conestabilis, videlicet Dominus Albericus de Barbiano Comes Cunii parte altera, exortis inter eos diversorum generum dissidiis. Die VI. Junii castrametante prœliaiter Domino Legato cum suo exercitu, cujus Paulus de Ursinis erat Capitaneus, in circumstantiis Castri Bononiensis, in quo Magnus Conestabilis cum gente sua morabatur, nonnulli Saccomani gentis ejusdem ad pabulandum exiverant: quo percepto Paulus Ursinus mandavit eos insultari, & rapi per suos. Cùm autem ad illos capiendos progressum est, Comes Manfredus, qui in armis accinctus erat cum gente sua, Insultatores ipsos velociter impetiit. Tunc Paulus Ursinus cum magno equitatu in istos irruit, & consertum fuit notabile prœlium inter partes, advenientibus continuè hinc inde aliis in suorum subsidia, & duravit certamen illud per tres horas, in quo multum strenuitatis actum fuit, quampluribus cæsis, captivis, & vulneratis partis utriusque. Fuit tamen deterior conditio gentis Magni Conestabilis aliquanto.

Eodem Anno MCCCCV. Cùm arderent gravissimo bello inter se Dominus Legatus Bononiæ, & Magnus Conestabilis, Illustris Dominus Marchio, & Magnificus Ugutio de Contrariis, gratiâ interpositionis concordiæ inter eos, die XIX. Julii equitarunt ad Podium in Bononiense Comitatu. Inde Ugutio perrexit ad Castrum Sancti Petri, ubi erant Dominus Legatus, & Magnificus Dominus Karolus de Malatestis, & ibi multa colloquia inter eos tres super conciliationis materia celebrata fuerunt per triduum. Rediit deinde Ugutio ad Dominum Marchionem ad Podium, quod tunc erat ipsius Ugutionis, & inde ambo Ferrariam remearunt. Post parlamentum illud successit treuga inter Dominum Legatum & Magnum Conestabilem, duratura per quindecim dies ad commoditatem concordiæ componendæ, ad quam multam solertiam adhibebant Dominus Marchio, & Karolus. Non secutâ concordiâ inter Dominum Legatum, & Magnum Conestabilem infra treuguæ terminum, & transacto, Dominus Legatus cum exercitu suo perrexit de mense Augusti ad campum apud Castrum Bononiense, ubi erat Magnus Conestabilis, & illic unam posuit Bastitam faciens, per Paulum Ursinum Capitaneum suum frequenter discurri faciebat, & turbari loca more bellico, fiebantque scaramuciæ, egrediente sæpe numero Comite Manfredo cum Armigeris illic ad servitia Magni Conestabilis demorantibus. Aderat & in auxilio Domini Legati Magnificus Dominus Karolus de Malatestis, requisitus ad ea Ecclesiæ servitia. Erat etiam Astorgius de Manfredis olim Dominus Faventiæ. Structâ & munitâ per Dominum Legatum Bastitâ contra Castrum Bononiense, ipse cum exercitu processit contra Fortilitia Oliani, & Montiscatoni, & eâ expugnatâ prœlio occupavit, quibus munitis, contra Granarolum tetendit, illudque similiter manu violenta devicit. Deinde in obsidionem Cutignolæ se contulit, & ibi per mensem unum vel circa castra tenuit, quotidie prœliando. Iisque diebus Checum de Sancto Severino virum strenuum secum militantem de seditionis vitio criminatum apprehendi jussit, quem postmodum ductum Bononiam fecit decapitari. Discedens postea à Cutignola de mense Novembris,

bris, quia de concordia agebatur, se cum exercitu amicabiliter transtulit Imolam, & adventante illuc Magno Conestabile, & digestis mutuæ conciliationis conditionibus, per interventum Karoli de Malatestis, fuit inter partes conclusa concordia acto inter cetera, quòd Rocha Castri Bononiensis, de quo erat præcipua controversia, deponeretur in manibus Caroli, usquequo de controversia diffinitivè cognitum esset. Post hoc rediit Carolus ad Patriam; Astorgius verò permissione Domini Legati se recepit ad Brisegellam Districtus Faventiæ. Dominus Legatus Bononiam petiit, intendens animum ad facta Forlivii, sicut infra dicetur. Magnus Conestabilis paucis exactis diebus à Castro Bononiensi ad Regem Apuliæ migravit profectione maritimà, dimittens in rebus suis Comitem Manfredum Nepotem suum. Eodem Anno de mense Augusti MCCCCV. Populus Civitatis Forlivii per rebellionem tumultuavit contra Magnificum Cechum de Ordelaffis ejus Dominum, & Civitatis ejusdem pro Sancta Romana Ecclesia Vicarium. Excitatus in furorem eucurrit in armis ad plateam, vociferans: Vivat Populus. Postmodum invadens Palatium, præfatum Cechum Dominum suum tunc ægrotantem coëgit ad mortem, vixque satis extinctum ignominiosæ tradidit sepulturæ: Adolescentulum quoque filium suum occidere non erubuit. Dominus Legatus Bononiæ post factam concordiam inter eum, & Magnum Conestabilem, de qua supra mentio facta est, immediatè decrevit inferre bellum Forliviensibus, qui extincto eorum Domino, Vicario Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Civitatis illius Regimen occupaverant, se ad omnem resistentiam præparantes, & armigeris gentibus munientes. Quare traducens idem Dominus Legatus de mense Novembris exercitum suum à Bononia Faventiam, inde Territorium Forlivii petiit hostiliter. Et primò posuit castra sua in Villa Sancti Martini secus Forlivium per duo milliaria, & ad ejus auxilia venit Magnificus Dominus Malatesta de Malatestis Cæsenæ Dominus; successivè processit ad expugnationem Serralei prope Forlivium, & devictâ per prœlium unâ ex Turribus ipsius Serralei, ipsam & passum ingressus occupavit. Fecitque continuò Bastitam illic configi validissimam, eam abinde muniens præsidiis ac gente, quæ Forlivienses obsidione assidua stimularet, & omnem succursus facultatem auferret. Et his effectis, ipse Dominus Legatus cum exercitu Faventiam retrocessit, consumptisque illic diebus aliquot ad res disponendas, Bononiam de mense Decembris profectus est. Dum erat Dominus Legatus de mense Novembris cum exercitu contra Forlivium, compertum habuit per literas Astorgii de Manfredis, quas ipse mittebat clandestinè Regentibus in Forlivio, & quæ ad manus Domini Legati venerunt, ut fama fuit, ipsum Astorgium usum esse perfidia contra eum, hortando illos Forlivienses ad aliqua, quæ dispendium agendorum Domini Legati in bello illo conspiciebant: Residebat tunc Astorgius in Oppido Brixigellæ Comitatus Faventiæ in Valle Lamonis, quam stationem ei Dominus Legatus gratis concesserat. Cùm autem Dominus Legatus Faventiam rediisset, Astorgium illico sub alia specie amicabili per Nuncium proprium accersivit, & eum profectum, & in sua convictum defectione, die XXVIIII. Novembris fecit in platea Faventiæ decapitari.

Anno prædicto MCCCCV. de mense Augusti. Instabant Romani, quòd Sanctissimus Dominus Innocentius Papa VII. arbitrium & custodiam nonnullorum fortilitiorum Romano Populo commendaret, quæ tutabantur quosdam passus versùs Regnum Regis Apuliæ, tunc cum Summo Pontifice dissidentis; cùmque id eis, tamquam ineptè petitum, à Domino concessum non esset, accesserunt Officiales Populi, qui dicuntur Capita Regionum, ad ipsius Papæ Palatium, rem ejusmodi cum multa insolentia repetentes. Quod dum Papa rursus aspernaretur, inhonesta plurima expromentes, vim inferre minabantur. Dum autem adesset Ludovicus de Sulmone Papæ Nepos, vir acer & strenuus, iracundia ductus, cum certa sociorum suorum Armigerorum comitiva prorupit in arma pariter & furorem, & irruens in Romanos illos, qui Papam taliter infestabant, multos ex eis, & aliquot ex Capitibus Regionum trucidavit, aliquos etiam à fenestris Atrii præcipitavit; reliquos turpiter excludens ab Atrio fugientes. Tunc concitato Romanorum tumultu contra Papam, fuit ei opus cogitare de fuga cum reliquo Clero; & repente egressus sub tutela Ludovici, & Mostardæ stipendiarii sui, concessit Viterbium. Nonnulli tamen Clerici & familiares sui, antequam fugiendi facultas adesset, in manus furentis Populi incidentes, vitæ suæ ultimum attigerunt. Istis exhortatus novitatibus Rex Ladislaus Rex Apuliæ ad spem Romani captandi Dominii, quia præsidia sua in Castro Sancti Angeli ante erant, exercitum transtulit apud Urbem, multa pertentans, & ferè Dominium intercipiens, neque desistens ab ejusmodi studiis, ingressis, & repulsis aliquotiens gentibus suis, donec per Romanos cum auxilio gentis missæ de Viterbo per Dominum Papam, Rex ipse cum exercitu suo fuit expulsus de Anno sequenti, ut infra patebit. De mense Augusti die XIIII. Populus Civitatis Pisarum, cui dominabatur Gabriel de Vicecomitibus natus naturalis quondam Domini Ducis Mediolani superioris, tumultuavit contra eumdem Dominum suum, vocitando: Vivat Populus, propter ob repentes nonnullas conjecturas & suspiciones, quibus ei Populo videbatur concipere, eumdem Gabrielem Civitatem Pisanam in Florentinorum Dominio pretio positurum. Tunc aufugit Gabriel intra Cittadellam, & Florentini gentem suam miserunt ad Cittadellæ præsidia, & ut etiam subjugaretur Civitas: quod minimè effici potuit, quinimmo gens ipsa à Pisano Populo fuit depulsa. Hoc facto, Florentini guerram Pisanis facere statuerunt, & magnum paraverunt exercitum, qui ad hostilitatem & obsidionem Pisarum missus est. Anno prædicto MCCCCV. Militante exercitu Florentinorum contra Pisas, Cives Pisani de parte Nobilium de Gambacurtis tumultuarunt, & Statum occupare voluerunt pro Gambacurtis, dicentes: Vivant Gambacurti, & moriatur Johannes de l'Agnella, qui cum Civibus partis suæ resistere conabatur; sed tamen vim

vim tantam sustinere non valens, succubuit strage in suos non modica ab adversariis patrata. Ipse quoque captivatus decapitatus fuit. Die XIII. Augusti Nicolaus de Maliciis Civis Ferrariensis, qui pro Domino Marchione erat Officialis custodiæ & Bulletarum Civitatis Mutinæ, fuit interfectus per Gerardum filium Jacopini de Rangonibus, & Albertum filium quondam Domini Cinelli de Savignano de Mutina, sive per ipsorum familiares, eis præsentibus, ante ostium domus ejusdem Nicolai, per fallaciam è domo evocati: quod quidem scelus attentarunt ex concepta per ipsos indignatione, quòd sero præcedenti Nicolaus idem pati noluerat, clausuram portæ Albareti differri in noctem, quantum illi volebant extra mœnia existentes: propter quod necesse habuerant extra Civitatem pernoctare. Peracto autem homicidio, paratos equos insilientes, & Civitate egressi, se ad sua Castella in montibus transtulerunt. Die II. Septembris Baxilio de Baldinis Factore Generali Domini Marchionis, posita & stabilita fuit columna marmorea, quæ sustinet voltas muri Palatii Domini Marchionis apud Canipam de novo factas, quia murus pristinus corruebat. Eodem Anno propter paucitatem frugum, & sterilitatem recollectorum bladorum duorum Annorum proximè transactorum, ac etiam propter guerras, fuit in Ferraria & Comitatu maxima frumenti & aliorum bladorum caritudo, & præsertim de mense Aprilis & Maji, ad miserandum hominum exterminium. Fuit quoque par indigentia in Lombardia, & Bononia, aliisque plurimis Civitatibus. Item eodem Anno in Æstate & Autumno fuit fera mortalitas hominum, ex Peste inquam, pluribus Regionibus Italiæ, & etiam Barbarorum; sed inter proxima loca fuit præcipua & miseranda clades Pestilentiæ in Civitate Paduæ tunc obsessa à Venetis, itaut repertum fuerit ea tempestate in Civitate ipsa ad numerum XXVIII. millium personarum, & in Policino Rodigii de decem evasisse vix duos. Fuit etiam ingens murium campestrium multitudo, qui germinibus frugum admodum nocuerunt.

Eodem Anno MCCCCV. die XV. Decembris. Reverendissimus Pater & Dominus Dominus Petrus de Candia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Mediolanensis veniens de Mediolano, & proficiscens Venetias per Ferrariam, fuit per Illustrem Dominum Marchionem receptus & honoratus in domo Paradisi, ubi mansit per biduum sumtibus Domini Marchionis. Circa medium Decembris incœpit congelari Padus, & adeò invaluit glacies per plurimos dies, quòd impedito molendinorum officio jam ad pistrinorum servitium confugere opus erat, nisi intercidisset aëris mollities, qua fuit glacies liquefacta. Anno prædicto MCCCCV. die Martis XVII. Novembris circa horam XXII. Natus est Ugo Aldrovandinus filius naturalis primogenitus masculus Illustris & Magnifici Domini Domini Nicolai Marchionis Estensis &c. ex Magnifica Domina Stella de l'Assassino. Et die XXIII. Decembris fuit baptizatus in Majori Ecclesia Ferrariense, qua die fuit Festum Sanctæ Luciæ in maximæ celebritatis honore, quem de sacro fonte levaverunt Dominus Orlandus de Campo-Fregoso Miles, & Legum Doctor, & Dominus Antonius de Montecatino Legum Doctor procuratorio nomine Reverendissimi in Christo Patris & Domini Domini Baldissaris Cossæ Cardinalis tituli Sancti Eustachii, ac Legati & Vicarii Civitatis Bononiæ pro Sancta Romana Ecclesia, & Dominus Johannes Ramberti de Malatestis Nuncius & Procurator Magnifici Domini Caroli de Malatestis Domini Ariminensis, & Dominus Bartholomæus de Gonzaga Miles, Nuncius & Procurator Magnifici Domini Domini Francisci de Gonzaga Domini Mantuani, & Reverendus Pater Dominus Nicolaus de Bojardis Procurator & Syndicario nomine Communitatis Mutinæ. Et die ipsa in exultationis signum Artes Civitatis Ferrariæ multum Festivitatis celebrarunt, facientes hastiludia gaudiosa; fuitque cursitatum cum equis ad unum Bravium. Dominus Episcopus Ferrariæ insuper cum toto Clero Processionem instituit solennissimam. Anno eodem MCCCCV. Constructa fuit Ecclesia nova Sancti Juliani cum mansionibus suis in Civitate Ferrariæ juxta Castrum, quam ædificari fecit Egregius Vir Galeotus de l'Avogario Civis Ferrariensis, Protocamerlengus Domini, loco alterius Ecclesiæ Sancti Juliani olim solitæ esse in Contrata illa, & dirutæ in ædificatione Castri, comprehenso loco illo in ambitu fovearum.

Anno Domini MCCCCVI. de mense Januarii. Quia Episcopus Civitatis Tridenti, & Dominus ipsius Civitatis, tempore belli Veronensis occupaverat ripam Tridenti, quæ consueverat esse sub ditione Veronæ, Ducale Dominium Venetiarum, per strenuum Militem Dominum Galeacium de Mantua Capitaneum suæ gentis, transivit in hostilitatem contra ipsum Episcopum Tridentinum, factæque fuerunt per eumdem exercitum multæ discursiones & populationes in finibus illis; sed tamdem non succedente ad votum negotio, & hyemali non patiente temporis intemperie, fuit de cessione consilium. Rediit enim de mense Februarii in Territorium Veronense, sed hostiliter seposità Venetorum amicitià propter exortam controversiam occasione non sibi satìs exoluti stipendii, depopulans, atque prædans, & certa hostilia damna pertractans, sola tamen hominum captivatione excepta, donec à Venetis per numismatis remedium fuit illa rabies mitigata. Eodem Anno MCCCCVI. die XVIIII. Januarii. Generosus Dominus Franciscus de Carraria olim Dominus Paduæ, Dominus Franciscus Tertius, & Dominus Jacobus ejus filii, qui omnes in fortia Serenissimi Ducalis Dominii carceribus tenebantur intrusi, violento interitu decesserunt. Fuitque Domini Francisci majoris corpus in feretro per infimæ conditionis gerulos, modica & plebeja comitante caterva, palàm delatum ad tumulum ad Ecclesiam Sancti Stephani, & ibi humili sinè ulla pompa funerali reconditum sepulturæ. De sepulchro verò filiorum diversimode traditum fuit. Fuit enim fama corpora eorum noctu clandestinè fuisse sepulta apud Sanctum Marcum Buccalamiæ, prius in carcere laqueis strangulata. Alii tenuerunt, eos vivos demersos in mari, & in Pelagi profundo infelicem suorum dierum exitum habuisse. Patrem

trem verò laqueo necatum in carcere, certum fuit. Atque hæc fuit summa excidiosæ calamitatis, & extremæ defectionis dominatus inclytæ Domus Carrariensis: tanta est humanarum felicitatum ærumnosa mutatio, & excelsiorum fastigiorum præceps & improvisa dejectio. Superfuerunt ex præfato Domino Francisco duo filii adolescentes legitimi, scilicet Dominus Ubertinus, & Dominus Marsilius, quos ipse, præcognitis ruinæ suæ indiciis, à se abdicaverat, & fecerat in Tusciam transmigrare. Die XXII. Januarii Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Estensis &c. ivit Venetias ad parlamentandum cum Ducali Dominio. Eodem Anno MCCCCVI. Februarii incœpit ningere, & in tantam copiam excrevit, quòd vix à memoria tunc viventium hominum traditum fuerit, nullam aliam præter unam fuisse altiorem: sed paucis perstitit diebus propter advenientes pluvias, quæ illam solverunt. De mense Martii nocte sequenti post diem Martis secundum Martii circa septimam horam natus est Meliadux Nicolaus filius naturalis Illustris & Magnifici Domini D. Nicolai Marchionis Estensis &c. ex egregia Domina Katelina Magistri Tadæi Medici de Ferraria. Quem puerum levaverunt de sacro fonte Magnifici Milites Dominus Thomas de Obbicis de Lucha, & Dominus Karolus de Foliano. De dicto mense Martii Brina cremavit vites, & pampinorum germina in Comitatu Ferrariæ, taliter quòd pæne totam vini frugem præripuit. Anno eodem MCCCCVI. Cùm esset Viterbii Dominus Papa Innocentius cum sua Curia, & Rex Ladislaus Rex Apuliæ vehementer inquietaret Romam, aspirans ad illius Dominium, Dominus Papa, requirentibus Romanis, qui Regis tœdio jam affecti cœperant mitigari, misit Paulum de Ursinis, & Mostardam Papalis gentis Capitaneos cum exercitu ad Romæ succursum, & Regis expulsam. Qui reperta parte gentis Regis ad numerum DCCCC. equestrium, inter Viterbium & Romam ipsam totam prœlio expugnarunt. Deinde progressi Romam, omnem conatum Regis, Romanis adjuvantibus, expulerunt, & rem in tuto posuerunt. Tunc verò Romani insistere cœperunt, ut Dominus Papa à Viterbio remearet ad Urbem: quare circa principium mensis Maji ipse cum Curia, Romanis exultantibus, migravit in Urbem.

Anno isto MCCCCVI. de mense Aprilis. Propter incessantem perfidiam & fraudulentias implacabiles Obbizonis de Montegaruleo Castellani in Fregnano, & filiorum suorum non deviantium à moribus paternis, & quotidie struentium dolos & insidias multorum generum contra Illustrem & Magnificum D. Dominum Nicolaum Marchionem Estensem &c. Dominum suum, à quo idem Obbizo innumerabiles beneficentias, & multorum Castrorum gubernationem acceperat, & opprimentium subditos ipsius Domini in Fregnano, & novissimè occupata dolo & fraude Terra Lovæ Oppido Domini Marchionis in Fregnano per Nerium dicti Obbizonis filium: decrevit idem Dominus Marchio eum bello corripere. Dato igitur Magnifico Ugutioni de Contrariis negotio, is Ugutio militaturum ad Obbicionis dispendia paravit exercitum cum bellicis apparatibus, cui præfecit in Capitaneum virum egregium Ugonem de Bojardis. Et erat tunc absens Obbizo militans in Tuscia ad servitia Florentinorum contra Pisas; sed aderant filii sui generosa progenies. Transivit igitur Ugo cum exercitu in Fregnanum, & tam obsidione & prœlio violento, quàm defectione Communitatum ab Obbizone ad Dominum Marchionem, quamplurima ex Obbizonis fortilitiis brevi tempore capta sunt. Procedebaturque ad reliqua rapienda; sed interposita per Dominos Florentinos ad preces Obbizonis apud Dominum Marchionem rogatione de guerra suspendenda, & de tractanda concordia, & ob id missis Oratoribus suis Ferrariam, fuit per Dominum Marchionem indulta belli sufferentia, & exercitus revocatus, munitis eis, quæ ablata fuerant Fortilitiis, & ut ad concordiæ practicam, ut videlicet conciliationis impetrandæ apud Dominum Marchionem facilior daretur occasio. Placuit Legatis Florentinis, annuente Domino Marchione, Nerium Obbizonis filium adventare Ferrariam, qui ad concordiæ fœdera se supplicem & pronum ostendebat, nequiter se humilians, interiora verò dolo plena gerens. Sed tamdem, eo resiliente à conclusione conditionum, evasit infectâ concordiâ, & ipse ad sua fortilitia emigravit. Insequenti verò mense Junii die ultimo Ugutio iterato intentus ad exterminium tam reproborum hostium, Mutinam prœlialiter militavit, & denuo misit exercitum præfecto in Capitaneum egregio milite Domino Nanne de Strociis de Florentia Domini Marchionis provisionato; & eo tempore rediit Obbizo abdicatus à servitio Florentinorum, ut rei propriæ subveniret. Verùm non obstitit ejus adventus, nullaque ejus astutia profuit, quin ad proximos desolationis ultimæ limites cogeretur per primum & ultimum bellum, amissis omnibus fortilitiis suis præter tria, videlicet Montem . . . . . ., Montembonetum, & Mocenum. Ultimaque asperrima omnium clades sua fuit, quòd sui roboris firmamentum & spem Rocham de Pelago sibi raptam agnovit, & captum in ea Antonium filium suum, qui Mutinam ductus fuit, & intra Castrum carcerali custodiæ commendatus. Nec quidem illa tria Fortilitia superfuissent eidem Obbizoni, nisi per astutiam suam, & perfidiam Domini Karoli de Foliano hactenus adhærentis & provisionati Domini Marchionis, nuper verò facti reprobi, effectum fuisset, quòd Dominus Ottobonus Tertius Parmæ Tyrannus sua præsidia destinasset sub nomine ipsius Domini Caroli, quasi viderentur ipsa sibi Fortilitia commendata. Die XXVIII. mensis Aprilis Dominus Legatus Bononiæ duxit exercitum suum contra Forlivium, contra quod Anno proximè transacto de mense Novembris militaverat, & obsideri fecerat usque in tempus præsens per bastitas & gentem suam tunc ibi dimissas, adeò quòd Forliviensis Populus plurima victualium sentiebat incommoda, tentaveratque se commendare Communi Venetiarum: quod Ducale Dominium intuitu Domini Legati admittere noluerat. Erat & is Populus lassatus gravaminibus expensarum stipendii armigerorum, & facta per ipsum Dominum Legatum stricta obsidione cum bellicis invasionibus quotidianis adversùs Civita-

vitatem eamdem Forlivii, eam tamdem ita oppressit, quòd redactos ad extremum Cives eos ad deditionem coëgit, & firmatis conditionibus, quæ in deditione actæ erant, Populus ipse Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Domini Legati jugum subivit die XIX. mensis Maji.

Anno prædicto MCCCCVI. de mense Novembris Albertus de Savignano filius quondam Domini Cinelli de Savignano tunc bannitus à Civitate Mutinæ propter homicidium Nicolai de Maliciis olim Officialis custodiæ Mutinæ, & habitans in Fortiliciis suis montanis in Comitatu, interfici fecit consanguineos suos Ugolinum, & Cinellum fratres, filios quondam Domini Jordani de Savignano, atque occupavit Terram Savignani, & reliqua eorum fortilitia. Eodem Anno MCCCCVI. die Sabbati mensis Maji, quo die fuit Festum Victoriæ Sancti Michaëlis, fuit tantum profluvium pluviale, quantum nullus vivens in Ferraria se vidisse suo tempore dixerit, adeò quòd in platea & vicis viderentur stagna aquæ permaxima, & nulla domus tegularum protectione valeret interioris penetrationis & asperginis expers esse. De dicto mense Maji cùm Dominus Ottobonus de Tertiis, Parmæ & Regii Tyrannus, Civitatem Placentiæ detineret, quam de Anno MCCCCIV. occupaverat, Facinus Canis cum exercitu adventavit. Verùm ipse Tyrannus in discessu suo cladem & ruinam more diabolico secum trahens, eamdem totam Civitatem depopulationi exposuit scelere prædæ. Die XXIII. Maji cùm exercitus Florentinorum obsideret Pisanos, ipsi cum gente sua armigera egressi fuerunt Civitate, ut exercitum insultarent: quod cùm attendisset exercitus, illos impetiit, & pugnâ maximâ conflictavit, cum ingenti captivitate multorum, sed præcisè Civium ad numerum trecentorum. Die IX. mensis Octobris Florentini habuerunt dominium Civitatis Pisarum, quam per exercitum suum missum illuc de mense Augusti Anni proximi præteriti multo bello & continua obsidione opprimi fecerant, vastatis agris, & debellatis fortilitiis quamplurimis Comitatus, adeò quòd Pisanus Populus fame compulsus, & laboribus lassatus, expersque spei habendi alicunde subsidii, quamvis in Florentinorum antiquorum hostium jugum lachrymanter accederet, jugum tamen ipsum fuit subire coactus, introducto exercitu, cujus tunc erat Capitaneus vir strenuus Sfortia de Cutignola, & ante dux ejus fuerat Obbizo de Montegarulo. Die ultimo Julii Cabrinus de Fondulis Civis Cremonensis per dolum Civitatis Cremonæ dominium occupavit, captivato Domino suo Carolo de Cavalcabobus in illo dominio, & captivatis secum spectabili & notabilissimo Milite Domino Andreasio de Cavalcabobus, & quatuor aliis Nobilibus de eadem domo, quos omnes intra Arcem Cremonæ carcere fecit intrudi, & demum necè pessima deperire. De mense Augusti MCCCCVI. revelata fuit quædam seditio in Civitate Bononiæ tentata per aliquos cives contra Statum & Personam Domini Legati: quare nonnulli ex conspiratoribus deprehensi laquei suspendio periere. De dicto mense Augusti Serenissimus Princeps & Dominus Dominus Ladislaus Rex Apuliæ se composuit ad conciliationem & gratiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Romani Pontificis, videlicet Sanctissimi Papæ Innocentii VII. nam antea ab invicem dissidebant; & Castrum Sancti Angeli, quod fecerat occupari, Domino Papæ restituit. Propter quam conciliationem à Domino Papa significatam Domino Marchioni suis literis, facta fuit in Civitate Ferrariæ per universum Clerum Processio solennissima ad Dei laudem die XII. Septembris.

Anno prædicto MCCCCVI. die quinto Novembris Sanctissimus Dominus Papa Innocentius VII. in Urbe decessit. Et die X. mensis Decembris electus & creatus fuit successor ejus Sanctissimus Dominus Gregorius XII. antea Dominus Angelus Corario de Venetiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sancti Marci Cardinalis Constantinopolitanus. Verùm ante hujus electionem ipse & ceteri Cardinales in Conclavi juxta morem pro electione congregati, unanimiter statuerunt, voverunt, & juraverunt, quòd in quemcumque Cardinalium contingeret venire electionem Pontificatus, danda esset per eum efficax vera & possibilis opera ad tollendum Schisma, quod in Ecclesia Dei erat, & quod à triginta Annis citra continuè persisterat per scelus Antipapatus in Gallia existentis, cujus errori Francigenæ, & Gallicanæ, certæque aliæ gentes obedientiam in Spiritualibus & Ecclesiasticis præstabant, & in quo Antipapatu nunc Sedem occupabat Dominus Petrus de Luna Catellanus, appellatus apud suos Papa Benedictus XIII. etiamsi ad cessionem & renuntiationem Pontificatus pro eligendo Pontifice veniri oporteret, cedente pariter Antipapa, & ad novam unici Pontificis electionem, aut per aliam viam quamlibet commodiorem, dummodo Ecclesiæ unio sequeretur &c. Quam eamdem deliberationem prælibatus Dominus Papa Romanus mox electione sua facta, denuo se executurum vovit, confirmavit, atque juravit. Eam itaque exequi statuens, continuò per Literas suas, & deinde per solennissimos Oratores, electionem suam, ac deliberationem, & intentionem ejusmodi significavit Antipapæ, qui tunc Massiliæ residebat in Provincia, illum hortando, requirendo, & invitando ad unionem Ecclesiæ per omnem opportuniorem viam, etiamsi per cessionem utriusque eorum à Pontificatu, & novam Pontificis electionem id fieri oportere videretur. Ad quam renuntiationem, & cessionem, & aliam quamque viam necessariam se paratissimum offerebat, proponens insuper & instans de loci delectione, in quo per utrosque cum suis Collegiis esset conveniendum, similiter & de tempore. Significavit & hoc idem Domino Regi Francorum per Literas, & Legatos, eum hortando ad consensum & operam unionis. Annuit, & summè laudavit Rex, & annuit Antipapa, se promptissimum exhibens, & actitato solemniter de loci & temporis constitutione, fuit tamdem de utroque conclusum: de loco, videlicet de Civitate Savonæ; & de tempore, ad Festum Sancti Michaëlis de Septembri, vel quàm longius ad Festum Omnium Sanctorum, in casu quo contingeret id aliquo legitimo impedimento differri, sub multis aliis conventionibus & provisionibus, secundùm quod ad tanti

tanti negotii convenientiam pertinebat. Die XIX. Aprilis: Defluxit Brina, quæ crematvit palmites novos vinearum in Ferrariensi Territorio quasi per omnia loca, itaut ademptus esset uvarum recollectus pro illo Anno ferè totus. Anno prædicto MCCCCVI. de mense Maji factum fuit Ferrariæ in Monasterio Sancti Andreæ Capitulum generale Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini. Fratres verò, qui ad ipsum Capitulum convenerunt, fuerunt circa numerum CC. inter quos erant Magistri in Sacra pagina circa XXX. Et tunc per Generalem suum publico Privilegio concessa fuit facultas & auctoritas Conventui loci Sancti Andreæ de Ferraria tenendi & habendi perpetuò Studium in quacumque facultate & scientia Religiosis convenientibus. Item pro bono loci ejusdem ipse Generalis constituit quòd Rectores loci, utpote Priores, & Lectores de cetero essent ab eo & Successoribus suis tantùm eligendi. Et hæc facta fuerunt studio & procuratione Reverendi Patris Magistri Jacobi à Nevolis de Ferraria famosi Theologiæ Magistri, in eo Monasterio residentis, quem præfatus Generalis præfecit in Gubernatorem loci illius, quamdiu vita fungeretur. Nam antea erat idem locus defectu Regentium minus bene correctus. Die XXVII. Maji Campanile Ecclesiæ S. Clementis de Ferraria senio confectum corruit, partem Ecclesiæ secum trahens. Die nono Junii circa secundam noctis horam fuit clades maxima grandinis defluentis continuè per unius horæ spatium, quæ campestres fruges contrivit in Villis Bauriæ, Scornii, Corrigiæ, Viginovi, Albareti, & partim Mansorum, læsit quoque complures alias Villas Comitatus Ferrariæ. Die XVI. Junii circa decimam horam fuit Eclipsatio Solis, quæ paulò longius quàm per horæ dimidium perduravit. Eodem Anno MCCCCVI. die XI. Septembris Magnificus Dominus Malatesta de Malatestis Dominus Cæsenæ venit Ferrariam, & mansit penes Illustrem Dominum Marchionem in Ferraria, & deinde in Copario per triduum, ad oblectamentum aucupii.

Anno Domini MCCCCVII. die Veneris XXI. Februarii. Erant in campestribus Binasci Mediolanensis territorii tenentes castra Dominus Ottobonus de Tertiis stipendiarius Domini Ducis Mediolani cum exercitu parte una, & Facinus Canis stipendiarius Gabrielis de Vicecomitibus fratris naturalis, sed adversarii Domini Ducis, cum exercitu parte altera, insimul bellorum strepitibus dissidentes propter occupatum Binascum à Gabriele, quod erat Domini Ducis. Cùm autem decrevisset Facinus Dominum Ottobonum subito insultu improvisum impetere, armatus cum gente sua ad illius castra pergebat. Sed contigit Dominum Ottobonum eadem hora cum gente sua etiam in armis esse, facto eodem conceptu de insultando Facinum ad ejus tentoria improvisum, & jam pergere versùs illa; deditque occasio ut alterutrum obviarent. Mox itaque invicem insultantes, prœlio opus datum est sævissimo. Et tamdem eo sedato per captivationem & cædem plurimorum, utrique ad sua tentoria redierunt. Fuerat tamen Domini Ottoboni sors multo deterior: ex quo indignatus & fulminans, reparato ad omnem suum conatum exercitu, coadjuvante Domino Jacobo

A de Verme, qui etiam in expeditione illa erat, ad Facini castra se transtulit, & eum incautum, vixque primos anhelitus deponentem insultavit, adeòque corripuit prœlio repentino, quod conflictatus cum gente sua Facinus ipse fugam pro remedio sibi deligere necesse habuerit intra Binascum, & ex gente sua captivorum numerus ingens fuit transcendens summam mille equestrium. Tunc etiam Marchoaldus de la Rocha famosus armiger, & socius Facini, fuit per manus Domini Ottoboni interfectus. Nam cùm jam captus & dearmatus capite esset, & interrogaretur à Domino Ottobono, ubinam Facinus esset, respondissetque se nescire,

B nec quidem se dicturum, si etiam sciret: Dominus Ottobonus furialiter eum vulneravit in gutture cuspide ensis sui, ex quo illico extinctus est. Eodem Anno MCCCCVII. die VIII. Martii Magnificus & potens Dominus Dominus Franciscus de Gonzaga Dominus Mantuæ decessit in Civitate sua Mantuæ, correptus morbo impeditæ possibilitatis officii vesicæ, cui in dominio & bonis hereditariis successit Magnificus filius suus Dominus Johannes Franciscus de Gonzaga, adolescens ætatis XV. annorum vel circa. Die XVII. Augusti Dominus Ottobonus de Tertiis Tyrannus Parmæ, nulla præeunte inimicitiæ causa gentem suam, quæ erat ad numerum plurium quàm duorum millium equi-

C tum, duxit castrametatum apud Mirandulam partim, & partim in Territorio Sancti Felicis, stationavitque ibi per mensem unum & ultra, depopulando igne & præda quicquid potuit in Territorio Mirandulæ, & præcisè quantitatem maximam bestiarum, discurrendoque fines Sancti Felicis, & totius planitiei Mutinensis, prædando quoque bestiamina, & mobilia quæque reperta ad inextimabilia ferè dispendia Mutinensium. De mense Augusti Dominus Ottobonus de Tertiis Tyrannus Parmæ magna & detestanda usus est perfidia adversùs plurimos Mercatores, quibus fidantiam & salvumcondu-

D ctum concesserat tuti transitus habendi juxta & per Jurisdictionem ejus, infra per Padum veniendo de Mediolano cum septem navibus grossis onustis mercationibus pannorum, merzariæ, armorum, aliarumque diversarum rerum. Nam cùm attigissent naves ipsæ ad fines ejus, idem infractâ, quam præstiterat, fidantiâ & salvoconductu suo, impudenter naves cum mercatoribus & mercantiis rapuit, & Parmam advexit, & insuper mercatoribus taleas redemptionis imposuit, prætendens se ad ista sic facienda inductum, ut sibi ipsemet satisfaceret de ingenti summa pecuniæ, quam pro suis stipendiis Dux Mediolani sibi debebat. Fuit fama esse in navi-

E bus illis nongentas petias panni Mediolanensis, & circa MDC. pancerias, merzariæque maximam sarcinam, & rerum aliarum, quarum rerum omnium sic raptarum fuit communis opinio valorem transcendere summam CL. millium Ducatorum; & volebant Mercaturas illas traducere Venetias, quorum aliqui Venetiis habitabant, alii Mediolani, aliique in locis aliis.

Anno eodem MCCCCVII. die V. Septembris Pontifex Romanus, videlicet Beatissimus Pater & Dominus Gregorius Papa XII. propter juratum & promissum suum, quod

fecerat electionis suæ tempore, de dando operam ad Schisma tollendum, & unionem Ecclesiæ faciendam, sicut ante fit mentio in Capitulo creationis suæ in Anno MCCCCVII. cum suorum Collegio Cardinalium ab Urbe profectus appulit in Civitatem Senarum, debens ultra procedere ad locum talis negotii & practicè destinatum, videlicet Savonam, & ad præfixum temporis terminum, scilicet ad Festum Omnium Sanctorum, de quibus loco & tempore ipse & Antipapa convenerant. Posuit Papa idem residentiam suam & Curiæ suæ illic in Senis, deposito omni pristino fervore desiderii, quod pridem ostentabat, ad pergendum Savonam juxta deliberatum habere, quasi locum illum non satis sibi confidatum, sed suspectum habere videretur, plurimas insuper causas & rationes recusationis adjungens. Cùm jam igitur Antipapam adventasse cum sua Curia Savonam percepisset, Legatos suos ad eum misit, qui multa eloquii gravitate & causarum efficacia de recusatione loci ejusdem referrent, alium idoneum & communiorem locum eligendum esse proponentes in conterminis utriusque obedientiæ, & nominarunt loca Portus Veneris, & Sarzanæ, pro Antipapa, & Locum Petræ Sanctæ pro Papa: quamquidem exceptionem Antipapa admodum detestans, habere molestissimam visus fuit; sed nihilominus tamdem in loca ipsa consentiens, ea aditurum se obtulit. Proinde Legatis Papalibus dixit, quòd Papam repeterent, seque Oratores suos ad Papam missurum circa materiam. Misit ergo eos de mense Novembris, & venerunt simul Legati Regis Francorum, qui adeuntes Papæ præsentiam proposuerunt se, juxta sibi commissa à Dominis suis, Legationis suæ seriem explicaturos, sed palàm velle concionari, & in loco nulli audire volenti prohibito. Placuit esse concionandum in Atrio Episcopali, in quo Papa residebat. Ibi igitur coram Papa, astantibus Cardinalibus, & concurrente ingenti Senensis Populi copia, Legati ipsi palàm suam Legationem mirabili cum elegantia depromserunt, omnia repetentes, quæ inter Papam & Antipapam pro unione Ecclesiæ efficienda fuerant agitata, & objicientes retrofugium Papæ ab electione facta de loco, adjicientes quoque promptitudinem Antipapæ, & multa inferentes ad justificationem suam, & in onus atque defectum Papæ &c. Hæc omnia etiam replicarunt Oratores Regis superaddentes multa, quæ ad detestationem defectionis Papæ à deliberatione pristina pertinebant, Papæ exceptionem, quòd videlicet Savonæ Locum non sibi satis confidatum objiceret, execrantes, & multis rationibus condemnantes. Continuò præfati Antipapæ Legati concluserunt, quòd his omnibus non obstantibus, Antipapa contentabatur de locis ultimò propositis & nominatis, videlicet Portu-Venere & Sarzana pro eo, & de Petra Sancta pro Papa, & offerebat se ad illa venturum, secundùm quod etiam per suas patentes Literas significaverat, & se obtulerat, & insuper protestati fuerunt, & protestatione Papam requisiverunt, ut infra competentem & brevem terminum ad Petram Sanctam accederet, sicut & Antipapa ad Portum-Venerem. Ceterum Ambasciatores Regis Francorum obtulerunt

A Sarzanam, & etiam si opus esset, Castra propinqua de Comitatu Sarzanæ seu Lunisanæ, quæ erant in manibus Regis. Per ista igitur sic actitata decretum fuit Dominum Papam transmigrare ad Lucanam Civitatem, quod in sequenti Anno factum est, & deliberatio efficiendæ unionis per viam cessionis sancita fuit.

Anno prædicto MCCCCVII. die XXI. Mercurii Septembris circa undecimam horam, natus fuit Leonellus filius naturalis Illustris & Magnifici Domini Domini Nicolai Marchionis Estensis ex Egregia Domina Stella dell'Assassino de Ferraria, & eum de Baptismate Sacro levaverunt Spectabiles
B & Egregii Dominus Thomas de Obbicis Miles, Dominus Philippus de Pisis Miles, Dominus Albertus de Sale Miles & Gerardus de Bojardis. Eodem Anno fuit reædificata Ecclesia Sancti Romani Civitatis Ferrariæ in decentiori forma quàm pristina. De mense Decembris die XVIIII. Incœperunt nives & frigora terribilia, quæ homines, & animantia cuncta multum affecerunt, infinitusque numerus animalium minutorum silvestrium, & avium propter nivem & frigus atque glaciem defecit, ingens quoque piscium copia. Quæ nives cum frigore diuturnæ fuerunt super Terram ferè usque in Veris adventum, nec erat apud senes & antiquissimos
C homines recordatio tanti frigoris, & tam diuturnæ ac sevæ hyemis tempestatem suis vidisse diebus. Multa fuit dissiccatio Vinearum & Arborum, specialiterque Ficorum, pomorum granatorum, corillorum, & similium fructiferarum imbecillis roboris arborum. De mense Decembris Serenissimum Ducale Dominium Venetorum Legatos suos misit Senas ad Dominum Papam, ubi tunc etiam erant Oratores Antipapæ, & Regis Francorum, pro facto Unionis Ecclesiæ, ad dandum intercessum & operam ad ipsam Unionem practicandam & conficiendam tam penes Papam, & Oratores Antipapæ, quàm personaliter apud Regem, & Antipapam, si
D expediens videretur eos adiri. Quod ideo fecit præfatum Ducale Dominium, tum ut opus daret tanto bono Unionis, & tum ut recideretur multorum opinio, quorum videbatur esse sententia, quòd ipsius Unionis processus per Papam negligeretur studio Venetorum, quia & ipse Venetus erat. Legati quidem ipsi fuere viri spectabiles & egregii, Dominus Marinus Garavello, & Dominus Zacharias Trivixano Miles, & Juris utriusque Doctor, cum XXX. equis. Qui die XXIIII. Decembris Ferrariam appulerunt, receptati in domo Ugutionis sumptibus Domini Marchionis, & peracta Nativitatis die, ad incœptum iter versùs Senas tetenderunt.
E Eodem tempore. Legati Florentinorum, & Bononiensium, & ante, atque post, ingens numerus Legatorum diversarum gentium ad eumdem locum Senarum convenerunt ob eam ipsam causam, ut ad Unionem omnis cura & opera traderetur. Eodem Anno MCCCCVII. Ædificatum fuit Monasterium Sancti Spiritus, dedicatum Regulæ Fratrum Observantiæ Sancti Francisci in Burgo inferiori Civitatis Ferrariæ secus Sanctum Silvestrum, quod Monasterium construi fecit propriis sumptibus vir egregius Bartholomæus de la Mella Civis honorabilis Ferrarien-

riensis, Referendarius & Consiliarius Domini Marchionis, homo integræ bonitatis, inchoatum de mense Aprilis Anni hujus, & pæne perfectum in Anno sequenti: tanta fuit devotio & solicitudo conditoris ipsius.

Anno Domini MCCCCVIII. die III. Januarii in Aurora fuit Terræmotus, sed brevis, & modicæ excussionis. De mense Januarii Illustrissimus Dominus Dux Aurelianensis germanus Serenissimi Principis & Domini Domini Karoli Francorum Regis, cæsus fuit in Civitate Parisius per quosdam familiares Illustris Principis Domini Ducis Burgundiæ affinis sui tunc degentis Parisius, dum nocturno tempore ab Atrio Regio domum suam rediret eques, incautus, & duobus tantùm familiaribus sociatus. Hujus cædis fuit fama, auctorem fuisse præfatum Dominum Ducem Burgundiæ æmulatione potentiæ, & instinctu aliarum occultarum simultatum, nec non capitalium insidiarum inter eos dissimulanter vigentium, licèt per exteriores actus inter se esse gratiam & amicitiam fingerent. Ea peracta cæde, dum Dux Burgundiæ se insontem ostendere conatus, tamdem agnosceret culpam suam obumbrari non posse, & excidii sui periculum imminere, quamvis in Urbe illa Parisius potentatu non modico fungeretur, decernens per absentationem saluti suæ tutius consulendum, cum modico equitatu clam atque festinanter abiit à Parisius, & in suas concessit regiones. Superfuit ex occiso Duce Aurelianensi soboles masculina, geminorum videlicet filiorum, quorum alter natu major mox titulo paterno succedens, Dux Aurelianensis dictus est; alter verò Virtutis Comes & antea & postmodum dicebatur. De mense Februarii. Cùm Baptista de Monteflore, & Stangelinus de Palude, magni Caporales Armigerorum, militantes in stipendiis Domini Ducis Mediolani, cum copiis suis apud Oppidum Busti degerent contra Facinum Canem hostem Domini Ducis illic castra tenentem, Stangelinus corruptus à Facino Baptistam socium proprium, improvisum, & nil tale verentem, dolo atque ferro obtruncavit, & captivatis primoribus ex socialibus ejus, ipsos & ceteram turbam equis armisque spoliavit, & mox se transtulit in castra Facini. De dicto mense Februarii Dominus Dux Mediolani per obsidionem & alia belligera adminicula recuperavit Castrum suum Portæ Zobiæ Civitatis Mediolani, in quo sibi rebellabant Gabriel de Vicecomitibus frater suus naturalis, & Antonius de Vicecomitibus cum nonnullis aliis fautoribus, eo Castro per eos occupato de Anno proximè præterito per dolum. In fœderibus verò deditionis actum fuit, Gabrielem cum quibusdam aliis relegari in partes Pedemontium, Antonium verò mitti Ferrariam in custodiam & depositum penes Dominum Marchionem, donec impleretur ab eo certa conditio in fœderibus acta de restituendo Montiam &c. Venit igitur Ferrariam, & humaniter satis atque honorificè per Dominum Marchionem admissus fuit intra Castrum Ferrariæ, & commendatus, ministratis sibi ad victum affluenter omnibus necessariis sumtu Domini Marchionis. Sed tamdem per infortunium suum præcisa sibi possibilitate efficiendæ conditionis, quam Domino Duci spoponderat, de mense Junii fuit jussu ipsius Domini Ducis revocatus, & ductus Brixiam in custodiam penes Dominum Pandulfum de Malatestis Dominum Brixiensem.

Anno prædicto MCCCCVIII. de mense Januarii, Romanus Pontifex, videlicet Dominus Gregorius XII. qui erat in Civitate Senarum, post novam deliberationem factam de locis, ad quæ ipse, & Antipapa se pro practica & tractatu Unionis Ecclesiæ transferre debebant, videlicet loco Petræ Sanctæ in Diœcesi Lucana pro ipso Domino Papa, & Portus Veneris Diœcesis Januæ & Sarzanæ pro Antipapa, declinato per Papam primo loco ad id in principio destinato, videlicet Civitatis Saonæ, recessit de Senis cum suorum Collegio Cardinalium, comitantibus etiam Ambaxiatoribus Venetorum, & Florentinorum, ac multorum aliorum Dominorum, & Communitatum, & Pisas perrexit, deinde ad Civitatem Lucæ profectus, ibi de consensu & licentia libera Lucani Domini constitit, & suam posuit residentiam. Antipapa verò juxta Conventa à Saona cum Collegio suo ad Portum-Venerem, comitantibus Legatis Regis Francorum, adventavit. Tunc per alterutras hinc inde missiones Legatorum, & Scriptorum Papæ, & Antipapæ, perque solertissimos intercessus, & personales accessus Oratorum Venetorum, & Florentinorum, cœptum ac perseveratum fuit practicari tractatum conveniendi ad loca prædicta, ut Unioni per deliberatam viam cessionis opera daretur deliberata atque promissa. Ad quæ loca cùm post longam practicam Papa se omnino difficilem & retrogradum velle pergere se ostendisset, objectionibus nonnullis adhibitis; de aliorum locorum constitutione multus & diu fuit habitus tractatus atque mentio. Verùm propter alterutras cavillationes utrorumque, sed fortiùs ex latere Papæ communi judicio assistentium ad actum, locorum omnium constitutio & concordia remansit infecta. Nam & si ambo verbis & simulatis signis exterioribus se Unionem affectare monstrabant, non tamen subterfugia relinquebant, quibus realis impediebatur effectus. Et in iis inutilibus ambagibus tempus terentes, quoscumque Oratores & Intercessores abominabili fastidio affecerunt, ea producta temporis frustratione usque in mensem Junii: propter quod negotio posito prorsus in destitutionem atque rupturam, Venetorum Legati, & omnes ferè alii Legati, Nuncii, & Institores, qui illuc convenerant, abierunt, relicto Papa Lucæ ut erat. Antipapa verò, deserto negotio, abiens à Portu Venere, retrocessit in Galliam, ablata omni obedientia per Regem Francorum in Regnis suis eidem Antipapæ, & etiam Papæ Romano, propter non factam Unionem. Interea insuper, dum videlicet in ambagibus illis tempus consumebatur, de mense Aprilis Rex Apuliæ traducto ingenti exercitu Romæ dominium occupaverat, Cardinales autem Papæ, iis omnibus inspectis, ferè omnes cœperunt cum Papa graviter diffidere, tum quòd Unionis opus infectum remanserat, quòd eorum judicio videbatur, si voluisset, perfici potuisse, tum quòd ex suspensione illius controversiæ secutum erat, quòd Romæ dominium per Regem Apuliæ fuerat usurpatum, & tum quòd Papa idem Car-

Cardinalium numerum augere satagebat, quòd præsumebant tentari per Papam non pro necessitate aliqua, aut commodo status Ecclesiastici, sed ut statum proprium faceret firmiorem. Exardentibus itaque inter Papam & Cardinales ejusmodi controversiis, & eo deducta re, quòd Papa præsumens de recessu Cardinalium, eis sub gravissimis pœnis excommunicationis & privationis suarum dignitatum edixerat, quòd absque ipsius licentia recedere, vel etiam se congregare non auderent: Octo ex ipsis per fugam clandestinam abeuntes se transtulerunt Livornum, & deinde Pisas migrantes, ibi suam residentiam firmaverunt, & per solennissimas scripturas appellaverunt, atque de nullitate præceptorum Papæ docere conati sunt. Papa eos excommunicatos, & dignitatibus privatos esse pronunciavit, & novos constituit Cardinales, quos apud se Lucæ morari jussit. Illi verò contra Papam ignominiosum absolutionis processum facientes, dissidia auxerunt. Itaque, ubi de Unione Sanctæ Ecclesiæ agendum erat, prior Ecclesiæ scissura, quasi pullificans, est perniciosissimè ampliata. Hoc idem inter Antipapam & suum Collegium accidisse traditum fuit, postquam Italia discedens concessit in Galliam.

Anno prædicto MCCCCVIII. de mense Januarii, Illustrissimus Princeps & Dominus Dominus Karolus Rex Francorum, qui Unionem Ecclesiæ cupiebat, cognito per relationem Legatorum suorum, qui apud Antipapam & Papam fuerant in principio practicæ Unionis, & etiam per consequentia in processu, quòd Papa & Antipapa ad negotium Unionis realiter non veniebant, & ad viam Cessionis per subterfugia retrogradi videbantur, illecti potius cupiditate regnandi: providit in suis consiliis, atque statuit esse præcidendam eam ipsorum ambitionem atque cautelam per remedium Neutralitatis, videlicet non præstandæ obedientiæ alicui eorum à Festo Ascensionis Domini in antea, si usque in eumdem terminum non concluderent Unionem. Quod quidem remedium visum fuit opportunius cunctis ad disponendum ipsos ad viam Cessionis, quando scirent se non cedendo propterea Magistratum obedientiæ non habituros. Mandavit igitur præfatus Dominus Rex Francorum hanc suam deliberationem servandam esse per universas gentes & populos Regnorum suorum, & insuper tam patentibus ad universos & singulos, quàm specialibus ad singulos scriptionibus suis, eamdem suam provisionis deliberationem notificavit universis Christiani climatis Principibus, Dominis, Magistratibus, atque Rectoribus Civitatum & Populorum, hortans eos ad eamdem deliberationem faciendam & provisionem captandam pro remedio Unionis adhibendo. Super qua materia Illustris Dominus Marchio de mense Maji hujus Anni MCCCCVIII. præfati Domini Regis Literas habuit speciales, vidit quoque patentes ad universos, quas cursor Regius deportabat. Die XXIV. Januarii Illustrissimus Dominus Alphonsus natus Serenissimi Domini Regis Portusgalli de Hispania, juvenis memorabilis strenuitatis, reprofectus visitatu Sepulchrum Domini, & veniens de Venetiis appulit Ferrariam cum magnifica militum & Familiarium comitiva ad numerum CCC. equestrium. Quem Illustris Dominus Marchio in suis laribus benignissimè exceptum magnificè honoravit. Biduo verò moratus apud Dominum Marchionem, die tertia versùs Bononiam iter carpsit. Anno prædicto MCCCCVIII. de mense Aprilis. Dum Romanus Pontifex Dominus Gregorius XII. degebat in Civitate Lucana cum Curia sua pro tractatu Unionis Ecclesiæ, Illustrissimus Princeps Dominus Ladislaus Rex Apuliæ, qui & inscribit se Regem Hungariæ, Hierusalem, & Siciliæ, ad Dominium Romanæ Urbis, sicut antea multotiens, efferens desiderium suum, magnum & potentem paravit exercitum, & traducens eum Pelago atque Terra, petensque Romanos fines ad latus maritimum, primò descendit aqua

B Hostiam Civitatem, sive Oppidum Romanum, ad Portum maritimum secus Tiberim, ubi tentis biduo castris ipsum Hostiæ Oppidum cum fortilitio validissimo vi prœlii expugnatum obtinuit. Inde verò motis castris die XXV. Aprilis se ad Urbem contulit, & apud Sanctum Petrum fixit tentoria. Parvâque illic morâ contractâ, Romanus Populus Urbis dominium sibi obtulit, quo acceptato ipse cum ingenti festivitate Populi atque Cleri Urbem ingressus, die eadem ipso dominio ad votum potitus est, præter Fortilitium Castri Sancti Angeli, in quo erat Castellanus cum præsidiis pro Domino Papa & Collegio Domi-

C norum Cardinalium, qui juraverat in manibus eorum se non redditurum illud, nisi vero Pontifici, quem creari contingeret in confectione Unionis Ecclesiæ, quæ tunc tractabatur, & de consensu etiam Cardinalium, & non aliter id facturum. Ibi consummatis aliquot Rex diebus, dimittens Rectores & gentem suam, cum modico equitatu rediit Neapolim gratiâ disponendorum ad statum. Eodem mense Aprilis Populus Civitatis Perusii se commendavit Domino Regi Apuliæ supradicto novo Domino Romanorum. Die XVI. mensis Aprilis Dominus Ottobonus de Tertiis, Parmæ & Regii Tyrannus, cum gente sua, nulla extante hostilitatis causa, invasit

D Territorium Mutinense, omnia discurrendo, & prædæ exponendo. Verùm pars illa gentis suæ, quæ Vignolæ, & Spilamberti fines discurrerat, dum multa bestiaminis & captivorum adduceret quantitatem, circumventa ab Oppidanis, prædam & captivos dimittere fuit coacta.

Eodem Anno MCCCCVIII. die XXIV. Mensis Aprilis in Festo Sancti Georgii Ferrariæ in Palatio Domini Marchionis in Claustro de Fontana super limine portæ interioris, Illustris Dominus Marchio fecit Militem egregium virum Doctorem Dominum Georgium de Novaria Civem Ferrariensem electum & iturum in Capitaneum Populi Ci-

E vitatis Florentiæ. Die XXIV. mensis Julii Dominus Papa, qui steterat in Civitate Lucana pro facto Unionis, postquam res tota ipsius Unionis in dissidiosum transiverat conflictum, totâ Dei Ecclesiâ laceratâ, cum consilio, ut fama fuit, Regis Ladislai, qui Romæ dominium habuerat, decrevit Senas remeare sub scorta & tutela gentis Armigeræ præfati Regis, ea de causa mittendæ Lucam. Verùm cùm Papa & Rex requisivissent Florentinos de licentia transitus per fines eorum, Florentini cautiùs sibi censentes gentem Regiam eorum fines non lustrare, de industria obtulerunt

lerunt Regi & Papæ, se per gentem suam velle liberaliter & libenter scortam & societatem Papæ facere, adjicientes non oportere Regem ob eam causam se sua gente suis aliis necessaria negotiis diffulcire. Præterea cùm de cautione Papæ mentio facta esset, Florentini ipsi duodecim obsides deposuerunt in Castro; durante pro pactione salviconductus Papæ. Igitur die suprascripta XIV. Julii Papa idem cum Cardinalibus suis novis à Lucana Civitate discessit, comitante Florentinorum gente, & per Pisas transiens, & alia finium Florentinorum itinera, ad Senarum Civitatem concessit, & mansionem suam illic constituit. Cardinales verò primi, qui ab eo, dum erat Lucæ, recesserant, Pisis morabantur: Hoc tempore de progressibus Antipapæ hoc habitum fuit, videlicet quòd postquam dimisso tractatu Unionis ipse tetendit in Galliam, & reperit, quòd jussu Domini Regis Francorum interdicta & ablata sibi erat obedientia in Regnis ejusdem Domini Regis, transivit quantocius in Aragonem, formavitque processum contra ipsum Dominum Regem, eum excommunicans, & pronuncians privatum omni dignitate Regali per se omnemque stirpem suam. Inde se contulit in Provinciam, & ad alia diversa climata, fugiens Regis insidias, qui eum terra marique insequi faciebat. Eodem tempore. Postquam vidit Papa scelere suo & Antipapæ dissipatam esse rem Unionis Ecclesiæ, quasi per caliginem ducens vota sua, & variis actus cogitationibus, si fortè crimen suum posset obumbrare, aliam fingens inventionem utiliorem ad Unionem, decrevit Concilium Generale faciendum esse in Provincia Aquilegiensi, aut in Exarchatu Ravennæ, secundùm quod ipse postea tempore congruo declararet de loco ad Festum Pentecostes Anni sequentis, & per patentes Literas suas id significavit per Regiones obedientes Papæ Romano, ad ipsum generale Concilium requirendo universos Prælatos Ecclesiasticos, Imperatorem, Reges, Principes, Dominos, atque Præfectos. Die VIII. mensis Julii Illustris Princeps Dominus Johannes Maria Anglus de Vicecomitibus Dux Mediolani &c. duxit in uxorem Magnificam Dominam Dominam Antoniam natam Magnifici Domini Malatestæ de Malatestis Domini Cæsenæ, quæ Domina erat Brixiæ penes patruum suum Magnificum Dominum Dominum Pandulphum de Malatestis Dominum Brixiensem, neque intervenerunt nuptiis ejusmodi pompalia solemnia, quæ in talibus sunt solita, propter temporis & rerum incumbentias, quæ Domini Ducis statum tunc esse in florido non sinebant, tum ob exactas calamitates, & tum ob instantes angustias quibus erat ipse status insolitis vexatus bellis, & præsertim à Facino Cane circa partes superiores, qui occupaverat Alexandriam & à Domino Astorgio Vicecomite circa inferiores, qui Montiam detinebat. Eodem Anno MCCCCVIII. die Dominico XXIX. Julii Magnificus & potens Dominus Dominus Pandulfus de Malatestis Dominus Brixiæ accepit & habuit Dominium Civitatis Pergami sibi venditæ per Johannem de Soardis, qui Civitati ipsi dominabatur. Die . . . . . . mensis Julii Magnificus Dominus Dominus Guido Comes Urbini habuit dominium Civitatis Assisii sibi liberè datum à Civibus, se sponte eidem Domino submittentibus ob ipsius bonum & salutiferum regimen, quali Assisienses ipsi ea specialiter tempestate opus habebant propter illatas in partibus illis vexationes per Armigeros Regis Apuliæ noviter potiti Romæ dominio.

Anno prædicto MCCCCVIII. de mense Augusti Comes Manfredus de Barbiano, Capitaneus gentis armigeræ Domini Legati Boniæ, cum majori parte ipsius gentis vagatus fuit quampluribus diebus in & per fines Territorii Ravennæ, nec quidem sinè perpetratione prædæ & multorum damnorum, non publicè cognitâ aut patefactâ causâ, sed fuit fama de intentione seditionis contra Dominum Ravennæ ad petitionem Legati. Verùm quia Ducale Dominium Venetiarum præsidia armigerorum misit dicto Domino Ravennæ, quia recommendatus suus erat, & Ambasciatores ad Dominum Legatum cum rigida protestatione reficiendorum damnorum: prædictus Comes Manfredus cum gente revocatus per Legatum se recepit in loca Legati, & destitit ab inquietatione, quam cœperat. De dicto mense Augusti. Propter non factam Unionem Ecclesiæ Dominus Legatus Bononiæ in Bononia, Faventia, & Forlivio revocavit & interdixit obedientiam Papæ, adhærens partibus Collegii Cardinalium, qui degebant in Civitate Pisana, & Papa erat in Civitate Senarum. De mense Septembris Dominus Gabriel Maria de Vicecomitibus, frater naturalis, sed hostis Domini Ducis Mediolani, decapitatus fuit in Janua propter seditionem tentatam in ipsa Januæ Civitate ad Facini Canis instantiam, ut fama fuit. Die Veneris VII. Septembris Magnificus & Potens Dominus Karolus de Malatestis, Dominus Arimini &c. repatrians de Lombardia, ubi multis manserat mensibus ad subsidia Domini Ducis Mediolani, multis peractis bellis adversùs æmulos & turbatores status ejusdem Domini Ducis, & specialiter contra Facinum Canem, appulit Ferrariam in domum Domini Marchionis cum comitiva sua, honoratissimè susceptus à Domino Marchione. Et die Dominico IX. Septembris ante Tertias discessit versùs Venetias, inde profecturus Ariminum. De mense Septembris. Cùm post destitutum tractatum Unionis Ecclesiæ, pro quo Romanus Papa cum Collegio suorum Cardinalium ad Civitatem Lucanam, & Antipapa cum suorum Collegio ad Portum Venerem se contulerant, & deinde Antipapa in Galliam secesserat, & Papa Lucæ remanserat: orta forent Schismata multa inter Papam, & quosdam ex Cardinalibus suis, detestantes & ægrè ferentes, quòd Unio Ecclesiæ facta non erat, quæ manifestè videbatur processisse ex culpa Papæ & Antipapæ discedentium per subterfugia à via necessariæ Cessionis, & Cardinales ipsi à Lucana Civitate præter Papæ voluntatem se abdicassent, & ad Pisarum Civitatem transmigrassent metu ducti propter gravia edicta Papæ, secundùm quod in anterioribus continetur: ipsi Cardinales amodo extra spem positi ullius bonæ reconciliationis obtinendæ cum Papa, qui alios novos Cardinales eorum loco creaverat: conceperunt consilium, quo effici posset, ut succurreretur Unioni Ecclesiæ. Et propterea ipsis operantibus effectum est, quòd Collegium Cardinalium Antipapæ, qui cum eo fuerant apud Por-

Portum Venerem, dum unio Ecclesiæ tractabatur, & qui post derelictam eam, in Galliam redeuntes, dissidebant similiter ab Antipapa, annuente Domino Rege Francorum propter desiderium Unionis, se contulit ad Civitatem Pisarum, ubi mox utriusque Collegii unio & conjunctio in unum solum Collegium facta est, ad investigandam viam salutiferam Sanctæ Unionis Ecclesiæ, secundùm quod divinæ vellent sanctiones, vel per Papæ depositionem, & novi Pontificis electionem, vel aliam quamlibet viam juridicam & idoneam. Et pro hujus rei communicatione etiam se contulerunt Florentiam aliqui ex ipsis, & illuc iverunt Reverendissimi Dominus Legatus Bononiæ, Dominus Petrus de Candida Cardinalis Mediolanensis, & Dominus Johannes de Sulmona Cardinalis Ravennæ, qui die XVI. mensis Septembris insimul à Bononia moverunt, & communicatione peracta similiter insimul Bononiam remearunt. Interea de mense Julii Papa à Lucana Civitate ad Senarum Urbem migraverat, & conclusivè per Dominos Cardinales utriusque Collegii sic unitos atque concordes deliberatum fuit, generale Concilium faciendum esse & fieri oportere pro ultimo & salubriori remedio ad reparationem Unionis Ecclesiæ. Quare tam per Literas, quàm per Legatos missos in Regiones, Concilium ipsum generale indixerunt inchoandum ad Festum Sanctæ Mariæ de Martio in Anno proximè futuro in Civitate Pisarum, prævenientes Papam in tempore, qui etiam Concilium generale indixerat pro Festo Pentecostes faciendum in Exarchatu Ravennæ, vel in Provincia Aquilegiæ, & insistentes, ut ubilibet Papæ obedientia tolleretur. Papam etiam & Antipapam de ejusmodi deliberatione faciendi Concilii conscios per solennissimas Literas facientes, eos ad illud juxta Juris debitum invitarunt ad veniendum, & cessiones spontaneas faciendum. Sed frustra fuit.

Eodem Anno MCCCCVIII. de mense Octobris. Dominus Papa existens in Civitate Senarum ultra alios novos Cardinales, quos dum erat Lucæ creaverat, infrascriptos octo creavit, videlicet. Dominum Tarentinum, olim Pisanum Arphiepiscopum, Decretorum Doctorem de Sicilia. Dominum Lucanensem Theologiæ Magistrum de Anglia. Dominum Vernaciensem Theologiæ Magistrum de Polana. Dominum Ariminensem utriusque Juris Doctorem de Luca. Dominum Recanatensem utriusque Juris Doctorem de Menaria Districtus Perusii. Dominum Veronensem Decretorum Doctorem. Dominum Lucam Fesulanum de Florentia Theologiæ Magistrum. Dominum Petrum Mauroceno Venetum Protonotarium Juris utriusque Doctorem. Eodem mense Octobri Dominus Papa cum Curia sua, quæ tenuis erat, non excedens numerum centum equitum, recessit à Civitate Senarum, & transmigravit ad Civitatem Arimini, ad quam appulit die tertio Novembris, susceptus cum ingenti veneratione & honore à Magnifico Domino Karolo de Malatestis Domino Ariminensi, & collocatus in ejus Palatio. De mense Septembris circa exitum. Cùm fuisset discordia exorta inter Illustrem Dominum Johannem Bavariensem Episcopum Legiæ, & Illustrissimum Principem Dominum Ducem Burgundiensem tunc odiosum Regi Francorum propter cædem Domini Ducis Aurelianensis ex una parte, & Illustrem Dominum Pariverensem ex altera parte, occasione Episcopatus Legiæ, cujus dignitas exquisita calliditate dicto Domino Johanni Bavariensi impedita & usurpata erat per præfatum Dominum Pariverensem pro filio suo, instigante discordiarum seminatore Sathana, ad belli discrimina partes ipsæ se convertentes, paraverunt exercitus potentissimos, & conflagrantes diebus pluscuculis inter se non levibus cædibus, in quibus deterior fuerat conditio Domini Ducis Burgundiæ, & Domini Johannis Episcopi pro numero decem millium cæsorum, ex parte sua: tamdem adductis in aciem utrisque exercitibus prœlium ultimum conseruerunt cruentissimum, in quo superatus fuit Dominus Pariveren. cæsis ex exercitu suo XXXII. millibus hominum, & ipso captivato, & decapitato cum filio, nec quidem paucis ex victorum exercitu trucidatis. Fuit prœlium hoc secus Civitatem Tongor in climate bassæ Alemanniæ in conterminis Galliæ, ubi tamdem idiomate Gallico homines utuntur. De mense Octobris. Cùm Terræ & Fortilitia infrascripta Magnifici Militis Domini Alberici de Barbiano Comitis Cunii, & Magni Conestabilis Regni Siciliæ, militantis ad servitia Regis Apuliæ, positis in Romandiola essent in gubernatione Comitis Manfredi de Barbiano, & Comitis Ludovici de Zagonaria nepotum suorum, suscitata inter eos æmulatione, Comes Ludovicus Comitem Manfredum exclusit ab omni potestate Regiminis Terrarum Lugi, Consilicis, & Sanctæ Agathæ, ipsasque Terras, & earum fortilitia suo proprio nomine occupavit, se intelligens cum Domino Legato Bononiæ. Post quod immediatè idem Dominus Legatus cum armigeris suis in Romandiolam personaliter equitavit, & Oppida Thausignani, & Aurioli, ac Terram & Arcem Castri Bononiensis inter Imolam & Faventiam, ubi Comes Manfredus suam habebat residentiam, abstulit. Ipse verò Comes Manfredus Ariminum abiit, & deinde Romam ad Magnum Conestabilem illic pro Domino Rege manentem. Die primo Novembris dicti Anni MCCCCVIII. Illustris Dominus Marchio habuit tenutam Terræ Consilicis acquisitæ à Comite Ludovico de Zangonaria. Die Mercurii VII. Novembris Magnifica & generosa Domina Domina Polissena Comitissa de Sancto Severino, nupta Magnifico & potenti Domino Malatestæ de Malatestis Domino Cæsenæ cum notabili comitiva sua virorum & mulierum veniens à Patria sua per viam de Venetiis per navim, receptata fuit & magnificè honorata per Illustrem Dominum Marchionem in Palatio suo Ferrariæ in cœnis & hospitio, ac die sequenti in prandio, quo facto, ea die ipsa per navim perrexit Argentam in cœnis & hospitio in domo & sumptibus præfati Domini Marchionis. Subsequenti verò die inde abiit tendens versùs Cæsenam. Non erat tamen tunc Malatesta Cæsenæ, sed in Lombardia penes Ducem Mediolani Generum suum, belligerans contra Facinum Canem Ducis hostem. Per totum Annum prædictum MCCCCVIII. Dominus Dux Mediolani, omnesque Populi Civitatum suarum in maximis fuerunt calamitatibus. Nam Facinus

nus Canis unà cum Domino Marchione Montisferrati, & cum multis Nobilibus Mediolanensibus Foruscitis Ghibellinis, inter quos erant Dominus Astorgius, & Dominus Franciscus de Vicecomitibus, & compluribus suis, continuo & infestissimo bello Ducem ipsum & fines suos turbavit, se frequenter extendens cum exercitu in fines Mediolani, & discurrens ferè usque ad mœnia. Devicit quoque & sibi subegit Civitates Novariæ, & Alexandriæ, & quamvis Dux ipse magnum haberet exercitum sub ductu Magnificorum & strenuorum Dominorum Karoli & Malatestæ Fratrum de Malatestis, non tamen poterat abundè resistere Facino. Nam & intestinæ erant discordiæ in Populo Mediolani inter partes, eo quia Consilium & Regimen Ducis erat in manibus Guelforum, quorum erat principalis Antonius de Vicecomitibus adversarius Facini, & fovens partem Guelfam. Fuit insuper illic toto Anno hoc horrida fames ex deficientia annonæ, & adeò valida, quòd maximus numerus tam masculorum, quàm fœminarum inde discessit, conferens se ad alias partes & climata ob famem vitandam.

Anno prædicto MCCCCVIII. de mense Aprilis. Cùm Dominus Ottobonus de Tertiis, aliter appellatus Dominus Otto, Parmæ & Regii Tyrannus, habens cum Illustri & Magnifico Domino Domino Nicolao Marchione Estense &c. certam ligam & societatem, pluries ligæ fœdera violasset, & nullam fidem, nullamque societatem servasset, sed hostilitatis instar potius effecisset, invadendo pluries cum gente sua, & discurrendo, ac prædando Territorium Mutinense, & multiplicibus aliis operibus erga Dominum Marchionem, & falsis fictionibus suam perfidiam exercendo; neque posset ipsius Domini Ottoboni pervicacitas amoveri, adhibitis experimentis compluribus usque ad intercessum Serenissimi Ducalis Dominii Venetorum, quod etiam pro concordia interponenda multam operam dedit, & Oratores proprios ad eum missos, ut ad rationabiles compositiones, ad quas Dominus Marchio paratus erat, dissidiorum imminentium summa redigeretur, quòd totum ille improbus & obstinatus aspernabatur: Illustris Dominus Marchio tot intolerabilibus lacessitus injuriis, postquam constitit de culpa adversarii ab omni æquo fœdere discedentis, decrevit bello & armis causam dirimere, quæ bono concordiæ componi nequiverat, & hostem ipsum guerra pulsare. Quapropter ad parandam gentem belligeram, & alia necessaria fecit intendi. Erat autem hostis ipse munitus multis armigeris, qui antea diu secum militaverant in suis profectionibus in Lombardia, & adhuc penes eum versabantur ad numerum III. millium equestrium & ultra; & in partes ejus etiam transiverat, atque ipsum ad dissidia maximè accendebat Dominus Karolus de Foliano, factus noviter hostis Domini Marchionis, cujus paulò ante fuerat adhærens & provisionatus. Pendente tractatu concordiæ inter Illustrem Dominum Marchionem, & Dominum Ottobonum, post discessum Legatorum Ducalis Dominii Venetiarum, qui ad eumdem Dominum Ottobonum iverant, & nondum misso aliquo apparatu gentis armigeræ ad partes Mutinæ per Dominum Marchionem ultra stipendiarios ibi ordinariè deputatos, qui erant Lanceæ L. equestrium: ipse Dominus Ottobonus cum gente sua, quam habebat Parmæ & Regii, & cum turmis peditum, pluries de mense Aprilis invasit Irberiam, Marzaleam, & Mutinam usque ad portas, populando quæcumque poterat, nec non graviter damnificando Territoria Nobilium de Corrigia, & de la Mirandula adhærentium Domini Marchionis, & diversimode opprimendo Johannem de Manfredis ipsius Domini Marchionis recommendatum, sed parum tamen prædæ abigendo, cùm Comitatini jam se ad Fortilitia reduxissent; immo & aliquotiens contigit, nonnullos ex armigeris suis captivari per manus illorum paucorum stipendiariorum Domini Marchionis, qui Mutinæ & in illis partibus residebant. His diebus Dominus Ottobonus coëgit Dominum Franciscum de Saxolo adhærere partibus suis, ad cujus præsidia misit certum numerum Armigerorum equestrium ex gente sua. Eodem Anno MCCCCVIII. die XXVIII. Aprilis. Cùm strenuus Vir Sforza de Cutignola, qui fuerat Capitaneus Generalis gentium Florentinorum, conductus ad stipendia Domini Marchionis cum Lanceis CCL. Armigerorum proficisceretur de Florentia Mutinam, Dominus Ottobonus explorato ejus adventu se cum toto conatu gentis suæ ad numerum MMD. equestrium & CCCC. peditum contulit Regium, & deinde quanto secretius potuit, se apud Saxolum locavit mittens exploratores, qui sibi renunciarent de processu itineris Sforzæ à Bononia Mutinam, quamprimum in Territorium Mutinæ appulisset, ad hoc ut idem Dominus Ottobonus se obvium transferens, illum priusquam Mutinam introiret, in itinere armis impeteret & confligeret. Verùm Sforza, quia & ipse talium insidiarum magister erat, iter solitum à Bononia Mutinam declinavit, ita ut exploratoribus illis non contigerit semitas ejus comprehendere. Tempestivè itaque Sforza Mutinam cum gente sua sospiter adventavit: quo annunciato Domino Ottobono, qui apud Saxolum expectabat, ipse in furiam & rabiem concitus continuò Mutinam equitavit. Sforza verò, qui fortè per quatuor horarum spatium ante appulerat, captatis armis cum gente sua aliisque stipendiariis, qui Mutinæ erant, compluribusque Civibus Mutinæ egressus Porta Bajovaria, apud quam Dominus Ottobonus se divertebat, opposuit se illi ad prœlium; sed non valens tantæ multitudinis vires sustinere, retrocessit usque ad Portam, & ibi se rursus viriliter offerens, certamini se commisit, quod ferè per duas horas hinc inde durissimè actum fuit. Tamdemque Dominus Ottobonus quampluribus ex suis vulneratis, aliquibus cæsis, & compluribus captivatis, dimisso prœlio abiit versùs Regium; ex parte verò Sforzæ nullus interemptus, paucissimi vulnerati, paucissimi quoque captivi.

Eodem Anno MCCCCVIII. de mense Maji in Civitate Mantuæ apud Dominum Mantuanum, qui jam antea erat in liga cum Domino Marchione facta & conclusa fuit liga inter Illustrem Dominum Ducem Mediolani, Illustrem Dominum Marchionem, Magnificum Dominum Pandulfum de Malatestis

testis Dominum Brixiæ, & Magnificum Cabrinum Fondulum Dominum Cremonæ, ad damna & exterminium Domini Ottoboni specialiter; ad quam ligam conficiendam Dominus Marchio, & Magnificus Ugutio de Contrariis personaliter accesserunt Mantuam, recedentes de Ferraria die II. Maji, ibique fuit præfatus Dominus Brixiæ Magnificus Malatesta de Malatestis de Cæsena, & Oratores sive Procuratores Domini Ducis Mediolani, & Domini Cremonensis; affuerunt etiam Oratores Domini Laudæ. Die XIX. Junii. Cùm essent in Terra & Fortilitio Casteletti Comitatus Cremonæ, quod pro Domino Ottobono tenebatur, Jacobus de Tertiis, & Johannes de Malvicinis, nonnullique alii Caporales cum gente armigera & pedestri Domini Ottoboni, vexantes dictum Dominum Cremonensem, vir strenuus Grassus de Albania Capitaneus gentis armigeræ ipsius Domini Cremonensis, repertis illis ad numerum D. equestrium facientibus scortam messoribus, secum prœlio conflixit, & ex ipsis captivavit circa numerum trecentorum inter armigeros & pedestres, captis notabilioribus armigerorum, & vulneratis Jacobo de Tertiis, & Johanne de Malvicinis, aliisque fugatis intra Fortilitium, captis insuper quampluribus bobus & curribus, quos omnes captivos idem Grassus conduxit ad Oppidum Sancti Johannis de Cremonensi, ubi se recipiebat, & deinde jussu Domini sui Cremonam direxit ad eum. De mense Junii egregius & spectabilis vir Aldrovandinus de Joculis Comes Guardiæ Civis Ferrariæ, qui per Illustrem Dominum Marchionem missus erat Ambaxiator ad Dominum Ducem Mediolani, cùm impetrato & habito salvoconductu à Facino Cane, qui castrametabatur tunc contra Civitatem Novariæ, se ad eumdem Facinum contulisset, & expeditâ ambaxiatâ ab eo, & de ejus licentia recessisset, rediens versùs Mediolanum fuit arrestatus per Officialem dicti Facini in Castro Trichæ, quod distat à Novaria per quinque milliaria, ubi pernoctaverat postmissa commissione Castellano per Facinum, qui eum transmisit ad Oppidum suum Burgi Sancti Martini, quod distat à Novaria per XVIII. milliaria, & vinctum compedibus ferreis carcerali custodiæ commendavit, fracta omni fide salviconductus. Die XVII. Junii. Cùm provisum esset per Illustrem Dominum Marchionem & ceteros de liga, augendam esse classem Domini Cremonensis, quam tenebat in Pado ad tutelam sui Territorii, & ad dispendia Domini Ottoboni, Dominus Marchio paratâ armatâ sex navigiorum ex suis, eam præfato Domino Cremonensi transmisit, & Capitaneum constituit Virum Nobilem Nicolaum de Baixio, qui solvit à Ferraria die prædicta. Die Martis XXVI. Junii horâ XVII. Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. intendens protectioni Territorii sui Mutinensis, atque saluti & indemnitati Civium & Subditorum suorum illic, non solùm ad propulsandum perfidi hostis sui Domini Ottoboni proterviam, sed etiam ad exterminandum illum pro posse, personaliter & cum eo Magnificus Ugutio de Contrariis cum electa gente armigera ad numerum DC. equestrium de Ferraria discedentes, versùs Mu-

A tinam militarunt. Et die prædicta peractâ cœnâ in Bondeno gratiâ melioris providentiæ ad tutelam itineris, immediatè viam arripientes per fines Bononienses, tendendo ad Navicellam, non destiterunt equitare totam per noctem, quibus Sforza cum armigeris gentibus de Mutina usque ad Navicellam obviam vênit ad scortandum, & die sequenti XXVII. Junii circa horam XVI. ad Civitatem Mutinæ sospiter atque feliciter appulerunt, ubi à Civibus & universo Populo cum eximia alacritate visus fuit Dominus Marchio prælibatus. Cum eo autem militarunt specialiter infrascripti notabiles: Dominus Philippus de Pisis Miles, Comes
B Ludovicus de Sancto Bonifacio, Comes Robertus de Fusignano, Gerardus de Bojardis, Comes Albericus de Zagonaria, Dominus Nicolaus de Obbicis Miles, Comes . . . . . . de Barbiano, Dominus Nannes de Strociis Miles, Feltrinus de Bojardis, Petrus de Preitatis, Bonifacius Fulchi de Ariostis.

Anno prædicto MCCCCVIII. die . . . . . Julii Dominus Franciscus de Saxolo, qui adhæserat partibus Domini Ottoboni, & ab eo receperat præsidia Armigerorum, sicut ante fit mentio, se conciliavit cum Domino Marchione Domino suo, & rejecta omni Societate & adhærentia Domini Ottoboni, præsidia illius expulit, & illa Domini Marchio-
C nis admisit. Eodem tempore Attus de Rodilia Dominus Castellarani Comitatus Regini, hactenus subditus & complex Domini Ottoboni, & indefessus inimicator Domino Marchioni, defecit ab eodem Domino Ottobono ejusque amicitia, & se commendavit adhærentiæ Domini Marchionis. Eodem tempore Nobiles viri Guido de Foliano, Paulus, & Thomas de Foliano, Cæsar de Foliano . . . . de Sesso, Castellani in Diœcesi Regina defecerunt à Domino Ottobono, & per adhærentiam se Domino Marchioni commendarunt. Eodem tempore videlicet de mense Julii MCCCCVIII. Existente ut supra Mutinæ Illustri & Magnifico
D Domino Domino Nicolao Marchione Estense &c. cum exercitu suo contra Dominum Ottobonum Parmæ & Regii Tyrannum, Oppizo de Montegaruleo rebellis ejusdem Domini Marchionis existens in Fregnano, & tenens adhuc tria Castra, videlicet Montembonellum, Montem, & Mocenum; cetera autem, quæ pro Domino Marchione tenere & gubernare solebat, amiserat, quia propter demerita ejus & filiorum suorum Dominus Marchio ipsa per bellicam potentiam sibi fecerat auferri in Anno MCCCCVI. prout in præcedentibus continetur, animadvertens vires & potentiam Domini Marchio-
E nis, cui facillimum erat eo tempore non solùm illa tria Castra bellaciter auferre, sed & ipsum Oppizonem finaliter exterminare: impetravit à Domino Marchione per intercessum amicorum salvumconductum & licentiam, quo ad ejusdem Domini Marchionis præsentiam tutè posset accedere. Moxque cùm facultas data fuit illius adeundi præsentiam in suo Castro Mutinæ residentis, factus vehementissimè supplex exquisita oratione de venia & clementia rogitavit, quem Dominus Marchio magnanima responsione atque severa, ut decuit, memoratione commissorum suorum corripiens, nullam ipsius petitio-

tionem exauditurum se dixit, nisi prius ea tria Castra, quæ adhuc detinebat, liberè dimitteret. Sique in animo ejus non sederet, non esse amplius opus verbis, aut mansione sua illic &c. salviconductus tamen conditionem ad terminum suum ratam esse volebat. Tali suscepta responsione Oppizo exterritus, & non mediocriter alteratus à conspectu Domini Marchionis, penes astantes inhæsit, & in processu concipiens immutabilem Domini Marchionis intentum, consilium cepit ipsa Castra sponte dimittere, & se in dispositione & arbitrio gratiæ Domini Marchionis committere. Quare sequentibus diebus missis ex ordine per Dominum Marchionem suis præsidiis, idem Oppizo dicta Castra consignavit atque dimisit in libera potestate Domini Marchionis. Tunc Dominus Marchio ex innata sibi benignitate eumdem Oppizonem ad veniam admisit, eo tamen pacto, ut Ferrariæ habitaret; constituitque sibi provisionem ad honorabilem victum pro se atque Familia, & Antonium filium suum, qui diu captivabatur in Castro Mutinæ, laxari mandavit. Qui Oppizo cum Nerio ejus filio & tota familia die XIV. Augusti appulit Ferrariam, & in deputatam sibi domum Albam de Sancto Marco cum horto se recepit; Antonius verò alter filius ejus penes Dominum Marchionem remansit. Eodem tempore Nobiles de Rubeis, videlicet Dominus Jacobus Episcopus Lunensis, & Petrus Fratres, & Rolandus de Palavicinis, magni & potentes Castellani in Territorio Parmensi, & capitales inimici Domini Ottonis, sive Ottoboni de Tertiis, venerunt in ligam & Societatem Domini Marchionis ad damna & exterminium ipsius Domini Ottonis.

Die tertio mensis Augusti dicti Anni MCCCCVIII. Illustris & Magnificus Dominus Marchio antedictus, postquam in Mutina res omnes juxta opportunitatem prudenter ac sufficienter à se & ab Ugutione dispositas esse cognovit, secum exercitu transtulit Irberiam, & cum eo similiter Ugutio, ibique mansionem suam firmavit propter loci aptitudinem penes Nobiles de Boyardis antiquos adhærentes Domus Estensis, & sibi confidentissimos, ut magìs proximus esset hosti, & faciliùs atque crebriùs posset illum impetere, & ferè per singulos dies faciebat invadi & discurri per strenuum Virum Sforzam de Cutignola Capitaneum Generalem suarum gentium Territoria atque Loca Regii & Parmæ. Ipseque Dominus Marchio & Ugutio sæpe numero personaliter militarunt, se fortiter offerentes usque ad mœnia Regii & aliorum Fortilitiorum Domini Ottonis, & Domini Caroli de Foliano, & omni studio provocantes Dominum Ottonem & suos armigeros, ut mœnia egrederentur ad pugnam. Ipse verò Dominus Otto interdum Parmæ, & interdum Regii se recipiens, intra mœnia collocatus, etsi aliquotiens exibat, vel ex suis mittebat, non adeò se exhibebat ad certamina, ut quicquam armigeræ strenuitatis effici posset, quemadmodum optasset Dominus Marchio, verùm quandoque contingebat, aliquos hinc inde capi vagantes in campestribus, sed longè plures ex hostibus. Multi etiam ex ipsis hostibus transfugæ, relicto Domino Ottone, ad castra Domini Marchionis se divertebant; nam omnia loca illa multis incommoditatibus laborabant, nullam habere valentia ab externis partibus recreationem propter obsidionem circumquaque positam à circumvicinis, utpote Domino Marchione, Domino Duce Mediolani, pro quo Dominus Jacobus de Verme Præfectus erat Placentiæ, Domino Mantuano, Nobilibus de Rubeis, & de Palavicinis, Domino Cremonensi, & majori parte Castellanorum Comitatus Regini, qui venerant in adhærentiam Domini Marchionis. Eo tempore die VIIII. mensis Augusti Dominus Otto decapitari fecit LXV. homines ex subditis suis de Parma, de Burgo Sancti Domnini, & de Guardaxono propter adjectum eis crimen seditionis contra eum & Statum suum. Eodem Anno MCCCCVIII. die XXIII. mensis Augusti Dominus Marchio & Ugutio gratiâ disponendarum rerum redierunt Ferrariam ante Tertias, reprofecti de Irberia cum comitatu CCCL. equitum vel circa, ex quibus illos, qui stipendiarii erant, postmodum miserunt Irberiam ad Sfortiam Capitaneum Generalem gentium Domini Marchionis, dimissum illic cum exercitu ad res bellicas prosequendum, Locitenentem verò in Mutina constituit & dimisit Dominus Marchio strenuum Militem Dominum Philippum de Pisis ultra illos de Regimine ordinato. Die XXIII. Augusti. Cùm Sforza Capitaneus Generalis gentium Domini Marchionis residens Irberiæ, à Nobili viro Guidone de Foliano adhærente & recommendato Domini Marchionis multa cum instantia requisitus esset de subsidio armigerorum sibi mittendo, ut obsisteret illis de Scandiano tam Terrigenis quàm Stipendiariis Domini Ottonis, qui quotidie egrediebantur & in fines Zessi Terræ ipsius Guidonis ad populandum, & specialiter uvas, quos cum subsidio illo sperabat non solùm prohibere à damnis solitis, sed etiam comprehendere & captivare: idem Sforza Furlanum Caporalem suum cum LX. armigeris equestribus ad dictum Guidonem transmisit, qui quanto secretius & celerius potuerunt se in Zesso locaverunt. Verùm per aliquos de Zesso, aut zelo vicinorum, vel affinium, aut propria perfidia, seu forsitan ex indagine vestigiorum & piste equorum, notum fuit illis de Scandiano de istorum adventu, & illico notificatum Regium Guidoni Taurello, qui illic aderat pro Domino Ottone. Propter quod Guido ipse cum CCC. equitibus immediatè ac secretè se contulit Scandianum, & deliberata insidiarum calliditate jussit illos de Scandiano more solito, & cum scorta consueta, quæ erat XXX. equitum, egredi in crastino ad damna illorum de Zesso, quos mane facto ex ordine egressos & populantes in Territorio Zessi dictus Furlanus cum illis LX. armigeris, & cum nonnullis peditibus, atque terrigenis Zessi ad numerum XL. vel circa exiens, velocissimo impetu aggressus, aliquot interemptis, omnes captivaverat. Tunc verò Guido Taurellus cum illis CCC. equitibus ab insidiis emergens diro insultu victorem illuc usque Furlanum impetiit, neque Furlanus detrectavit, sed viriliter resistere molitus est. Fuitque dura & strenua pugna inter partes, & aliqui interfecti, multi quoque vulnerati fuere. Tamdem Furlanus tanto adversariorum numero non potens resiste-

re, nolensque fugiendo alios derelinquere pedites, quod facere potuisset cum sociis suis ob suorum equorum præstantiam, captus fuit cum XXV. ex suis equestribus; universi etiam de Zesso, & Stipendiarii pedestres, qui similiter exiverant, aliquibus cæsis, remansere captivi.

Anno prædicto MCCCCVIII. die XXV. Augusti. Cùm Dominus Franciscus de Sassolo subditus Domini Marchionis cum hominibus suis, & cum gente Domini Marchionis, quæ penes eum erat, ac cum subsidio Atthi de Rodilia novi adhærentis Domini Marchionis, obsideret Terram & Rocham Gomolæ factam rebellem, essetque eam victurus in proximo per ejusmodi obsidionis perseverantiam: Dominus Albertus de Piis de Carpo cum gente sua in magno & cauto exfortio illuc se conferens, & ab intrinsecis aditum habens, Terram ipsam, & Rocham cepit, eamque suis præsidiis communivit; ob quod Dominus Franciscus necesse habuit obsidionem, quam posuerat, abjectâ operâ revocare. Die XXV. Augusti Nobilis & spectabilis vir Petrus de Rubeis, qui cum CCC. equitibus armigeris, quos ipse & Frater ejus Dominus Jacobus de Rubeis Episcopus Lunensis habebant Felini ex gentibus colligatorum, & cùm omni possibili exfortio hominum suorum iverat pro succurrendo Fortilitio suo Grondulæ in finibus Pontremoli, quod Fortilitium obsidebatur per Nobiles de Flisco amicos & complices Domini Ottonis cum auxilio partis Guelfæ Lunisanæ, fuit debellatus cum toto exercitu suo: quod totum accidit non defectu ipsius Petri, sed defectu hominum suorum, qui viso hoste illicò & turpiter se fugæ dederunt. Ipseque captivus fuit Domini Lucæ de Flisco, & ad Pontremulum ductus, qui locus erat sub Dominio Nobilium de Flisco pro dimidia, & pro altera dimidia sub Dominio Rubeorum. Die . . . . . mensis Septembris. Nobiles de Canossa, videlicet Dominus Guido, & Nicolaus Fratres, Castellani in Territorio Regino, venerunt in adhærentiam & recommendisiam Domini Marchionis ad offensas & hostilitatem Domini Ottonis. Die . . . . . mensis Septembris dicti Anni MCCCCVIII. Dominus Franciscus de Sassolo, Atthus de Rodilia, Nobiles de Corrigia, & de la Mirandula, & Castellani de territorio Regino adhærentes Domini Marchionis, explorato quòd maxima multitudo bestiaminum grossorum & minutorum reposita erat in loco, qui dicitur Valdasti in territorio Domini Karoli de Foliano complicis & soceri Domini Ottonis, cum omni eorum exfortio equitarunt illuc, & nullâ repertâ resistentiâ omnia ipsa bestiamina rapuerunt, quæ fuerunt ad numerum XII. millium capitum, abduxeruntque captivos pastores, & quamplurimos alios. Eodem die Sforcia cum gentibus armigeris equitavit usque Parmam, cuncta discurrens, & nullam reperiens obsistentiam, multa paria boum, nonnullosque captivos abegit; nam Dominus Otto, quamvis ita prope lacesseretur, nec egredi voluit mœnia, nec suos permisit armigeros extra ire. De mense Novembris. Cùm Dominus Otto explorasset, quòd Sforcia intendebat invadere territorium Parmæ in potentiori quanto posset exercitu, ipse Dominus Otto magis solicitus ad loca opulentiora ejusdem Parmensis territorii eduxit gentem suam, & exercitum in stativis tenebat apud Castrum Novum & Guastallam secus Padum, ut tutaretur loca illa, & alia circumvicina, quia illic erat multitudo magna bestiaminum grossorum & minutorum conductorum ab aliis locis non tutis. Sforcia explorata hac Domini Ottonis profectione, decrevit illum impetere, si fortè duo vulnera uno ictu posset inferre, videlicet Dominum Ottonem conflictare, & prædam ingentem abducere, de qua jam ante cogitaverat. Quare congregata omni gente armigera Domini Marchionis, quæ morabatur tam in Mutina, ubi ipse residentiam habebat, quàm in aliis locis, videlicet in Comitatu, & penes Nobiles de la Mirandula, & de Corrigia, & gente Domini Legati Bononiæ, quæ missa erat ad subsidia Domini Marchionis, & proficiscentibus etiam personaliter Domino Jache de la Mirandula, & Ghiberto de Corrigia: ipse die . . . . . . dicti mensis Novembris horâ tardâ egressus Mutina ad Corrigiam profectus est, ubi rem totam sui accessus cum Nobilibus prædictis disposuit in crastinum militaturus. Verùm ut exercitum Domini Ottonis in parte aliqua debilitaret, ex qua refactibilius sibi foret postmodum illum confringere, hanc præmisit astutiam, videlicet quòd certum agmen armigerorum misit versùs partes montanas Regii, qui loca illa discurrerent, itaut rumor ad Dominum Ottonem perferretur, & daretur ei occasio atque necessitas succurrendi Locis illis, & exinde minueretur exercitus suus. Interea se paravit Sforcia cum exercitu ad eumdum contra Dominum Ottonem, qui cum exercitu suo abiverat versùs partes montanas Regii, audito quòd invasæ erant ab hostibus; ignorabat enim quòd Sforcia transiturus esset ad locum destitutum. Sforcia, non reperto Domino Ottone, intendi fecit ad prædam animalium, & captivationem hominum, & utrorumque maxima facta est. Deinde celeri reversione cum ea multitudine prædæ & captivorum retroveniens attigit sospiter ad Bastitam Cantoni in territorio Regii, apud quem locum in planitie magna sisti fecit exercitum, & prædam omnem constituit sub tutela certæ partis armigerorum, quibus præfecit Dominum Jaches de la Mirandula, & Guibertum de Corrigia. Quoniam verò bastita illa de Cantono, quamvis parva, impedimento erat ad transitum, Sforcia fecit eam expugnari, quæ brevi spatio temporis victa est. Dum hæc sic fierent, ecce Dominus Otto cum equitatu suo superveniens in planitiem, in qua præda erat, distantem non longo tractu à bastita Cantoni, apud quam Sforcia posuerat signa sua, impetiit forti insultu partem illam exercitus, quæ ad præsidia prædæ constituta erat, & in fugam dispulit Dominum Jachexem, & Guibertum, qui non ad Sforciam, sed ad propria diverterunt. Sforcia relatis his sibi, repente commendato in custodia aliquorum ex suis vexillo sive stendardo suo, concitato cursu equorum contra Dominum Ottonem direxit. Ibique congredientibus utrisque exercitibus dirum conseritur prœlium, nec quidem breve, neque incruentum, cum pluribus hinc inde captis, & vulneratis, quibusdam cæsis, multis confossis &

& interfectis equis. Jamque Sforcia cum suis validiori & constantiori vi dimicabat, & Dominus Otto se succubiturum videbat, nisi cederet; quare passim retrocedens abiit confugitque Regium. Aliquanto superior fuit conditio Domini Ottonis in pugna illa, præcisè in numero Caporalium captivorum abductorum, inter quos fuit Micheletus nepos Sfortiæ. Sedato ut supra prœlio per discessum & diffugium Domini Ottonis, Sforcia cum exercitu & præda gratiâ tutioris securitatis se recepit in territorium Domini Mantuani intra fines Razoli, ubi putabat omnia esse debere in tuto; & quia jam dies declinabat ad sero, cupiens habere receptaculum in Razolo, nuntios suos ad id exposcendum misit ad Vicarium Razoli, quos ipse Vicarius ignominiosè recepit, & reliquos approximantes Oppido ex exercitu propulsavit jactu bombardarum. Tunc Sforcia videns, quòd jam nox proxima esset, diffidens de loco illo propter Domini Ottonis & locorum suorum viciniam, dimissis ducentis equitibus cum præda, ut illic pernoctarent, & in crastino recederent, abiit ad Oppidum Novæ, quod est Nobilium de Carpo, & mane sequenti Mutinam rediit. Ea nocte illi de Razolo cogitatâ perfidiâ cum lumeriis & nunciis evocarunt de Regio & locis, à quibus educta erat præda, multos; & ipsi insimul egressi Razolo succiderunt pontes, & devastarunt vada, per quæ erat transeundum illis, qui cum præda remanserant. Moxque dolosè insidiantes coëgerunt eos se diffusè dispergere, itaut quasi tota præda illa, quæ permaxima erat, per ipsos de Razolo, & alios, qui venerant, rapta fuit, & perditi ex equis ultra centum.

Anno Domini MCCCCIX. die Sabbati V. Januarii Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. & Magnificus Ugutio de Contrariis cum CCC. equitibus recesserunt de Ferraria, & iverunt Bononiam; colloquio deinde peracto cum Domino Legato, redierunt Mutinam ad processum guerræ contra Dominum Ottonem Regii & Parmæ Tyrannum. Circa finem Januarii Magnificus Dominus Dominus Pandulfus de Malatestis Dominus Brixiæ, colligatus Domini Marchionis, misit ex gentibus suis pro subsidiis Domini Marchionis circa DCCC. equites, qui circa principium Februarii transiverunt apud Bondenum, & profecti fuerunt ad Terram Sancti Johannis in Persiceto Comitatus Bononiæ, quæ Terra est præfati Domini Brixiensis, ut parati essent ad omne mandatum Domini Marchionis in opere bellico contra Dominum Ottonem. Die X. Februarii. Appulerunt Ferrariam in domum Domini Marchionis, tunc existentis Mutinæ, Magnifici Domini Dominus Pandulfus de Malatestis Dominus Brixiæ, & ejus Frater Malatesta Dominus Cæsenæ, venientes de Brixia, qui Malatesta noviter profectus fuerat Brixiam à Mediolano, ubi diu steterat in subsidio Domini Ducis Mediolani Generi sui ad bellandum contra Facinum Canem; sed non bene acceptus Mediolanensibus, opus habuit, annuente Duce, inde se abdicare; cujus rei & Ducem & Mediolanenses postmodum pœnituit tamquam sibi dispendiosæ non parum. Die XIII. supra proximi mensis Februarii post prandium. Præfati Domini de Malatestis recesserunt de Ferraria pro eundo Mutinam ad Dominum Marchionem, & cùm fuerunt in Finali, invenerunt illuc jam profectum esse Dominum Marchionem, qui redibat Ferrariam audito de adventu eorum Ferrariam. Tunc habito illic in Finali opportuno colloquio, Dominus Brixiæ tetendit ultra ad visendum Terram suam Sancti Johannis in Persiceto; & Dominus Marchio, & Malatesta redierunt Ferrariam die sequenti, & deinde rediit etiam Ugutio de Mutina Ferrariam. Dominus Brixiæ aliquot paucis peractis diebus in Sancto Johanne rediit iteratò Ferrariam. Die Veneris XXII. dicti mensis Februarii horâ XIV. Dominus Marchio, & Dominus Brixiæ, ac Ugutio recesserunt de Ferraria, & iverunt Bononiam ad colloquium cum Domino Legato, & eâdem horâ recessit etiam Malatesta tendens versùs Brixiam. Postquam verò Dominus Marchio, & Dominus Brixiæ per biduum morati sunt Bononiæ apud Dominum Legatum, Dominus Legatus, & ipsi insimul tetenderunt Forlivium, & inde Cæsenam, quò vênit ad parlamentum Magnificus Karolus de Malatestis de Arimino. Inde reverso Forlivium Domino Legato, Dominus Marchio, & Dominus Brixiæ perrexerunt Ariminum cum dicto Karolo de Malatestis, deinde redierunt Forlivium, & inde unà cum Domino Legato reprofecti sunt Bononiam. Postea dimisso Domino Legato, transiverunt ad Terram Sancti Johannis in Persiceto, & consummatis illic aliquot diebus iverunt Mutinam, ubi erat Ugutio profectus à Bononia, quando illic fuerant, antequam irent Forlivium. Die verò VIII. Martii Dominus Brixiæ recessit à Mutina, & processit Bondenum in cœnis & in hospitio præparatis per pincernam Domini Marchionis, & inde tetendit versùs Mantuam, rediens ad suam Brixiæ Civitatem. Die Dominico XXIV. Martii Illustris Dominus Marchio cum gente sua armigera equestri & peditibus multis, præmisso Sforza Capitaneo suo cum certo equitatu & turmis peditum, continuò subsecutus cum vexillis, in diluculo militavit contra Dinazanum Comitatus Regii Terram, & sedem principalem Domini Karoli de Foliano Soceri atque complicis Domini Ottonis Parmæ Tyranni; & oppugnato Burgo, quod in Fortilitio erat, eoque devicto Terram etiam prœlio subegit viriliter, eamque totam prædæ commisit, in qua ingens copia frumenti, vini, supellectilium, carnium salitarum, & animalium, reperta ac rapta est. Captivatio quoque hominum plurimorum, inter quos fuit Potestas illic præfectus pro Domino Karolo. Rocha verò comprehendi non potuit, tuentibus & resistentibus præsidiis, quæ intra erant. Facta populatione prædatoria jussit Dominus Marchio totam incendi igne Terram & Burgum, quod actum est nullo remanente incombusto edificio præter Rocham. Deinde quia Sol declinabat, Dominus Marchio cum omnibus suis illinc abiens Mutinam sospiter remeavit. Erat eo tempore Dominus Karolus apud Dominum Ottonem, penes quem agebat continuam mansionem, & erant ambo tunc Florenciolæ Oppidi Domini Ottonis, quibus cùm die sequenti circa Tertiarum horam attulisset nuncius novum de invasione Dinazani, repente cum omni possibili numero equestrium iter carpentes, concito

cito gressu equorum non destiterunt equitare, quoad Regium attigerunt horâ tardâ fatigatis vehementer equis, & cumpluribus vastatis ex longitudine itinerationis, quæ est circa XL. miliarium. Sed cùm comperissent jam omnia consumpta esse; in confusionem magis & rabiem, quàm in remedium adhibendum, suos cogitatus convertere opus fuit.

Eodem Anno MCCCCVIIII. die Martis secundo Aprilis. Dominus Marchio & Ugutio gratiâ disponendorum, & proximæ Festivitatis Paschalis, redeuntes de Mutina, appulerunt Ferrariam sospites dono Dei. Postquam Dominus Marchio discessit à Mutina, Sforcia quampluries cum armigeris equitavit in Territoria Domini Ottonis, & præcipuè apud Regium, insidiosè lacessens Guidonem Taurellum, qui pro Domino Ottone cum præsidiis erat in Regio, ut egrederetur; sed frustra erat, quia de industria mœnia non exibat. Duxit tamen Sforcia interdum aliquos captivos, quos in discursionibus contigit reperiri & aliquas prædulas animalium. Die Veneris XXVI. Aprilis Illustris Dominus Marchio rediit Mutinam discessu facto à Ferraria dicta die circa horam XVII. profectusque in cœnis & hospitio ad Terram Finalis, die sequenti salubriter attigit Mutinam. Ugutio verò remansit Ferrariæ pro rebus disponendis, sicut erat expediens, aliquot per dies. Postea & ipse Mutinam profectus est. Die Jovis secundo Maji Dominus Otto comparato omni suo conatu & potentia equestrium ad numerum MDCCC. & peditum ad numerum MM. in prima diei luce movit à Regio, & circa horam undecimam transiens Situlam inter Sassolum & Macretam, fecit discurri Territorium Formiginis, & convicina loca per præcursores suos, disponens insidiis uti, præmeditatus majora aucupari, si posset. Delatus fuit motus ejus ad Illustrem Dominum Dominum Marchionem, & Sforciam Capitaneum, qui mox eo audito captis armis in multa festinantia, sicut erat res subita & improvisa, cum illis equestrium copiis, quas tunc præsto esse contigit, addito etiam Domino Aliduxio de Forzate Mutinæ Capitaneo, Mutina egressi signa posuerunt in prato de Lentesono, supersedentes illic ad rei processum melius speculandum, & objiciendum se hosti, & conatus ejus confringendum, si declinaret illuc. Percepto deinde, qualiter res agebatur, secus Macretam motis à Prato de Lentesono signis versùs hostes iter carpebant. Sed cùm explorata difficultate cognitum sibi foret nimiam esse derogativam, & evidens periculum propter inæqualitatem copiarum, mutato consilio declinatoque illo itinere, per aliud Mutinam redierunt. Interea cum Domino Marchione movente à Prato de Lentesono cognitum fuisset Mutinæ, quòd ipse contra hostes sic tendebat versùs Macretam, actum est ex affectione & zelo tutationis ipsius Domini Marchionis, quòd vir nobilis Albertus de Boschetis, & nonnulli Cives Mutinenses, juvenes habiles ad arma multique Parmenses, & Regini exules accolæ Mutinæ, egredientes tetenderunt versùs Macretam, quo arbitrabantur tetendisse Dominum Marchionem non repertum in via ex itinerum diversitate; cùmque apud Macretæ terminos attigissent, & jam ad Dominum Ottonem notitia rei ejusmodi adventasset, continuò missis Armigeris suis circumsepti fuerunt ferè omnes, & captus Albertus Boschetus cum reliquis ad numerum XXX. hominum Mutinensium & LX. accolarum Reginorum & Parmensium, qui pariter profecti erant.

Anno Domini MCCCCVIIII. Die Lunæ XXVII. Maji. Admirabilis in virtutibus Justitiarum suarum Deus, cujus Sanctum est nomen atque terribile, & judicia vera justificata in semetipsa, qui superborum cervices humiliat, crudelium arma refringit, Impiorum quoque conatus exterminat, quique verissimus humanarum mentium cognitor rectas dirigit conscientias, malignas autem suffocat & confundit, audiens gemitus compeditorum, & solvens filios interemptorum, suum ab excelso Justitiæ suæ solio rectum demisit Judicium in perditissimum caput cruentissimi verèque Diabolici hominis Domini Ottonis, Parmæ ac Regii Civitatum Tyranni crudelissimi. Qui extra omnem humanitatem in humanum sæviens sanguinem abominandis facinoribus suis jamjam Terras infecerat, & extra omnem Christianam Religionem Dei potentiam Superorumque omnium honorem turpiter aspernatus, Cœlo erat infestus; cùmque favente sibi ductore suo Sathana mundana potentia locupletior factus, fallacibus fortunæ plausibus se præceps immergeret, eo vehementius in facinora crudelitatis ad hauriendum sanguinem simul & opes miserorum subditorum suorum, irrogandumque miserandas exterminationes à laribus patriis, exardebat. Nulli parcens perfidiæ, nulli indulgens fidei, Caritatis adversarius constantissimus, pervicax violator Divini Juris atque mundani, pervertens sceleribus res bellicas pariter & urbanas. Horum tamen malignorum morum ejus Diabolica perseveratio tamdem justissimi censoris omnipotentis Dei iram provocans tristissimi exitus inopinatum sibi laqueum generavit, ut quas ipse solita arte proditionum struebat insidias, in caput proprium denique converti sentiret, finisque adveniret extremus vitæ tam rabidi corporis, & ultio fusi sanguinis jam nimis clamitantis ad æthera, nec non exoptata redemptio oppressorum. Jam tamdem enim homo iste tartareus cùm amodo se lassatum & ferme superatum animadverteret in bello, quod Illustrissimus Dominus Marchio Nicolaus Estensis injustissimè lacessitus sibi justissimè inferebat, ad calliditatis suæ fraudes solitas animum vertit, & de capitali excidio ipsius Domini Marchionis, & Magnifici Ugutionis de Contrariis Mutinæ tunc degentium per proditionis remedium cogitavit, deposcens suppliciter per Oratores suos cum Domino Marchione concordiam atque pacem. Neque tamen erat intentio ejus ad pacem, sed simulatio venenosa, ut per speciem tractatus de pace sibi pararetur occasio & habilitas efficiendi, quòd ipse in versuto pectore struxerat ad perniciem Domini Marchionis, & Ugutionis aut per cædem, aut per capturam. At Dominus Marchio natura mitis, fidus, atque realis, insidiarum falsi hostis ignarus, tractatum concordiæ aspernatus non est. Subinde per Oratores ipsius hostis se fallaciter ostentantis avidum nimis ad pacem, ejus studio petitum atque persuasum

sum est opus esse communi colloquio personaliter inter partes ad declarandas pacis conditiones: quo non detrectato per Dominum Marchionem & Ugutionem fideliter agentes fuit de die ac de loco colloquii conventum, atque præfixum de loco, videlicet apud Irberiam die Lunæ XXVII. mensis Maji. Cùmque die illa juxta ordinem Dominus Marchio & Ugutio se Irberiam contulissent, ut colloquio daretur opera in loco constituto secus Irberiæ Fortilitium, factum est Divinæ bonitatis clementia, quæ cuncta justè disponens infundit rectè ambulantibus lumen revelationis in gratiam & salutem, quòd ad secretam eorum notitiam per veracem fidelemque relatorem perductum est, eis cavendum esse, & rem illam ex parte Domini Ottonis esse proditoriam & insidiosam, eumque non concordiæ tractatum, sed ipsorum excidium machinatum. His acceptis, continuò mutavere consilium, & vim vi, ac fraudem ingenio repellere statuerunt. Tuncque negotium cautius disponentes, egressique Irberia cum equitatu ad numerum C. equestrium circa horam XVIII. dolosum hominem venientem cum comitatu equitum ad numerum LXXXX. inter quos erant Nicolaus ejus filius, Dominus Karolus de Foliano Socer suus cum filio, Jacobus Tertius, Guido Taurellus, & quamplures Caporales ex primoribus armigeræ gentis suæ, obvium habuerunt secus Irberiæ Fortilitium in strata publica juxta locum, qui dicitur Pons altus, sive Tajata. Ibi præoccupata illius fraude, & injectis in eum & suos manibus, quemadmodum res exigebat, machinator ille fraudis scelestissimus, per manus Sforciæ & aliquorum sociorum mucronibus trucidatus, vitam malignantem effudit, & infelicem animam illam suo reddidit Promotori, qui gubernat Inferna; captique fuere Jacobus Terzo, & Guido Taurellus, ac nonnulli Caporales, & armigeri ad numerum XXXV. aliqui saucii, tres quoque interempti. Dum strepitus excandebat, Dominus Karolus cum filio suo, & Nicolaus de Terciis cornipedum suorum præsidio avulsi sunt, ceteri similiter non capti fugæ beneficio se salvarunt.

Ut autem execrando illi corpori defuncti carnificis pompa funeralis benemerita redderetur, traductum plaustro ignominioso Mutinam à multitudine concurrentium certatim direptum est, ac eviſceratum, & decapitatum, caputque ligno affixum à pueris per totam Civitatem ludibrio deportatum. Truncus deinde corporis in partes cæsus est, quæ pro spectaculo ad Portas Civitatis fuere suspensæ; hæcque cum tanto virorum & mulierum concursu facta sunt, ut loca vix caperent, tantoque fremitu congratulationis, ut rectè videretur genus humanum denuo esse redemptum. Et quod dictu mirabile est, non defuerunt plurimi, qui & dentibus & ferro discerpentes ex carne ac intestinis illius detestabilis cadaveris manducaverint: tanta erat rabies odiorum ad Tyrannum illum crudelissimum. Erat quippe tunc Mutinæ habitantium ingens numerus Reginorum, atque Parmensium, quos Tyrannus ipse nequiter exterminaverat à laribus. Novum hoc die sequenti per Dominum Marchionem significatum Ferrariam universam implevit gaudio Civitatem, & per diem integram ac sero acta fuerunt magnorum crebrorumque ignium multiplicata fallogia in plateis & vicis omnibus Civitatis, & die postera totius Cleri celebratæ Processiones pro laudibus & gratiarum actionibus ad Altissimum Redemtorem. (*)

In

(*) Quid de hac caede senserint egregii viri temporis illius, non incongruum puto patefacere, Epistolam proferendo hactenus in Estensi Bibliotheca latentem, quam Antonius Luscus Vicentinus scripsit, vir ea aetate inter primos, Literarum cultores celebratissimus.

„ ANTONII LUSCI VICENTINI

„ Viri clarissimi

„ *EPISTOLA*

„ AD ILLUSTREM

„ NICOLAUM ESTENSEM

„ ET FERRARIÆ MARCHIONEM

„ Pro cæde Tyranni Ottonis Tertii.

„ QUum pluribus ex caussis, Illustris & Magnifice Princeps, te magni facerem & amarem, animadversio hæc tua justa in artificem crudelitatis atque perfidiæ Ottonem Tertium facit, ut majorem in modum te diligam, teque omni laude dignissimum putem. Solus enim inventus es, qui portentum illud horribile merita cæde conficere potuisti. Quo facto tuo nihil magìs acceptum Deo, nihil hominibus gratius fieri potuisse, nemo sanus est, qui non dicat & sentiat. Magni quidam viri, quibus honores divinos concessit antiquitas, ob hanc maximè causam opinionem illam gentium & gloriam consequuti sunt, quòd sceleratos homines sitibundos sanguinis, & pietatis inimicos occiderunt, quòd terras his monstris virtute & ingenio liberaverunt. Qualem fuisse Herculem legimus, qui Cacum prædonem ex spelunca vi mactatum ejecit, qui Gerionem vicit, qui Busiridem interfecit. Sed quis prædo fuit umquam ullis in gentibus cum hoc Ottone comparandus? qui ab ineunte ætate in rapinis vitam agere cœpit, atque ita in hac consuetudine versatus erat, ut nil sibi dulce videri posset, nisi quod per injuriam rapuisset. Quis Gerion plures aras ad fallendum, immo verò quis Cerberus plura ora ad mentiendum atque vorandum habuit? quis Tyrannus tam cruentus? qui carnifex tam immanis fuit, quem iste in omni crudelitatis atque nequitiæ genere non superarit? Fecisti ergo non solùm fortiter, sed etiam piè, qui hoc infame portentum, hanc teterrimam belluam ex oculis hominum abstulisti. Cujus si velim esse in sceleribus singulatim enumerandis curiosus, una quidem Epistola hæc significare non potero; sed erunt magno libri volumine amplectenda, & pro genere & qualitate facinorum distinguenda. Nam quod est pessimi genus flagitii, in quo iste, non dico bis aut ter, offenderit, sed non sit in tota sua vita versatus? Libidines ejus fœdæ & in omni spurcitie detestabiles voluptates, si non insigni ejus nequitia & crudelitate offuscarentur, per se solæ hominem hunc infamem abominandumque fecissent. Verùm quum hæc languida & enervata vitia, mala quidem sint, Deoque displiceant, quia tamen soli videntur nocere, qui peccat, cedunt sceleribus istis, quæ & privatim & publicè multis nocent. Quod horum est autem ab hoc uno prætermissum? Nam hominum cædes non in prœliorum furore, quum belli quodam jure occidendi licentia videatur esse permissa, sed in media pace manu sua plurimæ, jussu verò & imperio ejus innumerabiles factæ sunt. Quum sæpenumero sinè causa, vel sola cupiditate rapiendi aliquid, vel insani furoris sui rabie stimulatus,

„ com-

,, commilitones suos jugulaverit, & honestos
,, cives trucidarit. Quæ homicidia nominatim
,, quum præteream, nefarium illud & crude-
,, lissimum scelus tacere non possum. Est enim
,, ita magnum, & ita longè lateque jam vul-
,, gatum, ut ex acervo ceterorum segregandum
,, esse videatur.
,, Ob unius satellitis sui ab hostibus interfe-
,, cti cædem tanta subitò ira exarsit, ut ma-
,, gnam Parmensium Civium, & agricolarum
,, multitudinem, quæ erat factionis Rubeorum,
,, in sui potestatem statim duci, & in conspe-
,, ctu suo trucidari jusserit. In quibus puerum
,, optimi civis filium sibi pueriliter blandien-
,, tem, de miseræ matris amplexu evulsum ju-
,, gulari & ad lapidem fecit allidi. Interfecto-
,, rum corporibus plaustra plura duodecim one-
,, rata ad hostium castra transmisit. Ubi nam,
,, scelerate vir, exemplum tam cruentæ occisio-
,, nis audiveras? Legerasne inter Romanas Hi-
,, storias multitudinem Marianorum jussu Syllæ
,, uno temporis momento jugulatam fuisse? sed
,, num intellexeras factum illud commemorari
,, solere non ad Syllæ laudem, nimium certè
,, crudelis, alioquin magni & civis & viri,
,, sed suæ crudelitatis infamiam sempiternam?
,, An tibi fortassis, quod cuidam Voleso Pro-
,, consuli sub Augusto res regia visa est multos
,, occidere? sic enim ille ait gloriabundus,
,, quum trecentos uno die securi percussisset. Si
,, te Romanorum Principum exempla delectant,
,, cur, quum & pietatis & clementiæ multa
,, commemorentur, nullum horum placet? Sed
,, naturam & consuetudinem tuam sequutus,
,, nihil laude dignum existimasti, nisi quod læ-
,, dat homines, Deum offendat. Satiasti igitur
,, oculos tuos, & sitim tuam ardentem cruore
,, innocentium extinxisti vel potius irritasti; &
,, velut victor exsultans magnum & memora-
,, bile carnificinæ tuæ officium implevisti. O
,, scelestum & impium caput! Quæ te furiæ
,, in tam horribilem insaniam præcipitaverunt,
,, ut propter unius tui famuli mortem, quam
,, fortasse meruerat, tot homines, qui omnino
,, erant illius cædis ignari, jugulares? Si te Ru-
,, beorum odium stimulabat, nonne ex adverso
,, ulla te patriæ caritas ad pietatem commove-
,, bat? cui tot viros rapere & trucidare potui-
,, sti. Sed quod odium poterat esse tam vehe-
,, mens in eos, cum quibus paulò ante fœdus
,, turpissimæ proditionis inieras? cum quibus
,, Parmam occupatam communi imperio tenui-
,, sti; nisi quòd eos, quos fide latrocinii rupta,
,, patria per vim ejeceras, funditus deletos esse
,, cupiebas. Sed esto: fuerit justum odium tuum;
,, in eos erat dumtaxat evomendum, à quibus
,, te læsum judicabas, non in cives innoxios,
,, non in rudes agricolas, qui famulum tuum
,, fortè non noverant. Quando verò ita te tuus
,, furor agitabat, ut capita multa pro uno ma-
,, ctanda statuisses, quasi largas & multi san-
,, guinis inferias mortuo donaturus, si quis ho-
,, minis sensus, si qua ratio humanitatis in te
,, fuisset, pepercisses saltem innocentissimo pue-
,, ro, quum fleret ante pedes tuos mater, &
,, ipse suæ sortis ignarus tibi manus tenderet,
,, & pueri lascivia blandiretur. O latro sævis-
,, sime! o nefande sicarie! nonne & tu filios
,, genuisti? nonne imago aliqua obversabatur
,, tuorum? Apud te misericordiam non invenit
,, ea ætas in patria tua, cui in externis & cap-
,, tis urbibus sæpe ipsi barbari pepercerunt. Et
,, tuis modò, qui obnixè admodum premuntur,
,, quis tui exemplo parcendum putabit? Unica
,, eorum salutis spes mihi esse videtur, si salvi
,, venient in potestatem placidissimi victoris,
,, qui magis clementiæ suæ rationem habebit,
,, quàm immanitatis tuæ.
,, Verùm, Princeps inclyte, ut ad te oratio
,, revertatur, quum iste impurissimus, supra
,, quam dici possit humani sanguinis sitibundus,
,, manus suas omni nefaria cæde maculavit,
,, villas incenderit, agros vastarit, Civitates &
,, oppida spoliarit, quum familias flentes for-
,, tunis ablatis de laribus avitis ejecerit, quum
,, denique divina humanaque jura perverterit
,, furiosissimus latro, fœdifragus nebulo, prædo
,, sacrilegus, concordiæ & pacis hostis, reli-
,, gionis oppugnator, honestatis & bonorum
,, omnium publicus inimicus: quis te, quòd
,, hominem hunc cruentissimum interfici jussisti,
,, non in omni laude decorandum putet? præ-
,, sertim quum tibi esset hostis infestus, teque
,, prius multis injuriis lacessisset; & qui te, si
,, suis verbis credidisses, sub umbra pacis in-
,, cautiorem oppressisset. Anne tibi amicus fi-
,, delior fuisset quàm fuerat domino suo Duci
,, Mediolani? à cujus patre Duce illo optimo
,, atque clarissimo Johanne Galeaz fuerat opi-
,, bus, honore, potentia amplificatus, immo
,, factus ferè de nihilo. Filios tamen ejus ado-
,, lescentulos, quum sibi sui status defensionem
,, magna ex parte commisissent, & florentes illi
,, copias sui exercitus tradidissent, ingratissi-
,, mus omnium decepit, prodidit, oppugnavit.
,, Quotiens enim, postquam cœperat tumultuari
,, Liguria populis partium studio concitatis,
,, quum hic in agro Parmensi cum exercitu re-
,, sideret, & Rubeorum potentiæ post pacem
,, Ecclesiæ obstare se diceret, quoties, inquam,
,, & Florentinorum, & tuos, & soceri tui,
,, qui eratis adversarii, nuntios audivit? &
,, cum his de prodendo Domino suo tractavit?
,, Tu nosti: & ego fortassis aliquid cognovi;
,, nam tunc eram, ubi talia agitabantur. Sen-
,, tiebant multa de his, secumque indignaban-
,, tur magni quidam viri consiliarii ob intesti-
,, nam discordiam: tanta erat sententiarum va-
,, rietas, & adversarum voluntatum pertinacia,
,, ut nulla in tantis periculis satis firma provi-
,, dendi ratio teneretur. Atque unam hanc ob
,, causam maximè illa ingens Monarchia Ligu-
,, stica dissipata est, ut tibi, ceterisque Princi-
,, pibus magnum documentum fiat, quàm per-
,, niciosa res sit consilium, à quo omnem rem
,, publicam regi oporteat, simultate esse divi-
,, sum. Relinquatur ergo id tempus, quo, quan-
,, tum poterat, se fidelem videri volebat, quum
,, tamen proditionum suarum vestigia cerne-
,, rentur. Veniamus ad tempora apertæ perfi-
,, diæ; nam quum plerique alii parum in offi-
,, cio & fide manserint, curaverunt tamen ali-
,, quo honestæ excusationis velamento se posse
,, defendere. Hic unus ita palàm fuit proditor,
,, ut exinde studiosè famam suam ampliare, &
,, gloriam quærere videretur. Rubeis enim pa-
,, làm occupandæ Parmæ fecit potestatem, quum
,, Domini sui inimicos sciret, & prædicaret,
,, & suos esse diu ante finxisset; cùmque his
,, communem dominatum arripuerit, inde Pla-
,, centiam solus invasit, & cepit Castella &
,, præsidia Domini sui frustra diuque oppugna-
,, vit; qua spe delusus, civitatem eam pecu-
,, niæ pactione restituit. Parmam inde Rubeis,
,, Regium inde te pulsis, obtinuit, Placentiam
,, iterum fide rupta diripuit. Quoties his tem-
,, poribus Mediolanensem agrum, ut vi metu-
,, que pecuniam à Civibus extorqueret, vasta-
,, vit? & sub defensoris nomine plusquam ho-
,, stis rapacissimus fuit? Nec quamvis magna,
,, ut volebat, stipendia recepisset, fuit fidelior
,, in expeditione Laudensi. Nam quum posset
,, vincere, corruptus cum exercitu suo discef-
,, sit, & Civitatem liberavit obsidione. Postre-
,, mò quum Facini Canis, alterius pestis Italiæ,
,, copias ductu atque consilio Jacobi de Verme
,, feliciter fudisset, persequi reliquias noluit,
,, animo semper infido metuens, ne convale-
,, sceret Domini sui Status; & ob eam causam
,, cum illo victo atque fugato se statim fœdere
,, amicitiaque copulavit. Nec erubuit tamen
,, hic nebulo, quasi in præmium gestarum à se
,, rerum, Viperam Signum Principum, Signum
,, dico antiquissimis ornatum triumphis, vene-
,, rabile Populis, hostibus formidatum, misceri
,, solitum inter signa Regalia, deposcere & so-
,, ciare cum suo; ut servus toties fugitivus &
,, transfuga, Domini sui socius videretur. Cu-
,, jus rei indignitas sæpe multos ad iram, mul-
,, tos ad cachinnum movit.
,, Non hæc ita recenseo, ut planè velim do-
,, cere, quibus dolis, & quoties Dominum suum
,, iste prodiderit (longa nimis esset historia)
,, sed ut summatim eum, qui nullam habuisset
,, & Domino & benefactori suo fidem, tibi
,, parum constantem in amicitia fuisse futurum
,, ostendam. Fuit igitur hic pestilens inimicus
,, aut tibi diu ferendus cum exitio finitimorum,
,, cum gravissima jactura atque periculo status
,, tui, aut tandem ferro appetendus. Itaque
,, quum tibi, qualitercumque fuisset oblata il-
,, lius interficiendi facultas, si ea usus non
,, fuisses, scelus, crede mihi, scelus, dico, &
,, maximum flagitium commisisses. Ut si qui
,, for-

In discrimine hoc cædis Domini Ottonis & captivationis suorum res tota Domini Marchionis & Ugucionis suorumque omnium fuit integra atque salubris, præterquam in persona Domini Aliduxii de Forzatè Patavini generosi Militis atque strenui tunc Mutinæ Capitanei, & in expeditione illa cum Domino Marchione profecti. Huic enim, adversante fato, contigit, quòd dum intrepidus æstuabat, in quo se strenuè exercebat, equi sui frænum defecit, ob quod vacillantem equum vertere & dirigere adnitentem, adversariorum quidam jam pronus ad fugam ense educto graviter vulneravit in flancho; sed & aliud sinistrum adjectum est, quia jam saucius non patiente equo regimen, & errore præcipiti discurrente opus habuit se ad terram lubricanter dejicere, quo in prolapsu pectus humo vehementer allisit; & adductus subitò Mutinam, non adjuvantibus omnium medelarum experimentis, die primo Junii morte absumtus est. Post exactam meritam cædem Domini Ottonis Tyranni truculenti cùm constitisset Domino Marchioni illos de Domo ipsius Tyranni, videlicet de Tertiis, quorum caput erat Dominus Jacobus olim frater ejus, suboccupasse Dominium Parmæ, & Regii, pro filio legitimo quondam Domini Ottonis puerulo: idem Dominus Marchio, comitante Magnifico Ugutione de Contrariis, deliberavit exercitu educere contra Regium & Parmam, auferendo tamen prius in ea profectione de medio Castella Domini Karoli de Foliano hostis sui, qui fuerat magna causa originis discordiæ, atque belli, & continuè astiterat Domino Ottoni genero suo in bello & omnibus scelestis actionibus. Quare ad augendum exercitum belligeris equitibus & peditibus, & sub stipendiis & per delectus peditum, ex subditis sibi locis, nec non ex locis adhærentium suorum curam solertem adjecit. Similiterque ad paranda munimenta Bombardarum, Balistarum, Sagittamentorum, & rerum aliarum, quæ ad opera bellica sunt maximè necessaria. Ipse quoque personaliter cum modico equitatu adivit Reverendiss. Patrem & Dominum Dominum Baldisarem Legatum Bononiæ pro certis impetrandis subventionibus, à quo omnia liberaliter obtinuit postulata, cùm vehementer & ipse Dominus Legatus, omnesque Bononienses lætati forent de excidio Tyranni, & exosam haberent totam Domum suam. Et insuper idem Dominus Marchio evocavit omnes Parmenses & Reginos Cives expulsos, qui sub dominio suo habitabant, & aliunde à pluribus locis, qui multi erant, & qui gaudenti animo ad eum tamquam redemptorem suum properarunt. Ceteraque opportunè disponere studuit, quæ ad apparatum negotii facere visa fuere. Inter hæc Illustris Dominus Marchio ad suam admisit reconciliationem Nobilem virum Guidonem de Taurellis de Mantua captivum suum Armigerum strenuum, qui in re militari primum obtinuerat locum apud Dominum Ottonem; & factus est idem Guido adhærens præfati Domini Marchionis cum duobus Castellis suis, videlicet Guastalla, & Monte Cherugulo in Diœcesi Parmensi, quæ Castella sibi Dominus Otto donaverat. Promisitque jurejurando fidelitatem eidem Domino Marchioni, ac militarem profectionem personæ suæ contra Regium atque Parmam, in quorum cautionem observandorum dedit obsidem Dominum Marsilium ejus Patrem, & Uxorem propriam, ac Filium adolescentulum mansuros Ferrariæ. Qui die Jovis VI. Junii appulerunt Ferrariam, amicabiliter acceptati mandato Domini Marchionis, & collocati in Palatio suo, & sumptibus ejus.

Inter hæc etiam Illustris Dominus Marchio misit de Mutina Ferrariam per navim infrascriptos captivos suos & Ugutionis, olim Caporales Armigeros Domini Ottonis, qui positi fuerunt in custodia intra Castrum Ferrariæ, Jacobum de Tertiis, Petrum Cantellam, Rigum Teotonicum, Perinum de Placentia, Jacobum de Mediolano, Johannem de Parma, Rampinum de Cittadella, Johannem Picininum, Fornainum de . . . . . Marchesium de Pistorio, Honofrium de Savignano, Luchinum de . . . . . . Gerardinum de Boscho . . Sbaram de . . . . Compositis omnibus, quæ ad militiam & rem bellicam pertinebant, in Dei nomine & Sancti Georgii die Martis quarto mensis Junii

„ fortè reperiantur, qui vel aliorum gratia, „ vel sua dementia te proditi hominis crimine „ insimulare voluerint, intelligant, te non so„ lùm nihil turpe in ea cæde admisisse, sed apud „ Deum primò, cui nullum sacrificium scele„ rato sanguine gratius datur, non mediocre „ meritum, apud homines & laudem & singu„ larem gratiam fuisse consequutum. Nec enim „ cum his ego, qui plurimum pro tua digni„ tate contendo, ea utor ratione defensionis „ tuæ, quam probat apud Virgilium Coræbus, „ *dolus an virtus, quis in hoste requirat?* In „ omni hominis actione virtutem requiro ego. „ Placet id mihi potius, fidem etiam hosti esse „ servandam. Ita dico, si cum hominibus cer„ taretur, cum quibus & pax & bellum fieri „ posset. Sed si aliqua bestia immanis naturæ „ suæ conditione hominum generi inimica in „ agris inventa sit, quæ pabula & fontes infi„ ciat veneno, pastores cum armentis depasca„ tur, fiatque propter eam colonis exterritis per „ rura solitudo: quis cum hac truculenta bestia „ dicat fidem oportere servari, ut non feriri „ honestè possit, nisi sibi ante fuerit denuntia„ tum? quis non potius ad eam opprimendam „ obterendamque omni arte & ingenio & co„ lonos regionis & advenas convocabit? quod „ judicium, quis Senatus, quæ concio homi„ num non ornabit eum laudibus, & præmiis „ insuper honestabit, qui in hac extinguenda „ cautior fuerit atque prudentior? Coletur is „ profecto & amabitur, & non solùm dum vi„ vet, erit in honore regionis liberator, sed „ fama illius celebrabitur beneficii memoria sin„ gularis. Quod quum ita sit, quis negabit & „ hoc factum tuum non aliter sempiterna cum „ tui nominis gloria memorandum? Non enim „ tibi reserat cum homine, qui vel beneficio „ placari, vel aliqua humanitatis aut officii ra„ tione contineri in pace & fide posset, sed „ cum fera teterrima, quæ Caucasi, quæ Hir„ caniæ, quæ Indiæ, & Lybiæ omnia imma„ nia & venenosa monstra superabat. Erat enim „ in figura hominis animus quidem expers hu„ manitatis, inclusus, efferatus, impius, infi„ delis: cujus summa erat voluptas in rapinis „ & sanguine. Nullum igitur officium hominis „ cum hac funesta bellua, velut cum homine, „ fuit servandum. Factum est hoc à te uno, „ quod omnes optabant. Nemo alius poterat, „ nec audebat. Nihil autem aliud ad plenum „ cumulum laudis tuæ restat, nisi ut catulos „ hujus feræ persequaris, & de latibulis, in „ quibus se incluserunt extrudas, ut securitati „ tuæ Status, quem in terris illis multa cum „ gratia hominum ampliavisti, & paci populo„ rum, qui te velut quoddam beneficum sidus „ intuentur, plene tua virtute provisum sit. „ Vale & vince.

Junii de mane, Illustris Dominus Marchio, comitante Magnifico & strenuo viro Ugutione de Contrariis, & militantibus secum strenuo viro Sforza Capitaneo Generali, & Guidone Taurello, nec non aliis Nobilibus infra descriptis, sub insignibus, & vexillis exercitualibus digrediens à Mutina cum exercitu exivit ad campum, & prima castra posuit contra Arcetum Castellum Domini Karoli de Foliano distans ab Irberia per quatuor milliaria. Gerardus de Bojardis de Irberia, Dominus Albertus della Sale Miles, Dominus Nicolaus de Obicis Miles, Dominus Nannes de Strociis Miles, Albertus de Robertis de Tripoli, Feltrinus de Bojardis, Petrus de Piritatis, Bonifacius Domini Rainaldi de Ariostis, Gerardus Jacopini de Rangonibus, Johannes de la Mirandula, Galassus de Corrigia, Guibertus de Corrigia, Bonifacius de Canossa, Henricus de Galuciis, Rodul . . . . Superadditus est dicto exercitui Capitaneus Montaneæ Bononiæ cum turmis peditum, & dux provisionatorum pedestrium Domini Legati Bononiæ cum optimis provisionatorum ipsorum cohortibus missis à Domino Legato, necnon præsidia peditum, qui venerunt à Terra Sancti Johannis in Persiceto. Et fuit numerus totius exercitus ad MDC. equites, & MD. pedites. Et eodem die IV. Junii. Præfatus Dominus Marchio fecit debellari dictum Arcetum, quod vi prœlii captum est, & ad saccomanum expositum. Successivè Rocha per deditionem intrinsecorum habita est, salvis eis in personis & rebus, & mox præsidiis Domini Marchionis loca munita. Et die VII. dicti mensis Junii. Aliud Castellum Domini Karoli de Foliano vocatum Casalgrande obsessum & debellatum à Domino Marchione, coactis ad deditionem intrinsecis, cum Fortilitio Rochæ venit sub jugum præfati Domini Marchionis. Eodem die VIII. Junii Castella alia duo dicti Domini Karoli de Foliano, videlicet Dinazanum, & Salvaterra, obsidionem & expugnationem timentia acceperunt cum suis Fortilitiis jugum præfati Domini Marchionis. Die eodem VIII. Junii Nobiles viri Beltrandus & Jacobus de Foliano Fratres Domini Karoli de Foliano, animadvertentes optimam jam Oppidorum suorum partem venisse in ditionem Domini Marchionis per bellicam violentiam, & desperantes de defensione reliquorum contra tantam potentiam ipsius Domini Marchionis, petierunt & suppliciter impetrarunt adhærentiam cum locis suis apud Dominum Marchionem, quam ipse non dedignatus, illos admisit, remanente excluso Domino Karolo, qui apud hostes degebat; & ad cautionem fidei observandæ deposuerunt pro obsidibus suis penes Dominum Marchionem duos eorum natos ex fœdere speciali.

Peractis, quæ supra proximè dicta sunt, Dominus Marchio intentus ad ulteriora, contra hostes die Dominico nono Junii totum exercitum providentissimè ordinavit, & sub insignibus vexillisque, ac cum Carreagiis & aliis ad rem facientibus, cum Ugutione, & Sfortia Capitaneo, & aliis suis, per itinerarium collimontanum perque fines hostium processit apud Oppidum Mocedellarum de Comitatu Regino, & ibi signa ac castra firmavit. Neque inibi aliud bellicum præter certas leves scaramucias cum hostibus & vastationem messium actum est. Die sequenti Lunæ X. Junii moto inde exercitu processum fuit, transeundo secus quatuor Castella ad fluentum Hentiæ in territorium Parmæ apud Guardasonum, & Monticulum, & ibidem in ripis Hentiæ posita fuerunt castra contra Fortilitium Sancti Pauli, qui locus arduus & suspectissimus erat, quia circumquaque septus erat à validis hostium locis. Et eadem die, similiterque sequenti nocte, hostes ipsi nonnullas aggressiones contra exercitum experti sunt, licèt incassum propter optimam resistentiam sibi factam. Illic fuit Domino Marchioni nuntiatum, omnes vires hostium parari ad insultandum exercitum in progressu ad Parianum. Neque fuit novum illud indignum cauta provisione adhibenda in profectione. Quare Dominus Marchio nihil propterea minuens propositi sui, sed ardentius augens animum, repositis in Fortilitio Chieruguli, quod erat Guidonis Taurelli, carreagiis omnibus & munitionibus, ne impedimento forent, die Martis XI. Junii trajecit exercitum ultra Hentiæ Fluentum, & subsequenter Fossam Serralei, nullo objecto sibi obstaculo, licèt sit passus ille suo situ periculosus & dubius. Dumque ad iter procederetur, nunciatum fuit hostes in omni sua potentia paratos ad pugnam se recepisse apud Parianum, illicque manere dispositos confligere cum exercitu Domini Marchionis. Tunc Dominus Marchio, Ugutio, & Sforza non aliud rati quàm confligendum esse cum hostibus, ad disponendum ex ordine exercitum, & ad hostes petendos intenderunt, instructis ordinibus Armigerorum equestrium simul & peditum; & Dominus Marchio vexillo suo fulgens, in armis excelsus, sonipede insignis, militiæ suæ locum tenebat. Hoc modo ultra processit exercitus usque ad fluvium, qui dicitur Parma, & ibi signa firmata sunt in glarea fluvii, expectando hostium adventum. Sed non apparuerunt ex eis, nisi fortasse CCCC. equites, qui speculati ordinem exercitus, continuò retrocesserunt; & exercitus ultra proficiscens constitit secus Villam Nobilium de Rubeis, quæ Panochia dicitur, distantem à Civitate Parmæ VII. millium passuum spatio, & à Fellino Oppido Rubeorum trium millium passuum. Ibi firmatis castris traxit Dominus Marchio cùm toto exercitu continuam mansionem per sex dies absque depopulatione ulla vel præda. Quinimmo edici fecit per publicam Cridam, ut universis Parmensibus atque Reginis liceret impunè venire & ire pro libito suo, jussitque dimitti certos captivos, qui in Parmensibus finibus capti fuerant. Eo temporis intervallo hostes diurno ac nocturno tempore pluries insultarunt exercitum, sed continuè sorte deteriori reversi sunt, plurimis captis ex eis. Commeatuum aliqua fuit defectio. Die verò Lunæ XVII. Junii nonnullis bonis respectibus decrevit Dominus Marchio inde exercitum traducere in Regii territorium. Itaque motis castris iter carpebat, cùmque secus Guardasonum appulisset, significatum habuit, qualiter hostes omnium suarum copiarum equestrium & pedestrium apparatum summa vi fecerant, ut exercitum Domini Marchionis aggrederentur, intendentes, si occasio sibi faveret, ulti-

timum exercere excidium in omnes absque ullo salutis remedio; & ubi id sibi non successurum animadverterent, decreverant castra ponere sua per obsidionis modum ad versùs castra Domini Marchionis; & gentes suas diviserant atque instruxerant ordine tali, videlicet primò apud Parianum constituerant centum equites, qui frequenter persequerentur & vexarent extrema exercitus. Johannes Malvicinus hostium Capitaneus cum CCC. equestribus ex flore armigerorum se contulit in partem superiorem secus Guardasonum. Dominus Johannes de Tertiis, Dominus Karolus de Foliano, & Nicolaus Guerrerius cum signis suis, & cum residuo armigerorum equitum circa numerum DC. & turmis peditum consistebant apud Monticulum. Hi omnes exercitum Domini Marchionis per omnia latera debebant impetere. Postquam hoc scitum est, Dominus Marchio cum Ugutione, Sfortia, & reliquis suis, decrevit confligere cum Johanne Malvicino, & cum illis CCC. equestribus, qui apud Guardasonum & in Monticulo, ut prædicitur, secus erant. Quare firmatis signis in fluento, quòd illac allabitur, vocato Termina, præmissi fuerunt ex composito gratiâ lacescendi aliqui pedites, nonnullique equites, qui montem ascenderent, & Sforcia cum delecto armigerorum numero constitit ex transverso ad costam montis. Hostes visis illis pauculis peditibus & equitibus, qui præmissi erant quantocius irruerunt, scaramuciam acriter conferentes, illicoque aliquot comprehenderunt ex eis. Tunc cognoscens Sfortia hostes ipsos proinde animum auxisse, erupit, & interruptâ hostium resistentiâ, collem ascendit. Ibi congressæ sunt ad invicem partes hostiliter, & dirum atque sanguinolentum prœlium actum est per duas ferme horas. Tamdem fuerunt hostes conflicti & superati captique ex ipsis ducenti equites & ultra ex melioribus armigeris partis hostilis. Johannes Malvicinus, & ceteri, quibus contigit non captivari, ad diversa loca fugientes perrexerunt. Dominus Johannes de Tertiis, & reliqui, qui, ut supra dicitur, instructi erant pro insultando exercitum, ea audita clade Parmam redierunt. Istis actis Dominus Marchio cum exercitu prosequens iter cœptum, declinavit apud Oppidum Sancti Pauli, die Lunæ XVIII. Junii de mane, inde digrediens vènit apud Mocedellarum Fortilitium, successivè contra Regium, in locum, qui dicitur Sanctus Mauritius, & ibi feliciter castra constituit. Eo tempore defecerunt à Tertiis ad Dominum Marchionem Nobiles Dominus Simon Miles, Guido, & Albertus de Canossa cum quatuor Castellis, & Zesso, ac Canossa. In supradicto hostium conflictu aliqui ex ipsis ferro ceciderunt, inter quos fuit Acharixius de .... trucidatus prœliando, Comes Antoniuccius dell'Aquila lanceâ trajectus, & frontem saucius telo balistæ, vitâ excessit in Guardasono. Et Caporales principales capti tunc sunt infrascripti, Comes Martellatus, Petrus Stanga, Chochus de Alexandria.

Dum Dominus Marchio sic vehementer premeret hostes, & eorum fines acriter perturbaret, Ducale Dominium Venetiarum ad instantiam Domini Jacobi de Tertiis voluit interrumpere & impedire negotium Domini Marchionis; & ob id faciendum misit Legatum unum Parmam ad conciliandum & confirmandum stipendiarios, & unum alium misit Legatum ad Dominum Marchionem, qui tunc in Panochia castrametabatur. Qui quidem Legatus in effectu Domino Marchioni pro parte Ducalis Dominii nuntiavit, amodo filium olim Domini Ottonis & Statum Parmæ ac Regii esse sub recommendisia & protectione ipsius Ducalis Dominii, hortans Dominum Marchionem ad desistendum à bello, & ad volendum cum hostibus concordiam per interpositionem præfati Ducalis Dominii &c.

Ad hoc Dominus Marchio, circumspecta gravitate servata, nequaquam tamen dispositus desistere à processu belli, responsum reddidit prudentissimum, quo satis apertè & honestè edocuit, ambasciatam illam esse minus quàm honestam & æquam, & se non destiturum tam leviter à negotio suo, non tamen visus sub aliqua turbatione aspernari Legatum vel Legationem. Moxque Legatos suos ipse Dominus Marchio ea de causa ad Ducale Dominium transmisit. Interea verò contigit, quòd Dominus Marchio Parmam habuit: propter quod ipsum Ducale Dominium factum placabilius, necessariò dictis Legatis Domini Marchionis responsum gratum dedit, non abnuens patienter sustinere, si Dominus Marchio ad rem suam procederet & intenderet. Verùm idem Ducale Dominium, concedente Domino Jacobo de Tertiis accepit & munivit pro Communi Venetiarum Fortilitia Casalis Majoris, & Brixelli, atque Terram Colornii, quæ erant de Districtu Parmensi posita secus Padum. Rocha verò Colornii in potestate & custodia Tertiorum reservata fuit. Quum Dominus Marchio cum exercitu obsideret Regium tenens castra in Sancto Mauricio, factum est quòd Populus Parmæ tumultuavit contra Statum illorum de Tertiis, discurrens per totam Civitatem, & conclamans: *Vivat Populus*. Quod cùm foret Domino Marchioni nuntiatum, ipse repente motis castris cum exercitu in strenuissimo apparatu die Martis XXV. Junii versùs Parmam equitavit, noctêque illa ad Pontem Hentiæ hospitatus est. Et die sequenti XXVI. Junii ad Parmæ mœnia se viriliter transtulit. Jam enim illa die Populus ille tumultuans vocare cœperat nomen Domini Marchionis: Cujus rei auctores erant Ghibertus, & Johannes Martinus fratres Nobiles de Sancto Vitale, amici Domini Marchionis, cupientes patriam illam de manibus tantæ Tyrannidis liberare. Tunc viso, qualiter Dominus Marchio cum tanto exercitu prope erat, universus Populus ipse tam Nobilium, quàm plebejorum, & maximè faventibus dictis Nobilibus de Sancto Vitale, & ferè omnes stipendiarii armigeri illic degentes clamitarunt: Vivat Dominus Marchio. Et egressi in multo numero Civitate accesserunt ad Dominum Marchionem, alacriter salutantes eum in Dominum suum, & offerentes sibi ingressum & dominium Civitatis, stipendiariis illis petentibus se conduci ad ejus servitia. Dominus Marchio more suo, ut decuit, jocundè atque generosè Civibus comitantibus in ingenti multitudine, & cum permaxima lætitia, cum Magnifico Ugutione, & Sfortia Capitaneo, cum certa parte exercitus in Dei nomine sub trium-

triumphalibus vexillis suis per Portam Sancti Michaelis Civitatem feliciter introivit, & ad atrium Dominicum recto itinere tendens, ibi descendit. In cujus Domini Marchionis accessu tanta fuit multitudo personarum utriusque sexus concurrentium ad eum videndum, ut nullus ferè non veniens remaneret, tantusque plausus lætitiæ & jubilantium præ gaudio strepitus, ut inexplicabile sit. Sic introductus Dominus Marchio plenum & integrum habuit dominium totius Civitatis, Cittadellâ exceptâ, in quam confugerat Dominus Jacobus de Tertiis, licèt postmodum non satis fidens mansione illa, dimissis ibi præsidiis suis, se in Arcem Guardassoni contulerit.

Degente sic Domino Marchione in Civitate Parmæ, unà cum Ugutione, & Sfortia, cum armigeris solitis, atque aliis armigeris, qui prius fuerant ad servitia hostium, & quos nunc Dominus Marchio ad stipendium suum acceperat, & intendente ad obsidionem Cittadellæ, quæ rebellis erat; Cives Regini, & stipendiarii illic morantes die XXVIIII. Junii tumultu facto Civitatem Regii in sua potestate pro Domino Marchione acceperunt, exceptâ Cittadellâ. Quod cùm significassent Domino Marchioni, petentes mitti subsidia, Dominus Marchio illico Ugutionem cum certo gentis numero illuc transmisit, qui Ugutio à dictis Civibus lætissimè introductus dominium Civitatis, exceptâ Cittadellâ, pro Domino Marchione plenum obtinuit cum vehementissima Civium illorum lætitia. Ex tunc adjecit Ugutio solertissimam curam ad obsidionem Castri, sive Cittadellæ rebellis, quæ fortissima erat, & præsidiis optimis communita, contrafigens bastitas, & circumducens foveas tam pro oppugnatione, quàm pro resistentia, ne aliunde posset succursus aliquis introire. Et ut omnia circa rem illam providentius agerentur, accersivit Magistrum Dominicum de Florentia Ingeniarium Domini Ducis Mediolani hominem industriæ præstantissimæ, qui dum infelix nocte quadam per tenebras satageret figere stationes pro locandis bombardis juxta foveam Cittadellæ ad oppositum Portæ, excussâ ab intrinsecis bombardâ quadam in eum, collisus & interfectus occubuit, eodemque lapidis ictu tres quoque ex operariis perierunt. Cùm itaque Dominus Marchio Cittadellam Parmæ, & Ugutio Cittadellam Regii continua ac gravi obsidione incessanter opprimerent, Intrinseci post multam resistentiam tamdem ad deditionis fœdera sub certorum dierum terminis coacti sunt; & secutum est, quòd die XXVII. Julii Dominus Marchio introivit, & obtinuit Cittadellam Parmæ, & die XXII. Julii Ugutio Regii Cittadellam: Deinde die XXI. Julii in Ecclesia Cathedrali Civitatis Parmæ cum ingenti alacritate atque concursu totius Populi Parmensis, & cum debitis solemnitatibus Populus ipse Domino Marchioni tradidit vexilla, claves, & baculum Dominii Civitatis & Comitatus. Dominus verò Jacobus de Tertiis cum aliis de Domo sua certa Oppida in Comitatu occupavit, utpote Burgum Sancti Domnini, Castrumnovum, Florentiolam, Rocham Guardasoni, amisâ Terrâ, & quædam alia. Veneti verò, sicut ante, tenuerunt Fortilitia Casalis Majoris, Brixelli, atque Terram Colornii, de quibus in præcedenti proximè Capitulo mentio facta est. Ob supradictos successus felices, & victorias Domini Marchionis, maxima incessit congratulatio atque lætitia mentibus universorum Civium & Subditorum ejus. In cujus rei signum multiplicata & magna fallogia per totam Civitatem Ferrariæ facta fuere de die in diem, secundùm quod nuntiabantur, per Collegia Artium celebrata; processiones quoque ad Dei laudem per Dominum Episcopum & totum Clerum Civitatis peractæ solennes. Johannes Malvicinus, Galeacinus de Parma, & Matthæus à Focho, Caporales armigeri soliti esse ad servitia hostium, & noviter conducti ad stipendium Domini Marchionis, & existentes secum Parmæ ante deditionem Cittadellæ, conspiraverant ad patrandam cædem ipsius Domini Marchionis; sed conspiratione detecta, capti, & supplicio capitali damnati super platea Parmæ decollati fuerunt.

Postquam, ut dictum est, Illustris Dominus Marchio Parmæ & Regii dominio ad votum, Dei gratiâ exterminatis hostibus, potitus est, & res omnes illic juxta necessitatem dispositæ, decrevit remeare Ferrariam. Quare constituto & dimisso loco sui Magnifico Ugutione, & sub eo Sfortia Capitaneo cum Armigeris suis, & aliis armigeris noviter conductis ex illis, qui antea ad hostium stipendia militaverant, qui erant circa numerum D. ipse Dominus Marchio die XXVIII. Julii à Parma digrediens, die ultimo mensis ejusdem circa horam XIX. Christo favente, Ferrariam feliciter sospes appulit. De cujus reditu incolumi universus Populus Ferrariensis consolatione inexpressibili repletus est, congratulans Dominum suum, post tot bellorum labores & pericula, victoriosum & sospitem revidere. Et ante ipsius Domini ingressum in Civitatem maxima Civium copia obviam ivit, multique hastiludentes, & alios jocos agentes, præcedebant, sequentibus quoque diebus aliquot per Artium Collegia diversæ ludorum & festivitatum maneries ad gaudium actæ sunt. Quum Florentini gravi & infestissimo bello pressi à Rege Ladislao multam fecissent apud Dominum Marchionem instantiam, ut gentem suam armigeram eis concederet, quin etiam ipse prœlialiter ad eorum subsidia militaret, vel mitteret Ugutionem, Dominus Marchio virum strenuum Sfortiam Capitaneum suum cum DC. lanceis equestrium & certo numero peditum ad præfatorum Florentinorum stipendia sub firma quatuor mensium firmiter, & aliorum quatuor ad ejus beneplacitum, locavit atque transmisit. Qui Sfortia consummato bellico servitio, quod ipse Domino Marchioni strenuè præstiterat adversùs truculentos Tyrannos de Tertiis, cum bona licentia Domini Marchionis, & mandatis ejus plenè institutus, de mense Septembris cum numero gentis præscripto abiit versùs Florentiam. Residuum gentis Armigeræ penes Ugutionem Parmæ remansit, ut erat, ad servitia Domini Marchionis, cui armigeræ genti Præfectus fuit Fermus de Sancto Felice. Et prædicto Sfortiæ ante discessum suum præfatus Dominus Marchio, uti justus, ac gratus existimator virtutis, ob illius egregia merita donavit Castellum Monticuli, quod est de Comitatu Parmensi.

mensi. Quia Rocha Guardasoni rebellis erat, & tenebatur ad petitionem hostium, Ugutio obsedit eam cum exercitu, debellando crebris prœliis & ictibus bombardarum. Sed & intrinseci fortiter resistebant, cùm Rocha ipsa natura loci & opere Fortilitii ferè inexpugnabilis videretur. Verùm tanta fuit vis & perseverantia obsidionis, quòd intrinseci ad deditionem arctati Rocham eamdem præfato Ugutioni die XXIV. Septembris dimiserunt. Accidit post hæc circa principium mensis Septembris, quòd Dominus Johannes de Tertiis Miles, frater olim Domini Ottonis, homo truculentus, & non dispar dicto quondam Domino Ottoni in omni possibili scelere crudelitatis, tentabat interitum personalem Domini Francisci de Scottis, & Johannis de Scottis ejus Nepotis, virorum Nobilium Placentinorum, qui habitabant & dominabantur in Oppido Castri Arquadi Districtus Placentiæ unà cum Alberto Nepote suo infrascripto. Et prædictus Dominus Johannes de Tertiis, qui tunc residebat in Burgo Sancti Domnini; hoc suum malignum propositum consummare decreverat cum auxilio Alberti de Scottis Cognati sui, Nepotis dictorum Domini Francisci & Johannis de Scottis. Cui Alberto animum suum aperiens, hortatus eum fuerat ad tale excidium perpetrandum, persuadens & suggerens sibi id faciendum esse, ut exinde totum dominium & facultates Domus de Scottis ad ipsum Albertum solùm converterentur, & offerens se ad perpetrationem ejusmodi cædis velle personaliter interesse, profecturus illuc sub ficta spetie visitationis & amicitiæ. Albertus ista audita malefici hominis machinatione proditionis, ratus eam convertere in caput illius, de industria laudavit eam, & se annuere libenter ostendit, diesque efficiendi constitutus fuit, quo Dominus Johannes deberet accedere. Verùm Albertus ipse quamprimum ad Dominos Franciscum, & Johannem de Scottis reversus, totum depromsit negotium. Propter quod illi deliberantes, quòd vulpes subdola alliciendа foret in pedicam, quam tetenderat, omnia dissimulantes, convivium honorabile paraverunt pro ejusdem Domini Johannis adventu. Quem, cùm venisset, jocundo susceptum vultu, & introductum in Rocham, in qua prandium paratum erat, Albertus captum detinuit, & mox injectis sibi ferreis compedibus, in carcerem missus fuit soluturus debitum supplitium juxta merita sua. Dominus Jacobus de Tertiis frater suus, qui in Castro Guelfo tunc residebat, audito de ejusmodi captivatione, illico perrexit ad Burgum Sancti Domnini, & reformatis præsidiis, & exclusis quotquot existimavit esse amicos Nobilium de Scottis, vel aliter sibi suspectos, de tutela status sui providere molitus est. Fama fuit dictum, Dominum Johannem parvo lapsu temporis in captivitate illa nece detestabili interemptum.

Dominus Jacobus de Tertiis, postquam visum sibi erat satìs providisse tutelæ Terræ & Arcis Burgi Sancti Domnini, inde abiens perrexit ad Oppidum suum Florentiolæ, quo illic degente, Albertus de Scottis tractavit cum aliquibus ex hominibus ipsius loci se introduci in Oppidum ad interitum Domini Jacobi. Sicque à conspiratoribus nocte quadam cum certo equestrium & pedestrium comitatu introceptus Dominum Jacobum & gentem suam armigeram circa numerum LXXX. captivavit, & cum favore totius populi, graviter ferentis dominium Domini Jacobi, Oppidum sibi subegit, Rochâ exceptâ, pro qua etiam obtinenda, quia Castellanus aliquot diebus illam tradere recusavit, Dominum Jacobum duci fecit apud illam, ut Castellano mandaret, quod eam Alberto traderet pro salute sua. Quod cùm ipse mandasset, & Castellanus minimè obtemperaret, contra eum excitato furore populi cæsus est. Captivato Domino Jacobo de Tertiis novissimè in potestate Nobilium de Scottis, Rolandus de Palavicinis cum favore certæ partis incolarum Terræ Burgi Sancti Domnini, ubi factionem habebat ex antiquæ amicitiæ reliquiis, Terram ipsam occupavit, exceptâ Rochâ, in qua erant præsidia posita per Dominum Jacobum, illam servantia pro Domo illorum de Tertiis. Quum Terra Burgi Sancti Domnini, sicut proximè supradictum est, esset in manibus Nobilium de Palavicinis, Rocha verò nomine illorum de Tertiis teneretur, Dominus Antonius de Tertiis Miles, Patruus olim Domini Ottonis habitans in Oppido suo Turisellarum, & consortes sui Ambrosius, Nicolaus, & Ghibertus de Tertiis, cupientes ipsi Rochæ succurrere, nec minus recuperare Terram, quod quidem satìs factibile existimabant mediante aliquo valido exfortio, postquam introitum in Arcem pro libito suo habere poterant, Magnificum Dominum Cremonensem Dominum Cabrinum de Fondulis ad id requisiverunt, proponentes ei rem illam ad statum ejus admodum pertinere, ne Terra illa in potestate Nobilium de Palavicinis remaneret, non facturorum umquam sibi bonam viciniam, sed insidias. Ipsi verò de Tertiis ex gratitudine servitii mansuri erant semper in amicitia cum eo, & tenturi partes ejus in omni re sibi possibili. Ad hæc Dominus Cremonensis callliditate intrinseca excitatus, aliudque gerens in animo, & aliud depromens in ore, se annuere dixit. Factoque apparatu gentis equestris ad numerum D. & multorum peditum, traiecto ultra Padum exercitu, ipse & prædicti de Tertiis ad Burgum Sancti Domnini migrarunt, e vestigioque in Arcem recepti sunt. At postquam dictus Dominus Cremonensis se satìs præsidii gentis suæ in Arce ipsa habere cognovit, promotores suos Dominum Antonium, & alios supranominatos de Tertiis captivavit, & vinctos misit Cremonam, Arcem remuniens suis præsidiis, & deinde retrogressus est Cremonam. Verùm in certo temporis processu jam dictam Arcem multo numismate præfatis Nobilibus de Palavicinis vendidit atque dimisit. Hic fuit terminus supremæ ferme ruinæ & infelicis excidii nefandæ Domus sævorum Tyrannorum de Tertiis, illis eorum cæsis aut captivatis, qui ex illa infausta familia prævalebant, fractisque in profundum viribus & opibus eorumdem, non patiente Divina Justitia scelera ipsorum diutius prorogari. Factâ per Dominum Cremonensem capturâ illorum de Tertiis, de qua proximè supra scriptum est, Homines Castelli vocati Belvedere in Territorio Parmæ positi, quod per supradictum Ghibertum de Tertiis tenebatur, Illustrem Dominum Marchionem vocaverunt & acceptarunt in Dominum suum. Et magnificus Ugu-

Ugutio, qui tunc Parmæ erat, circa finem Novembris Oppidum ipsum pro Domino Marchione munivit.

Post hæc Nobiles de Scottis habuerunt Castrumnovum in Comitatu Parmæ, Oppidum validum, quod homines ipsius Loci sua sponte eisdem Nobilibus tradiderunt. Eodem tempore Illustris Dominus Marchio per experientiam conscius fidelitatis & amicitiæ Nobilium & spectabilium virorum Ghiberti & Johannis Martini Fratrum de Sancto Vitale de Parma, quorum antecessores etiam Illustri Domui Estensi antiquissimâ amicitiâ fuerunt affecti, eidem Ghiberto & Johanni Martino liberè donavit Oppidum Matriculi, quod in territorio Parmæ situm est cum Fortilitio & aliis pertinentiis suis. Anno prædicto MCCCCIX. principio ipsius Anni. Florentini & Senenses revocaverunt & abstulerunt obedientiam Papæ, qui tunc morabatur Arimini, in omnibus eorum Civitatibus & Locis: quod fecerunt studio Collegii Cardinalium existentium Pisis, & satagentium providere Unioni Sanctæ Matris Ecclesiæ. Et similis revocatio obedientiæ Papæ facta fuit in Alemannia subdita Vinceslao Imperatori veteri, in Bohemia, & Hungaria, jussu Principum, & Prælatorum Regionum illarum, ad quos præfatum Collegium Cardinalium existentium Pisis Legatos ea de causa miserunt speciales, & præsertim Dominum Cardinalem Barensem. Attamen pars illa Alemanniæ, quæ subdita erat Roberto Bavariensi Imperatori novo, in obedientia Papæ remansit. Eodem Anno MCCCCIX. die Sabbati XV. Martii paulò ante vigesimam horam fuit Solis Eclipsatio. Die XXVII. Martii Reverendissimus in Christo Pater Dominus Cardinalis Barensis, qui Legatus Collegii Dominorum Cardinalium existentium Pisis missus fuerat in Alemanniam & Hungariam ad procurandum Prælatos, quòd accederent Pisis ad Concilium Generale ordinatum per dictum Collegium illic fieri pro Unione Ecclesiæ ad Festum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis de mense Martii hujus Anni, rediens ab ejusmodi Legatione per viam de Venetiis, transivit apud Ferrariam, & hospitatus fuit in Monasterio Sancti Bartholomæi. Ducale Dominium Venetiarum noluit eum admittere, quòd videlicet quicquam de legatione sua operaretur in Civitate Venetiarum, aut in aliqua alia Civitatum suarum, & edici fecit sibi recessum repentinum de Venetiis. Per hoc tempus exivit frequens rumor & fama publica, quòd Illustrissimus Princeps & Dominus Dominus Ladislaus Rex Apuliæ &c. & Dominus Romæ, habens ad sua stipendia mirabiles copias gentis armigeræ equestris ad numerum sex millium lancearum & ultra, similiter & cohortes peditum numerosas, ac etiam Classem copiosam molitus in mari, se Romam contulerat, descensurus Perusium Civitatem sibi subditam, & intendens declinare per Tusciam, Marchiam, & Romandiolam, & magnalia conari, & specialiter contra Dominum Legatum Bononiæ, multum operantibus in hoc famulis Domini Alberici Comitis Cunii de Barbiano Magni Conestabilis Regni Siciliæ, existentis cum ipso Rege, & Capitanei sui Belligeri, cupientis ultionem capere, & recuperationem assequi Oppidorum suorum, quæ dictus Dominus Legatus abstulerat Comiti Manfredo de Barbiano nepoti suo in Anno transacto. Res ista non exiguæ titubationis fuit Florentinis, & fortius Domino Legato Bononiæ: propter quod continuò ad comparandas gentes armigeras & pedites, ut loca tutarentur, operam dedere sollicitam; nam de Regis intentione propter dissimulationes, ut moris est, quidquam apertum explorari non poterat; sed fama continuè non indigna suspicionibus crescebat: quo ad certum fuit pro opere motuum & processuum suorum procedere ad offensas Senensium, & Florentinorum, sicut in sequentibus continebitur.

Anno prædicto MCCCCVIIII. de mense Martii. Facta fuit Liga inter Dominum Ducem Mediolani, Comitem Papiæ fratrem suum, Dominum Comitem Sabaudiæ, Dominum Principem Achajæ, Communitatem Januæ, sive Bucicaldum illic Gubernatorem pro Domino Rege Francorum, & Bernardonum Britannum Gubernatorem Asti pro heredibus Domini Ducis Uriensis, ad dispendium & exterminium Facini Canis belligerantis, & longè multa molientis contra Statum Domini Ducis Mediolani, & etiam ad excidium Domini Ottonis Tyranni Parmæ, hostis præfati Domini Ducis atque aliorum secum colligatorum. Creditum fuit, Ligam hanc factam fuisse sub multa astutia, ut videlicet gubernatio Ducis Mediolani reduceretur in manus Francigenæ Regis, venturo Bucicaldo Gubernatore Januæ pro ipso Rege ad gubernationem Ducis Mediolani cum favore Consiliariorum ejus. Et hæc omnia penes Francigenas principaliter causabantur ad præveniendum occupationem Lombardiæ propter adventum Regis Apuliæ, qui jam profectus Romam dicebatur velle petere Lombardiam. Eodem Anno de mense Martii Facinus Canis, qui cum exercitu suo diuturnam mansionem fecerat, & faciebat infra fines Mediolani, admodum perturbans statum Domini Ducis, postquam compertum habuit de Liga proximè suprascripta, fortius & crudelius solito sævire constituit in finibus Mediolani atque Papiæ, omnia extra mœnia præda & igne corripiens. Et quod fuisset incredibile debere contingere, ipse declinans secus Urbem Papiæ ad viridarium, quod Parchum appellatur, olim solamen & delicias Illustrissimi quondam Principis Domini Ducis senioris Mediolani Genitoris modernorum Ducis, & Comitis, muro circumseptum, ipsius muri certa parte diruta, intra illud duxit exercitum, & per biduum inibi castra continuit. Inde postmodum egressus, ad opus populationis solitæ se convertit, parum habens obstaculi propter discessum & absentiam Malatestæ cum gentibus, inde abdicati nuper, & profecti Brixiam studio Consiliariorum Ducis, per æmulationem adversam.

Eodem Anno MCCCCVIIII. de mense Aprilis. Erat Facinus Canis cum complicibus suis, videlicet Domino Marchione Montisferrati, Domino Astorgio de Vicecomitibus, Domino Francisco de Vicecomitibus, & multis aliis, cum forti exercitu ad numerum trium millium equitum in finibus Mediolani, tenens castra secus Urbem Mediolani per tria milliaria in loco, qui dicitur Cla-

Claravallis, & multum inferens vim obsidionis, & omnimodæ arctationis, ductus necessaria cupiditate deponendi Magistratum Consiliariorum Ducis Mediolani adversariorum suorum, foventium partem Guelfam, & auctorum Ligæ factæ contra eumdem Facinum. Tunc invaserat eadem cupido Magnificum Dominum Dominum Pandulfum de Malatestis Dominum Brixiæ, & Magnificum fratrem suum Malatestam Socerum Ducis existentem Brixiæ cum gentibus, cum quibus pridem ad servitia Ducis militaverat, indignatos admodum, & indignè ferentes abdicationem suam à Genero suo factam studio Consiliariorum gubernantium Ducem ipsum. Sed quamvis hæ cupiditates utræque tenderent ad eamdem intentionem depositionis Gubernatorum Ducis, diverso tamen respectu & fine agebantur, quoniam utraque partium, videlicet dictorum Dominorum de Malatestis, & Facini, in re illa cupiebat alteram prævenire, cùm esset atrox inimicitia inter eos. Nam & Liga illa etiam ipsis Dominis de Malatestis suspecta erat, & videbatur paritura sibi discrimina multa, si Francigenis contingeret gubernationi Ducis se immiscere. Quare decernentes impedire opus Facini, & ipsum propulsare, ut ipsi voti sui compotes exinde fieri possent, cum favore Ghibellinorum Mediolanensium ordinato exercitu ad numerum trium millium equestrium, & multarum copiarum peditum, moverunt à Brixia, & in Vallem Sancti Martini Territorii sui Pergamensis profecti castra locaverunt secus Abduam. Sensit Facinus motus istos, & bellica usus astutia, fingens se abscedere quasi timore coactum, aliquanto secessit spatio viæ à loco illo, ubi Mediolano obsidionem inferebat. Cujus absentationis fama dum ad præfatos Dominos de Malatestis delata fuisset, continuò motis castris propius accesserunt Abduæ ripam secus locum bastitæ de Brivio & Turrim Beveratæ, ibique Pontem latum & validum super navibus, quas ad hunc finem pluribus ante diebus parari fecerant, construxerunt, Ripamque utramque Fluvii tenebant, nihil ferè animo suspicantes de Facino, quòd eum abiisse putabant. Eratque dies illa dies Veneris Sancta V. Aprilis. Stationantibus verò sic eis illic per biduum, ecce in diluculo diei Paschalis subsecuti emerserunt in pauco numero nonnulli ex armigeris Facini, cum quibus pars illa armigerorum Dominorum de Malatestis, quæ tenus fluvium erat, scaramucias agebat fugando illos. Crebrescebant & aliæ frottæ similiter adventantes. Propter quod Domini de Malatestis illico armis captatis totum exercitum ultra Fluvium trajecerunt, signa figentes in proximo illic & contermino agro Cumano, ubi dicitur Montebrianza. Ibi & montes sunt, & convallis lata, montibus circumsepta. Nec mora: ecce superveniens Facinus cum copiis suis, signa sua inibi juxta firmavit. Proinde utræque partes, ut moris est, scaramucias conferebant, quæ in tantum invaluerunt, ut instar haberent prœlii, & per duarum horarum spatium eo modo fuit strenuè dimicatum. Tamdem ipso pacato certamine pars utraque aliquanto secessit ad signa. Tunc Facinus Dominos de Malatestis per nuntium suum de habendo cum eis colloquio requisivit, & illi quidem annuerunt; quare proviso satis inter eos ad fidem & cautionem, convenerunt in convalle illa. Moxque Facinus sic in sententia orsus inquit: *Non dubito equidem, vos compertam habere notitiam de contracta Liga Ducis Mediolani cum Gubernatore Januæ, & aliis Colligatis; quam Ligam, etsi ad excidium in me & Dominum Ottonem ea specialiter facta dicatur, dubitari tamen & ignorari non oportet, totius Lombardiæ, & signanter contra vos, calamitosum exitum respectare. Non enim vult sibi aliud talis fabrica Societatis, quàm viam struere, qua nos omnes exterminemur, & totum Clima Lombardum in Francigenarum jugum redigatur. Quod totum est artificium æmulorum nostrorum, Consiliariorum videlicet, in quorum manibus est regimen Ducis Mediolani. Satius ergo mihi videretur, ut sedatis hostilitatibus, quibus vos & ego invicem conflagramus, unanimes, & omni vi nostra intenderemus ad infrigendum has machinationes nobis excidiosas, & molimenta pestifera: quod non aliter potest apud nos locum habere, quàm per depositionem æmulorum nostrorum, qui Ducis statum gubernant, & per reductionem ejusmodi gubernationis in nos, qui fidelius gubernabimus, & jam cœptas machinationes amputabimus, providentes saluti Ducis, & nostræ propriæ, ac totius Lombardiæ. Sanius hoc esse vobis & mihi arbitror, quàm bellis & discordiis exardere. Ego autem hoc affecto, hoc flagito, atque supplico: Fidam conjungamus Societatem, & firmemus fœdera duratura: Voluntatem vestram ego sequar, & parebo libens in omnibus.* Ad hoc Domini de Malatestis, examinatione mentali discussa, promtos animos inclinantes, consensum per ornata & opportuna responsa continuò præstiterunt. Illicoque eâ horâ inter partes pax inita est. Deinde ad pacis conditiones firmandas intenderunt, in quibus Colligatos & Socios ad ipsorum Colligatorum libitum incluserunt in pace. Et Facinus de Domino Ottone confœderato suo voluit fieri præcipuam mentionem, quatenus ei liceret illum adjuvare, si vellet.

Post factam pacem, de qua supra proximè dicitur, inter Dominos de Malatestis, & Facinum Canem, cum quo erat Dominus Marchio Montisferrati, cujus pacis finis & intentio fuerat ad deponendos Consiliarios Ducis Mediolani, secutum erat, quòd Dominus Bucicaldus Gubernator Januæ pro Domino Rege Francorum ad præsidia Ducis, & germani sui Comitis Papiæ certas cohortes equitum armatorum Francigenarum, certumque numerum balistariorum de Janua transmiserat: quæ res præfatis Dominis de Malatestis, & Facino, novos addidit stimulos ad accelerationem propositi sui. Exploratò etiam, quòd ingentes jam facti erant apparatus in Gallia, ac Pedemonte, & Janua, armigeræ gentis, cujus jam pars in itinere erat ad descendendum Mediolanum juxta fœdera Ligæ studio Consiliariorum Ducis. Quare ad ultimum intendens experimentum depositionis ipsorum Consiliariorum, decreverunt obsidere Mediolanum, nihil tamen contra personam aut Statum Ducis machinantes, sed tantummodo ut consequeretur ejusmodi consiliariorum dejectio æmulorum suorum. Sicque conjunctis exercitibus petierunt Mediolanum, metantes castra secus mœnia ad Portam Cumanam, & Urbem arctissimè obsidentes, sine tamen depopulatione & captura exteriorem. Tunc prop-

propter victus penuriam, quæ permaxima erat in Mediolano, itaut diætim aliqui fame caderent, & etiam propter voluntatem multorum, quibus invisa erat gubernatio illa, non modicus resultabat strepitus, congregatis cathervis pauperum fame & incommodis oppressorum, & per Urbem errantibus, ac voces flebiles & querulas usque ad æthera depromentibus ex panis necessitate pro victu. Quibus fremitibus Consiliarii Ducis cum gente armigera, quæ intra erat sub Ducis stipendio ad numerum mille equitum, resistere conabantur; sed id effici nequibat, occisis etiam aliquot. Tamdem cùm res in tanto disturbio versaretur, & Dux ab extrinsecis de propria salute cogitare placidè per nuncios hortaretur, nolens, & non valens obsidionem illam diutius tolerare, se cum paucis contulit ad Portam obsidionis, ubi communicato colloquio cum exterioribus Ducibus, & acto de pactionibus concordibus, ipse Portam pandidit, & Domini de Malatestis cum modico equitatu introierunt. Indeque discedentes Dux & ipsi pacifico incessu ad Ducale Atrium perrexerunt, nullâ illatâ vel receptâ molestiâ die Martis VII. Maji circa horam XXIV. Repositoque Duce domi, & visitatione facta ad Ducissam alterius filiam, & alterius neptem, redierunt ad castra sua extra Urbem ad Facinum, & Marchionem Montisferrati. Die verò sequenti redierunt ad Ducem ad res ordinandas; & cùm interea fuisset proruptum contra Francigenas illos, qui illic erant, raptis equis & armis, provisum fuit, ut ablata omnia sibi restituerentur, ipsique illæsi dimitterentur: cujus rei fuerunt auctores apud Ducissam mercatores Mediolanenses, edocentes, quòd si secus fieret, futurum erat id multo detrimento eis & aliis mercatoribus Lombardis negotiantibus in Regionibus Galliarum, & Januæ. Inter hæc Consiliarii pristini Ducis se fugæ remedio absentarunt.

Anno prædicto MCCCCIX. die XXVI. mensis Aprilis Magnificus Miles Dominus Albericus de Barbiano Comes Cunii, Magnus Conestabilis Regni Siciliæ, & inter primos unus ex Capitaneis Armorum Serenissimi Regis Apuliæ, decessit in Oppido Perusino, quod appellatum est Castellum Plebis. Nam dum de Apulia venisset in fines Marchiæ Anconitanæ, struens præparationem insidiarum contra Dominum Legatum Bononiæ sibi odiosum ob raptum Castellorum suorum de Romandiola, & sperans eas consummare cum Regis brachio, velletque ad Regem se Romam transferre de Marchia, captus ægritudine non sanabili in itinere, cùm pluribus diebus languens cubasset in Oppido antedicto, tamdem morbo & senio jam longo confectus occubuit mortis interitu. Circa principium mensis Maji Reverendissimus Dominus Dominus Baldissar Cossa Legatus Bononiæ, intellecto de obitu Magni Conestabilis, videlicet Comitis Alberici de Barbiano hostis sui, recognoscens exinde advenisse sibi opportunitatem, qua suspicionum suarum aculeos posset extinguere per exterminationem illius sibi invisæ Familiæ Comitum de Barbiano, & habens in sequela sua Comitem Ludovicum de Zagonaria, qui Lugum tenebat, consortem, sed adversarium ceterorum de Barbiano Comitum, duxit exercitum in obsidionem Oppidi Barbiani, in quo degebat Comes Raynaldus. In qua obsidione ipse Dominus Legatus perseveravit usque ad diem XV. Maji, illatis quampluribus prœliis; & tamdem ipsa die prœlium manuale acrius restauravit, ex quo Intrinseci ad deditionem subacti Oppidum, & ejus ingressum Domino Legato reddiderunt. Multi tamen ex extrinsecis in oppugnatione illius Fortilitii perierunt. Deinde expugnatione simili, & eadem die, facta contra Cutignolam, in qua residebant Comes Alidosius, & Comes Zaninus filii quondam Comitis Johannis, eam per deditionem obtinuit. Successivè Fortilitium impetiit Solaroli, quod tenebat Comes Georgius natus olim Magni Conestabilis, & interventu certæ pactionis illud per deditionem similiter sibi subegit. De mense Martii. Cùm inter Serenissimum Dominum Regem Francorum, & Illustrissimum Dominum Ducem Burgundiæ dissidium atrox esset propter cædem quondam Illustrissimi Domini Ducis Aurelianensis germani Domini Regis, patratam Anno nuper transacto in Civitate Parisius studio Ducis Burgundiæ, cujus cædis occasione Dux ipse se à Rege per fugam abdicaverat, sensissetque Rex, quòd Dux idem Burgundiæ in Regionibus suis ingentissimam struebat vim gentium armigerarum, suborta sibi Regi dubitatione meticulosa de Statu Regio, & vehementiùs de periculo personali, tum ob exteriorem potentiam Ducis tanto muniti gentis conatu, & tum propter favorem urbanum, quia in Civitate Parisius admodum dilectus & gratus erat: Consilio Procerum suorum de mense Januarii hujus Anni secedens à Parisius, & ducens secum Reginam cum omni sobole Regia, ac Ducem novum Aurelianensem, & Comitem Virtutis filios olim germani sui Ducis Aurelianensis, migravit ad Civitatem suam nominatam Thors, quæ per ligas L. distat ab urbe Parisius, eam ratus sibi Sedem tutiorem ab omni molimine Ducis Burgundiæ. Dumque ita commoraretur illic Rex ipse, Dux Burgundiæ conciliationem affectans, cum multis Proceribus, multisque equitum copiis in fines Parisius non hostiliter adventavit, ibique recessum & absentiam Regis visus erga Parisienses multimodè detestari, persuasit agendum fore, quòd rediret. Deinde per interventum complurimorum Principum actum est, quòd Rex ad firmandam conciliationem dedit assensum, addito etiam fœdere matrimonii contrahendi inter Ducem Aurelianensem novum, & filiam innuptam Ducis Burgundiæ. Quibus declaratis conditionibus Dux ipse processit ad Regem, & admissus ab eo, petitâ suppliciter veniâ, & reconciliationis indulgentiâ, illam obtinuit astantibus & congratulantibus præclarissimis Regum, & Principum, ac Dominorum plurimorum cœtibus, qui eâ causâ illuc convenerant cum mirabili comitivarum suarum multitudine. Acto deinde ibidem de reconciliatione & matrimonio pro partium intentione, quantum oportuit, cum ingenti celebritate discedentes omnes simul à Civitate illa Thors ad illam Civitatem venerunt, quæ dicitur Sartes, distantem à Parisius per ligas viginti, ubi quia religiosus & devotus est locus ille in Templo Gloriosissimæ Virginis Mariæ, quod ingens & famosum est, præmissis divinis cærimoniis, uti res tanta exi-

exigebat, solennissimis, omnia fuerunt debitis conclusionibus stabilita feliciter. Deinde cum inexplicabili celebritate repetentes Parisium, & obvias habentes multitudines Civium Regiorum congratulantium reversioni Regis sui, die XV. Martii Urbem læti omnes, & pompis gloriosissimis intraverunt, vix capientibus viis, vicis, & plateis multitudinem equitum, quæ communi æstimatione fuit circa numerum LX. millium, & pedestrium utriusque sexus infinitam. Successivè per dies aliquot ad reliqua solatiorum exercitia, utpote jostras, choreas, & alias lætitiæ operationes vacatum fuit, universis congaudientibus ex reconciliatione illa, & divinam Potentiam collaudantibus.

Reges & Principes principales, qui iis affuerunt, sunt infrascripti ultra Regem Francorum, & Dalphinum Viennensem ejus Filium, aliamque sobolem suam, & filios olim Ducis Aurelianensis & ultra Ducem Burgundiæ.

Rex Siciliæ,
Rex Navarriæ,
Rex Alovisius de Andagavia,
Dux Bituricæ,
Dux Burbandiæ,
Dux Bavariæ,
Comes Leuconii,
Comes Martiæ,
Comes Vendem.
Comes Sancti Pauli,
Comes Damartinus,
Dominus Vendemontius,
Dominus Commisant,
Dominus Tornomin,
Marchio Pont,
Dominus Drosis,
Dominus Aquævillæ,
Princeps Orengæ,
Dominus Benien,
Comes Valant,
Comes Namour,
Magnus Magister.

Anno prædicto MCCCCIX. de mense Martii in die Festi Annuntiationis Gloriosissimæ Virginis Mariæ. In Civitate Pisarum inceptum fuit fieri Concilium generale in Majori Ecclesia constitutum & evocatum per utrumque Collegium Reverendissimorum Dominorum Cardinalium, solitorum esse cum Papa & Antipapa, & nunc diffidentium ab eis propter destitutam ordinationem Unionis Ecclesiæ, & congregatorum in Pisis ad providendum Unioni in ipso Concilio, ad quod maxima convenit multitudo Antistitum & Prælatorum Ecclesiasticorum in quacumque dignitate, atque ingens numerus Oratorum missorum à Regibus, Principibus, & Magnatibus, ac Dominis, & Communitatibus diversarum Regionum Christicolarum, Unionem Sanctam Ecclesiæ exoptantibus; & numerus ipse diætim per superadvenientes augebatur de Italia, Galliis, Anglia, Hispania, Alemannia, Hungaria, & diversis aliis Regionibus peregrinis, necnon valentissimi Doctores sacræ Paginæ, ac Jurium Ecclesiasticorum, & Civilium, pro tam ponderosæ molis discussione; & per singulos dies vacabatur Divinis Processionibus ad Cœlestem gratiam & inspirationem implorandam, fiebantque collationes Concilii ordinarii, & Processus solennissimi contra Schisma, ut inde sanctæ Unionis conclusio sequeretur illis remediis, quæ sacri Canones edocerent. Eo tempore Papa in Arimino morabatur, & Antipapa Regi Francorum non gratus, & à suis derelictus Cardinalibus, in Aragoniæ Regni partibus existebat. Et quamvis citati, & invitati fuissent ad idem Concilium, tamen quia sciebant opus esse, ut Pontificatibus cederent, si ad Concilium debuissent admitti, usi subterfugiis & variis exceptionibus venire penitus contempserunt: Ad dictum verò Concilium neminem miserunt Rex Ladislaus, & Communitas Venetorum, quia partes & obedientiam Papæ servabant; uti etiam Illustrissimus Dominus Ropertus de Bavaria novus electus Imperator pro ea dumtaxat parte Alemanniæ, quæ sibi obediebat, tenente reliquum Imperatore veteri Illustrissimo Domino Vinceslao, qui Papæ obedientiâ revocatâ, cupiens Ecclesiæ unionem, Legatos suos solennissimos ad dictum Concilium misit. Fuit numerus universalis omnium, qui usque ad ultimum ad ipsum Concilium ab exteris undique convenerunt tam pedestri quàm equestri & navali profectione, circa decem millium personarum famulis computatis; & numerus Dominorum Cardinalium fuit XXIV. videlicet XIV. Citramontanorum, & X. Ultramontanorum repræsentans totam Ecclesiam Romanam in actu isto. De mense Aprilis Dominus Papa cum Curia sua satìs exili discessit à Civitate Arimini, & maritimo itinere navali perrexit Clugiam. Subinde declinans ab aditu Venetiarum, volente sic Ducali Dominio, in Patriam Forojulii transmigravit, ubi constituerat Concilium generale fieri ad Festum Pentecostes, quod Concilium ipse edixerat per universos Christicolas in anno præterito post destitutam practicam Unionis Ecclesiæ in Civitate Lucana actitatam. Et posuit Papa idem mansionem suam primam in Oppido Pratæ de Patria Forojulii apud Dominum Guilielminum de Prata Dominum ipsius Oppidi, & tenentem Papæ partes valde constanter. Sed quia exinde ortum erat dissidium atrox inter eumdem Dominum Guilielminum, & Dominum Tristanum de Sepregnano cum nonnullis aliis complicibus suis, inter quos erat Dominus Patriarcha Aquilegiensis adversarius Papæ, quòd eum privaverat, propter quod Dominus Tristanus fines Domini Guilielmini hostili populatione vastabat: Papa necesse habuit à Prata discedere, & se transtulit in Oppidum seu Civitatem Cividati de Forojulio, qui locus Aquilegiensi Patriarchæ subditus est, & proprio vocabulo Civitas Austriæ appellatur. Nihil tamen de dicto Concilio actum est, quia nemo ad illud accessit, cùm amodo dictus Papa privandus Pontificatu crederetur, jam ablatis sibi obedientiis ubicumque, præterquam in Civitatibus Venetorum, & Regis Ladislai, ac Imperatoris electi, videlicet Domini Roperti Bavariensis dominantis certæ parti tantùm Alemanniæ. Die Dominico IX. Junii Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dominus Baldisar Cossa titulo Sancti Eustachii Cardinalis, Legatus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Vicarius Civitatis Bono-

noniæ, cùm nobilissimo comitatu Familiæ suæ, atque Nobilium & honorabilium Civium Bononiensium, movit à Bononia, proficiscens Pisas ad Concilium generale pro Unione Ecclesiæ, per viam de Florentia, & alios fines Florentinorum, & pro se constituit Locitenentem in Bononia usque ad reditum suum virum spectabilem & egregium Jacopinum de Rangonibus Mutinensem. Et cum eodem Domino Legato migravit ad dictum Collegium Orator Domini Marchionis egregius Legum Doctor Dominus Antonius de Baldinotis de Pistorio ultra spectabilem Militem Dominum Nicolaum de Robertis de Tripoli, qui per multos dies ante profectus ad idem Collegium pro Domino Marchione Legationis officio fungebatur.

Eodem Anno MCCCCIX. die . . . . mensis Junii. In Civitate Pisarum in majori Ecclesia cùm circa discussionem remedii & provisionis sanctæ Unionis Ecclesiæ Dei in Generali Concilio antedicto omnia jam solennissimè & maturè ac juridicè visa forent, & processus solenniter consummati secundùm sacrarum Legum & Canonum merita, ventumque esset ad tempus & terminos definiendi negotii: In Dei omnipotentis nomine per ipsum Concilium, videlicet universalem ejus Concilii Synodum, repræsentantem universalem Ecclesiam, lata fuit sententia & pronunciatio contra Papam, videlicet Dominum Angelum Corrario, qui dicebatur Gregorius XII. & contra Dominum Petrum de Luna, qui dicebatur Benedictus XIII. Antipapam, eos videlicet, & utrumque eorum fuisse & esse notorios Schismaticos, & antiquati Schismatis nutritores, atque Hæreticos, & à Fide devios, privatosque & dejectos suis demeritis à Deo, sacrisque Canonibus, & ab Ecclesia præcisos &c. & ob id eamdem Ecclesiam vacare &c. Quapropter Collegium antedictorum Dominorum Cardinalium, qui numero erant XXIV. videlicet XIV. Citramontani, & X. Ultramontani, de assensu dicti Concilii, sive Synodi, volens de electione novi Pontificis providere, constituto ad id loco Conclavis in mansionibus Archiepiscopatus, eadem die illud introgressum est. Die XVI. Junii. In Civitate Pisana per Reverendissimos Patres & Dominos Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ antedictos in dicto loco Conclavis creatus & electus fuit in Summum Pontificem Romanum Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus Dominus Petrus de Candida, Ordinis Minorum, pridem Archiepiscopus Mediolani, deinde Tituli XII. Apostolorum Cardinalis, moxque Sanctissimus in Christo Dominus Alexander Papa Quintus nominatus est. De mense Augusti. Quia Veneti cum subditis suis diffidebant ab obedientia novi Pontificis, videlicet Domini Alexandri Quinti, ut supra, creati, Oratores Illustrissimorum Principum Domini Regis Francorum, Domini Regis Angliæ, Domini Regis Hungariæ, & Domini Vincislai Imperatoris veteris, Bohemiæ Regis, qui omnes Oratores interfuerant supradicto Concilio, & Oratores novi Pontificis venientes à Pisis cum CCCC. equis, profectique per Ferrariam die XX. Augusti, perrexerunt Venetias ad Ducale Dominium, illudque rogaverunt, & hortati fuerunt de præstanda obedientia novo Pontifici, tamquam vero, & legitimo Papæ &c. Quare ipsum Ducale Dominium, facto in suis consiliis cum peritorum consiliis scrutinio diligenti, statuit & mandavit exhiberi obedientiam Domino novo Pontifici, revocando eam totaliter à Gregorio hactenus Papa XII. qui tunc erat in Provincia Forojulii in Civitate Austriæ, quæ vulgo Cividadum Forojulii appellatur. De mense Septembris. Cùm vidisset prædictus Gregorius olim Papa se privatum Pontificatu, & abjectum à Ducali Dominio Venetorum obedientiâ sibi subtractâ, decrevit aliam sibi petere regionem sub protectione Regis Ladislai, qui suas sustinens partes certas miserat jam Galêas per Mare ad Litus Forojulii, ut inde illum adveherent, quare clandestinè se auferens idem Gregorius cum Familia sua, quæ tenuis erat, Galêas ipsas missas conscendit, & ad Regis gremium profectus est, numquam dimissa obstinatione pristina de Pontificatu Romano, agens se pro Papa in partibus illis.

Anno prædicto MCCCCIX. de mense Martii Serenissimus Princeps & Dominus Dominus Ladislaus Rex Apuliæ &c. ac Romæ Dominus, movit bellum contra Senenses, & Florentinos, cujus belli præambula & initia summariè sic fuere. Nam postquam potitus Romæ dominio in elapso proximè Anno Rex ipse redierat Neapolim, omnem curam suam adhibuit ad gentes armigeras equestres & pedestres sub suis dispendiis contrahendas, & insuper Classem instruxit maritimam pro navali exercitu, ac victualibus, & instrumentis bellicis deferendis. Et quamvis hi tanti conatus sui innotescerent per alias circumquaque Regiones, incertum tamen erat de Regis intentione. Verùm per aliqua vestigia erat vulgatior opinio inter homines, eum aspirare ad gradum & decus Imperii Romani, quod tamdiu in Alemannia tentum est; & ad hujus rei evidentiam satis notari poterant aliqui aliquando ab eo jactati sermones, qui non parum de ejusmodi voto suo sapere videbantur, & Insigne insuper, seu Divisia, quam gestabat in vexillo suo, & frequenter contextam in vestibus cum Literis dictantibus hæc verba: *Aut Cæsar aut nihil*. Nihil tamen certum erat apud Florentinos de talibus motibus, varia suspicantes, cùm de mente Regis ullis experimentis quicquam certi nequiret hauriri. Hæc eadem suspicio etiam Dominum Legatum Bononiæ stimulabat ob rem Magni Conestabilis hostis sui tunc viventis, ac vigentis apud Regem inter Primores Duces belligeros, & multa minitantis, ut fama erat. Et propterea Florentini, Senensesque insimul colligati, & Dominus Legatus Bononiæ his concussi suspicionibus, primo veris tempore ad omne opus providendæ protectionis suæ per Armigeros stipendia curiosissimè intendebant, advocantibus Florentinis in Ducem & Capitaneum Generalem bellorum suorum Magnificum Dominum Malatestam de Malatestis Dominum Pensauri. In ultimo tetendit suspicatio ad facta Lombardiæ, quòd videlicet Rex ad subjugationem intenderet Lombardiæ, & hoc quidem non nisi faventibus Florentinis satis factibile videbatur propter necessitatem transitus & comeatuum. Sed qualitercumque hæc forent, Rex circa principium

pium Martii hujus Anni cum gentibus & exercitu, quem in Apulia paraverat, equestri atque pedestri, movens ab Urbe sua Regali Neapolis in clarissimo apparatu, Romam advênit, ubi congregatis Proceribus & Ducibus suis, tam qui secum profecti erant, quàm qui pridem Romæ, Perusii, & alibi in circumstantiis, ad ejus stipendia militantes demorabantur, gravi cum deliberatione Regium & Generalem exercitum ordinare constituit. Alterum verò navalem exercitum cum classe XII. Galearum, & complurium aliarum navium transire jusserat de Neapoli in mare Pisanum. Et dum hæc fierent, Magnus Conestabilis decessit in Castro Plebis Oppido Perusino, cui Rex subrogavit, & Magnum Conestabilem novum fecit Comitem Guidonem de Urbino complicem suum. Rege sic Romæ existente, & talia moliente, Florentini Legatos suos ad eum miserunt pro rebus exquirendis; sed nequaquam de secreto intentionis ejus aliquid ab ipso eruerunt, quo agendorum ipsius conscii esse possent, cùm & ipse ob ruptum sibi à Florentinis & Senensibus certæ conventionis fœdus aliàs initum gravari admodum videretur. Attamen novam Colligationem secum quærere visus est. Reversi Florentiam Legati omnia retulerunt, & Rex subsequenter ad Florentinos suos misit Legatos eamdem Colligationem inter cetera principaliter flagitantes; sed Florentini satis exinde conjectantes Regis intentum, & petitam cum eis Colligationem esse eis insidiosam, quia factum Lombardiæ tacitè implicare in se videbatur, eam Ligam in suorum consiliorum examine aspernati sunt, & ex tunc bellico remedio & viribus se protegere statuerunt unà cum Senensibus confœderatis suis, satius & laudabilius sibi arbitrantes forti bellicæ se exponere, quàm in id sponte descendere, quòd certum subjugationis suæ eventum tamdem pariturum fore animadvertebant. Et exinde ad omnem sibi possibilem apparatum bellicum pro tutatione sua & Senensium, & ad muniendum loca, & principaliter Senas, intendere decreverunt Regiis Legatis Romam regressis à Florentia, infecto Ligæ negotio, Rex illico ad belli initia animum vertit, & Senensibus diffidatoriis Literis bellum indixit. Continuòque dispositis ad exercitum Legionibus gentium suarum ad numerum XIIII. millium equitum, & XV. millium peditum sub Ducibus strenuis, movit à Roma contra Senenses, & die penultimo mensis Martii Senensium fines invadens, prima tenuit castra secus Oppidum Sancti Quirici, quod per viginti milliaria distat à Senis, ibique triduo moratus est. Movens postmodum à Sancto Quirico, secunda castra posuit apud Toranerium, & Bonconventum, & extendebantur tentoria usque apud Senas ad quinque milliaria, ubi per sex dies mansio acta est. Deinde propius ducens exercitum, tertia castra posuit secus Insulam Renatium, & Sanctum Lazarum, & protendebatur statio exercitus usque prope mœnia Senarum ad unum milliare, mansitque illic per dies quinque, nonnullis factis discursionibus & insultationibus contra Senarum Urbem; & interdum gens armigera Florentinorum & Senensium, quæ intra Senas degebat, egrediebatur ad scaramucias contra hostes opportunitate aptata, non ausa tamen congredi vel belligerare aperto campo propter virium imparitatem. Inde motis castris processit, & quarta posuit castra secus Armariolum, & Rapolanum, & debellatum atque devictum Fortilitium Armarioli delevit incendio, & dies quinque illic peregit. Tunc decernens impetere Aretium Florentinorum Civitatem, præmissâ diffidantiâ, processit in Vallem Chianæ Senensium per ora Rugimagni, & fines Lucignani, protracta illic dierum quinque statione, & remunito exercitu victualibus à Perusio pro octo diebus, discedens inde, & dimittens fines Senensium, fines Aretinos Florentinorum invasit, & prima castra posuit apud Montem Sanctum Savinum Comitatus Aretii. Post biduum migravit juxta Urbem Aretii, fingens signa secus mœnia in loco Episcopatus veteris, obsidensque mœnia, & crebris insultationibus urgens intrinsecos; illic enim degebant fortia præsidia armigerorum, quæ Florentini transmiserant, concipientes Regis progressus, & futuram ibidem non exiguam rerum difficultatem. Quare Intrinsecis acriter obsistentibus, multi cadebant ex hostibus icti vulneribus telorum, & prohibiti à vallorum ingressu. Et fuit obsidio illa per dies octo continuos. Deinde Rex cum certo comitatu perrexit ad suam Civitatem Perusii, relicto nihilominus exercitu in circumstantiis Aretinis, & exactis aliquot deinde diebus denuo rediit ad pulsandum Aretium. Postmodum transivit ad obsidionem Cortonæ, cujus Dominus erat in societate Florentinorum, & Armigerorum præsidia ab ipsis acceperat.

Dum hæc suprascripta sic per Regem contra Senas & Aretium agebantur, navalis exercitus Regis ingressus mare Pisanum, Insulam Hilbæ occupavit, & Regio jugo totam subegit, olim solitam possideri à Republica Pisanorum, deinde verò positam sub ditione Gerardi de Plano, qui denominabatur de Plombino. Per idem tempus dictus navalis exercitus Regis, jam subactâ Insulâ Hilbæ, rapuit unam Cocham venientem de Anglia, & volentem petere litus Pisanum, onustam lanis & aliis mercimoniis Civium Florentinorum & Januensium maximi valoris, & juxta communem opinionem transcendentis summam CXXX. millium Florenorum. Eodem Anno MCCCCVIIII. die . . . . . mensis Maji obsidebat Rex Ladislaus Civitatem Cortonæ, cujus Civitatis Dominus socius & Colligatus Florentinorum cum præsidiis, quæ intra habebat, sibi missis à Florentinis circa numerum DCCC. peditum, eam strenuè tuebatur; & sæpenumero egrediebatur peditum illorum aliqua pars ad scaramuzandum contra hostes, & reliqui remanebant intra Urbem gratiâ tutamenti. Tunc nonnulli Comitatini, qui se intra receperant, machinati sunt conspirationem adversùs Dominum suum, & exquisitissimo modo certum Civium numerum in eamdem vertebant seditionem, moxque per secretos Interpretes de prodendo Dominum suum, & de danda Regi Civitate se cum Rege expedienter intellexerunt. Quo firmato cùm dimidia vel ferme pars peditum illorum ad scaramucias more solito exiisset, conspiratores ipsi Portam Civitatis apprehenderunt, ne

ne posset intra redire, & illico in reliquos, qui intra remanserant tumultu populi concitato irruerunt, eos ad ultimum captivando, atque cedendo, & insuper Dominum suum à Palatio ejus arcessitum turpiter captivarunt. Deinde Regem introducentes dominium Civitatis sibi pariter & Dominum suum dedere captivum. Ex hujus Civitatis obten- A tu magis animatus & ferocior factus Rex, ad invasiones alias Florentinorum & Senensium finium vehementius intendebat. Sed tamen nullius Oppidi vel Fortilitii victoria fungebatur, quoniam munitissima erant, & cum dispendio & strage invadentium fortiter resistebant.

Additamenta, vario charactere subinde scripta in calce Libri.

ANno Christi 1450. die Jovis 26. mensis Februarii. Cùm Illustris Comes Franciscus Sfortia post mortem Illustrissimi quondam Philippi Mariæ Angli Ducis Mediolani &c. accepisset dominium Papiæ, Placentiæ, Parmæ, Novariæ, Alexandriæ, Terdonæ, & Laudi, & exercitum suum haberet in agro Mediolanensi apud Vicum Mercatum, obviantem exercitui Venetorum, qui erat apud Bripium, & Montem Bripianzæ, ne conduceret victualium Civitati Mediolani, quæ erat multis adversitatibus, & præsertim fame oppressa, vocatus à Populo Mediolani, & introductus in eadem Civitate cum paucis ex suis equitibus, consociatus à multis Civibus Mediolani, electus & creatus fuit Dux Mediolani, præstito ab eis juramento fidelitatis. Ubi facto intervallo duarum horarum, reversus est ad exercitum suum ingenti gaudio & lætitia.

Anno Christi 1452. de mense Januarii. Cùm Serenissimus Romanorum Rex Federicus Tertius Dux Austriæ &c. deliberasset venire in Italiam, ut coronaretur, primò Legatos misit Summo Pontifici Nicolao Papæ V. & singulis Principibus, ac Communitatibus Italiæ, ut eis nunciaretur adventus suus. Postea Paduam venit cum Duce Alberto ejus germano, & multis aliis ex Alamannia Principibus, cum quibus etiam fuit Serenissimus Ladislaus ejus affinis Hungariæ Rex; cujus comitivæ summa fuit ad numerum duorum millium equitum vel circa. Deinde venit Rodigium. Sed cùm transisset Atticem, obviam ei venerat Illustris Princeps & Excelsus Dominus Dominus Borsius Marchio Estensis &c. cum magnifica & splendida comitiva Principum, & Nobilium Civium Ferrariensium, & Familiarium, cui Serenissimo Regi Illustris Dominus Marchio præsentari fecit quadraginta sonipedes miræ pulchritudinis & velocitatis, ac etiam quinquaginta Falcones pellegrinos aucupio assuetos, quos ipse Rex grato & hilari vultu acceptavit, postea restitui jussit, ut servarentur usque ad reditum suum. Factâ morâ in Rodigio per unum diem, insequenti die iter habuit versùs Ferrariam, qui dies fuit in Festo Sancti Antonii Abbatis XVII. Januarii. Et primò descendit Fossadalbarum, deinde ad Palatium Belfioris, postea descensus ab equo, comitante Illustri Domino Marchione, & ceteris Principibus, præcedentibus etiam Reverendo Patre Domino Episcopo Ferrariensi cum ejus Clero & multis Doctoribus Ferrariensibus, introivit Episcopatum sub Baldachino aureato, & juxta Altare magnum ge- B nibus flexis oravit. Postea Nobilis Physicus Magister Hieronymus de Castello Orationem habuit elegantissimam de congratulatione sui adventus; qua pronunciata Serenissimus Rex cum præfato Domino Marchione, & reliquis Principibus, ad Palatium Regiæ Estensis ascendit, quod erat Regali apparatu & mirabili pompa ornatum, in quo residentiam fecit per dies X. continuos cum omni ejus Familia, qui fuerunt ad numerum mille ducentorum equitum, sumptibus prælibati Domini Marchionis. Postea iter habuit versùs Bononiam, Urbem petiturus ad Coronam suscipiendam, & Uxorem sponsandam Regis Portugallensis Filiam.

C Anno Christi 1452. die Mercurii X. mensis Maji. Serenissimus Romanorum Rex semper Augustus Federicus Tertius ex Roma coronatus Ferrariam rediit cum ejus comitiva, qui fuerunt ad numerum mille equitum vel circa, & fuit susceptus valde honorabiliter in Curia Illustris Domini Marchionis. Die Dominico sequenti sociavit Sponsam Bartholomæi Pendaliæ ad domum suam, & in eadem domo pransus fuit cum ejus comitiva, & celebratæ fuerunt nuptiæ honorabiliter & sumptuosæ. Die Lunæ sequenti Legati Veneti, Mediolanenses, & Florentini colloquium habuerunt cum Illustri Domino Marchione, quilibet eorum separatim, rogantes eum, ut unà cum Serenissimo Domino D Imperatore practicaret de Pace inter eos; nam magna erat inter eos suspitio Guerræ, & utraque pars eorum munita erat armorum copia. Die Mercurii sequenti divulgata voce, quòd die sequenti Illustris Dominus Marchio creari debebat Dux Mutinæ ac Regii, & Rodigii Comes, subitò constructum fuit in Foro magnum Tribunal juxta Turrim Rigobelli, & facta fuerunt magna fallodia. Post prandium verò super sala magna convenerunt ferè omnes mulieres Ferrariæ variis & splendidis vestibus ornatæ, ubi celebratum fuit solemne Festum cum choreis & jocundissimis jubilationibus, ita quòd ipse E Serenissimus Imperator suavissimè dansavit, & ceteri Principes, & Barones usque ad finem diei cum incredibili exultatione & lætitia. Die Jovis sequenti in Festo Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, sedente pro tribunali prælibato Serenissimo Imperatore, præsentibus Serenissimo Principe Ladislao Hungariæ Rege, & Illustrissimo Principe Duce Adalberto, & multis aliis Principibus, & Baronis, præfatus Illustrissimus Princeps & Excelsus Dominus Borsius Marchio Estensis &c. discedens ex Castro Veteri cum infinita multitudine Nobilium, & Civium, qui

qui erant ad numerum equorum quadringentorum, & per Vicum Burgi novi vênit versùs banchas Caligariorum, & deinde per Forum usque ad Turrim Rigobelli, quo in loco erat constructum Tribunal excellens.

Sed tu qui legis intelligas quo ordine vênit. Primò ipse Princeps Dominus Marchio indutus erat panno aureo mirifico cum una collana ad collum, duas habens margharitas super biretum, & unam aliam ad humerum finistrum, quæ omnia erant valoris sexaginta millium Ducatorum; & ante ipsum præcedebant tres vexilli, ex quibus primum deferebat Nobilis Miles Dominus Franciscus Forzatè, & erat pro Comitatu Policini Rodigii, in hunc modum factum, videlicet zendalis viridis cum Armis, quarum medietas erat Imperialis Arma, & alia medietas Illustris Domus Estensis. Secundò sequebatur Magnificus Vincislaus de Rangonibus ferens aliud vexillum ad insignia prælibatæ Domus Estensis. Tertiò sequebatur Spectabilis Miles Dominus Petrus de Marocellis ferens aliud Vexillum totum rubeum, significans Justitiam. Quartò sequebatur Spectabilis Vir Christinus Franciscus de Bivilaquis, ferens ensem, qui ensis erat magni valoris. Deinde sequebatur multitudo Nobilium, & Civium ad numerum antedictum, splendidis vestibus ornatorum, & in manibus deferentium pro unoquoque unum vexillum parvum album in signum lætitiæ. Cùm autem applicuisset prælibatus Illustris Dominus Marchio in Foro, ubi erat Tribunal, cum magno clamore totius Populi clamantis ad altam vocem: *Duca, Duca, & vivat Dominus Noster*, dictus Dominus descendit de equo apud dictum Tribunal, existente super ipso Serenissimo Imperatore prædicto parato in solio Imperiali plusquam mirificè ornato. Et nota, quòd vestimenta & ornamenta Imperialia, quibus indutus erat Dominus Imperator pro hujusmodi solemnitate, erant valoris secundùm communem extimationem Ducatorum circa CL. millium. Et cùm præfatus Dominus Marchio ascendisset Tribunal, magnâ reverentiâ & flexis genibus coram præfato Imperatore se præsentavit, quem Dominus Imperator humaniter suscepit, & apud suam Majestatem sedere jussit. Postea verò factis aliquibus sermonibus, seu arengis per præfatum Dominum Imperatorem, & aliquibus certis cærimoniis, quæ de more in similibus actibus fiunt: primò constituit dictum Dominum Marchionem Ducem Civitatum Mutinæ & Regii, atque Comitem Policinis Rodigii, quas Civitates primò cognoscebat ab Imperio Jure Feudi; & pro dignitate ista primò dictus Dominus Imperator induit dictum Dominum Marchionem uno Chlamyde rosato longo usque ad pedes suffulto variis albis. Deinde sibi imposuit Infulam Rubeam. Item Ensem nudum sibi tradidit in manibus. Quibus cærimoniis factis dictus Dominus Imperator creavit infrascriptos Milites in memoriam tantæ rei atque dignitatis.

Nomina Militum sunt hæc:

Magnificus Dominus Johannes Galeaz de Manfredis ex Dominis Faventiæ &c.
Magnificus Antonius de Corrigia.
Magnificus Nicolaus de Corrigia puer Annorum quatuor.
Galeotus de la Mirandula puer Annorum XIV.
Vincislaus de Rangonibus de Mutina.
Taddæus de Manfredis de Regio.
Carolus de Pepulis Bononiensis.
Dominus Albericus Maleta Doctor & Judex Curiæ Domini Marchionis.

Cives Ferrariæ.

Franciscus de Sacrato.
Bartholomæus de Pendaliis Vir insignis & liberalissimus.
Christinus Franciscus de Bivilaquis.
Nicolaus Strozza.
Ugucio de Abbatia.
Pellegrinus de Paxinis.
Nicolaus de Labolico Doctor.

Creatis dictis Militibus, Dominus Imperator, Dominus Dux novellus, Dominus Ladislaus Rex Hungariæ, & Dominus Dux Adalbertus Frater Domini Imperatoris, & ceteri omnes Barones, & Nobiles, qui interfuerant ad has solemnitates, descenderunt de Tribunali, & præcedente Reverendo Domino Episcopo Ferrariensi cum universo Clero deferente in manibus Reliquias juxta consuetudinem, ac comitantibus infinitis Tubicinis, & clamore Populi, iverunt in Ecclesia Cathedrali ad Altare majus. Et primò data Benedictione per Dominum Episcopum, Dominus Imperator dedit Domino Duci novello juramentum & benedictionem Imperialem secundùm ordinem, qui in similibus de consuetudine antiqua præstatur & conceditur. Sequenti verò die præfatus Dominus Imperator recessit de Ferraria Venetias petiturus.

Anno Christi 1454. die Lunæ VIII. mensis Aprilis in Civitate Laudi Lombardiæ cùm per Annum unum & plus regnasset asperum Bellum & infesta guerra inter Illustrissimum Ducale Dominium Venetiarum, & Illustrissimum Ducem Mediolani Franciscum Sfortiam, practicato jam pluribus diebus ante de Pace & concordia reformanda inter easdem partes, celebrata fuit utilis & bona Pax cum hoc, quòd Illustrissimus præfatus Dux Mediolani, qui per vim & subsidium Serenissimi Regis Renati surripuerat Venetis quasi totum agrum Brixiensem, & Pergamensem cum ejus Castellis & Fortilitiis, & totam Glaream Abduæ, exceptâ Terrâ Cremæ, restituit eisdem Venetis omnia, quæ habuerat præter Castella & Fortilitia, quæ sunt in Glarea Abduæ. Anno eodem Legati Mediolanenses Dominus Guarnerus de Castilione, Dominus Nicolaus de Arzimboldis, & Legati Florentinorum Petrus Cosmæ de Medicis, & Nerus Zini Caponis, & Legati Ferrarienses Dominus Paulus Costabilis, & Johannes Bianchinus iverunt Venetias, & ibi manserunt per spatium trium mensium vel circa, practicantes Ligam cum Serenissimo Ducali Dominio Venetorum; & tamdem conclusa & sigillata Liga inter ipsos fuit contra & adversùs quoscumque volentes inferre aliquid offensionis sibi.

Anno Christi 1454. de mense Octobris & Novembris. Tanta pluviarum copia fuit in partibus Lombardiæ & aliis locis, quòd multi

ti Colles propter impetum aquarum & ventorum de cacuminibus montium corruerunt ad fundum; flumina in Padum & Ticinum discurrentia mirabiliter exundaverunt, adeò ut nonnullæ Villæ circumstantes ab Incolis relictæ, & ab aquis suffocatæ fuerunt; Pons verò validissimus apud Oppidum Basignanæ cum parte Oppidi corruit in Padum. Ager Ferrariensis & Civitas ipsa in maximo periculo fuit, & nisi Illustris Marchio Mantuanus aperire fecisset aggeres supra Figarolum, per quos flumen Padi descensum habuit ad Valles, pessimè se habuisset. Oppidum Rodigii, & prope totus Policinus sub aquis ductus, quasi navigabilis fuit. Non erit igitur admirandum, si Populi Deo inobedientes & ingrati, ex penuria victualium & flagellis morbi pœnas luent in anno sequenti: quod Deus omen avertat oro.

Anno prædicto die Jovis XVIIII. Decembris sublevata & directa fuit una Columna marmorea in foro publico juxta Prætorium Communis Ferrariæ.

Anno prædicto die Lunæ 24. Martii. Nicolaus Papa V. spiritum Creatori reddidit, relictis in Castro Sancti Angeli Romæ plusquam quingentis millibus aureis, & voluminibus sexcentum Librorum electorum cujuslibet facultatis. Cui successit Cardinalis Valentinus, deinde nominatus Calistus Papa Tertius, qui electus & creatus fuit die Martis VIII. Aprilis Anni prædicti.

Anno Christi 1458. die Martis XXVII. Junii Serenissimus Rex Aragonum Alfonsus diem suum clausit extremum in Castro Ovi apud Neapolim, relicto unico filio Don Fernando, qui postea electus fuit Rex totius Regni Apuliæ à Principibus & Subditis dicti Regni.

Anno Christi 1458. die VI. Augusti Calistus Papa Tertius spiritum Creatori reddidit. Cui successit in Papatu Pius Secundus, qui fuerat Episcopus & Cardinalis Senensis, de cujus creatione exultavit Italia, præsertim Civitas Ferrariæ, quia Illustrissimus Princeps & Excelsus Dominus Dominus Borsius Dei gratiâ Dux Mutinæ & Regii, Marchio Estensis, Comesque Rodigii &c. jussit celebrari Processiones solemnes, & fallodia magna cum admirabili gaudio & lætitia tribus diebus per omnes Terras & loca suæ Dominationi subdita; & hoc quia dictus Papa erat sibi affinitate & parentela conjunctus, & erat inter ceteros Cardinales famosissimus, & virtutibus ornatus, in cujus virtutibus sperabat totus Christianismus.

Anno Christi 1460. die Jovis XII. Junii tempore nocturno in Castro Veteri Dominus Ugucio de Abbatia Miles & Ducalis Consiliarius decapitatus fuit; quia non propalavit quoddam tradimentum sibi notum, ordinatum adversùs personam & Statum Illustrissimi Principis & Excellentissimi Domini Domini Borsii Ducis Mutinæ & Regii, Marchionis Estensis, Rodigiique Comitis &c.

Anno Christi 1460. die Jovis IIII. Decembris Vir Clarissimus ætatis nostræ Princeps Oratorum Dominus Guarinus Veronensis diem suum clausit extremum, cujus anima requiescat in pace. Amen.

Anno Christi 1515. die II. Decembris Magnificus Girardus Saracenus, & juris utriusque Doctor in hac Alma Ferrariæ Civitate facile Doctorum Princeps, ac Illustrissimi & Excellentissimi Principis Alfonsi Ducis Ferrariæ, Mutinæ, Regiique &c. Consiliarius ac Secretarius, immo primus, qui Civitatem gubernabat sinè rivale, spiritum reddidit Deo, regnante Leone Medice Pontifice Decimo.

Nativitas Illustris Domini Herculis Estensis fuit Anno Christi 1431. die 24. Octobris horâ quartâ noctis.

Nativitas Illustris Domini Sigismundi Estensis fuit Anno Christi 1433. die ultimo Augusti.

Nativitas Illustris Dominæ Ixotæ Estensis fuit Anno Christi 1425. adì 27. di Aprile die Sabbati horâ 22.

Nativitas Illustris Dominæ Beatricis Estensis fuit Anno Christi 1427. die Mercurii VIIII. Aprilis horâ nonâ diei.

Nativitas Illustris Dominæ Blanchæ Mariæ fuit Anno Christi 1440. adì 18. Decembre horâ 7. die Lunæ.

Nativitas Leonelli 1407. die 21. Septembris.

F I N I S.

Addenda ad pag. 1096.

Cùm jam expleta fuisset editio Annalium Estensium Jacobi de Delayto, Vir Clarissimus Ludovicus Antonius Muratorius Continuationem eorumdem Annalium, ab altero Estensi Codice desumtam, ad nos transmisit, quam, licèt extra chorum, ad calcem eorumdem Annalium imprimendam curavimus, quamvis ad antecedentem paginam 1091. sit referenda.

A

MCCCCX. Destructio Barbiani.

Eodem Anno MCCCCX. die Dominico XXII. Junii, Comes Ludovicus de Zagonaria jussu Domini Papæ deleri fecit Terram Barbiani incendio ignis, ac ruinâ, ac prædâ, exterminans inde universos incolas. Quod ideo fieri jussit idem Dominus Papa, quia quamvis Oppidum illud ditioni suæ suppositum foret, tamen Oppidani omnes suspecti erant, tamquam cupientes introducere Comites de Cunio, qui expulsi fuerant Anno superiori per ipsum, dum erat Legatus. Et insuper nonnulli ex ipsis oppidanis iis diebus rei seditionis reperti, furcarum supplicio extincti sunt. Animadvertebat enim

B

Summus Pontifex locum illum, nisi sic everteretur, futurum esse magno dispendio rebus Ecclesiæ atque Ligæ, captis sic Forimpopulo, & Faventia, & rebus taliter conflagrantibus in Romandiola, cùm ferè inevitabile videretur, ne ad manus dictorum Comitum rediret, qui cum hostibus in amicitia erant, licèt tunc absentes à Romandiola. Tunc quidem ex natura situs, & aliis quampluribus adjacentiis videbatur multa discrimina pariturus. Sed & dictus Comes Ludovicus facto proprio providens operam multam adhibuit.

Anno prædicto MCCCCX. die Sabbati XXI. Junii de mane, Dominus Pipus de Scholaribus Miles de Florentia, Consiliarius Domini

C

Regis Hungariæ, & ultra ceteros sibi carus, constitutusque apud eum in multa auctoritate atque potentia, transivit per Ferrariam cum centum equis versùs Bononiam & Florentiam, proficiscens ad Dominum Papam, & Dominos Florentinos officio legationis pro Domino Rege præfato. Et per aliquot dies ante transiverant etiam alii de sua comitiva cum CL. equis, vel circa.

Anno prædicto MCCCCX. die XVIII. Junii, Civitas Faventiæ, cujus olim fuerat Dominus Astorgius de Manfredis, & quæ tunc tenebatur pro Summo Pontifice, & pro Sancta Romana Ecclesia, exceptâ Rochâ, quæ

D

nomine depositi erat in potestate & custodia Magnifici Domini Caroli de Malatestis de Arimino, capta & occupata fuit per Johannem Galeaz de Manfredis, natum quondam dicti Astorgii de Manfredis. Et id cum favore occulto dicti Caroli de Malatestis cognati sui. Idem enim Johannes Galeaz conquisitâ multâ copiâ peditum in Valle Hamonis, ubi residentiam suam habebat, quibusdam captis antea Castellis illic, cognita opportunitate ad suum persequendum intentum, cùm tunc in Faventia modica exstarent præsidia, quia major eorum pars Forlivium missa erat, quàm secretius & celerius potuit, erupit cum cohortibus illis peditum à Valle Hamonis, seque transtulit ad mœnia Faventiæ circa quartam noctis horam juxta Rocham ad illud latus, quod versùs montes est. Ibi nactus non solùm patientiam, sed etiam favorem præsidiorum ipsius Rochæ, foveâ transactâ, & admotis ad vallum scalis, nullo resistente, cum suis omnibus introivit. Ea re ad Præsides perlata, videlicet Dominum Lazarum de Cancellariis Capitaneum Civitatis pro Summo Pontifice, & Dominum Rizardum de Pepulis Locumtenentem, ipsi cum stipendiariis, & parte Civium obsequente arma illico capientes, violentiam ingressorum repellere moliti sunt, se eis opponentes, atque secum decertantes. Sed qui intra Rocham erant, ictibus bombardarum & balistarum pro ingressis contra istos instabant. Et progredientibus illis victoribus, diversa certamina diversis in locis acta sunt. Sed tamdem Johannes Galeaz victor obtinuit. Nam & multorum Civium favore adjutus est. Locitenens & Capitaneus cum stipendiariis & compluribus Civibus fuere captivi. Aliquot cæsi Cives, qui contra factionem Johannis Galeaz erant, & depopulatio facta in bonis quamplurimorum.

Anno prædicto MCCCCX. die Veneris XI. Julii, Legati quatuor Nobiles Venetorum cum quadraginta equis, appulerunt Ferrariam, pergentes Bononiam ad Summum Pontificem. Et sequenti die Sabbati XII. Augusti de mane abeuntes Ferrariâ versùs Bononiam tetenderunt.

Eodem Anno MCCCCX. die XV. Julii Magnificus Miles Dominus Ro de Gaucort de Francia Camerarius Serenissimi Regis Francorum, veniens à Civitate Bononiæ, ubi certo temporis spatio manserat gratiâ agendorum apud Summum Pontificem, & revertens ad propria, appulit Ferrariam horâ prandii cum vigintiduobus equis. Et honoratus in Palatio Domini Marchionis mansit die illa, ac die sequenti cum ipso Domino Marchione. Alia subsequenti die abiit, quem Magnificus Ugutio de Contrariis comitatus fuit usque ad Pontem Lagiscuri, præparato & facto illic prandio in domo ipsius Ugutionis.

Anno prædicto MCCCCX. die Lunæ XXI. Julii, de mane, Illustris & Magnificus Dominus Dominus Nicolaus Marchio Estensis &c. cum comitiva sua movens à Ferraria perrexit Bondenum in prandio, & Finale in cœnis & hospitio, proficiscens ad partes Mutinenses, & Reginas, atque Parmenses, causâ visitationis locorum &c. Et aliquot paucis post diebus Magnificus Ugutio de Contrariis, qui Ferrariæ remanserat sequutus est eum, in profectione illa secum pergens.

MONUMENTA
HISTORICA
DE REBUS FLORENTINORUM

AUCTORE

GINO CAPPONIO

Ab Anno MCCCLXXVIII. usque ad Annum MCCCCXIX.

CUM CONTINUATIONE
NERII ILLIUS FILII

Usque ad Annum MCCCCLVI.

NUNC PRIMUM PRODEUNT

EX MStis CODICIBUS FLORENTINIS.

IN GINI CAPPONII,
EJUSQUE FILII NERII
MONUMENTA HISTORICA
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII
MURATORII.

CApponia Familia a multis Seculis Florentiae illustribus viris abundans, atque in ejus Urbis Annalibus saepe celebrata, adhuc iis nobilitatis insignibus floret, ut neque meis laudibus indigeat, neque veterum Historicorum testimonio, quo vel apud mediocriter eruditos summo honore digna credatur. Ex ea prodierunt, eamque Seculo Christianae Aerae Decimo quincto maxime illustrarunt *Ginus*, ejusque filius *Nerius*, quorum *Monumenta Historica*, luce hactenus carentia, nunc sum producturus. Diminutiva videntur eorum nomina, nam uti ex *Aldobrandino* sunt qui opinantur emersisse *Dino*, & ex *Ulivieri Vieri*, ita opinari fas est ex *Rainerio* sive *Rainieri* efformatum *Neri*, & fortassis ex *Arrigino Gino*, nisi tamen *Arrighino* potius in usu fuit: non satis enim convenire huic notioni videntur excogitata ab aliis nomina *Angelino*, *Ruggerino*, *Agostino*. Et ad *Ginum* quod attinet, sub finem Seculi Decimi quarti is tantam ingenii ac prudentiae famam sibi peperit, ut Anno 1401. teste Scipione Admirato in Histor. Florent. Lib. 16. *Vexillifer Populi Florentini* creatus, hoc est ad supremum Reipublicae munus & clavum adhibitus fuerit. Tum Anno 1405. in spem erecti Florentini adjungendae Pisanae Urbis ditioni suae, Gino potissimum sunt usi ad rem arduam perficiendam, quippe qui perspectam haberent singularem illius solertiam, sagacitatem, & eloquentiam in pertractandis negotiis. Jamque Pisas tenebant, arce eis tradita, quum Pisanus Populus ab insperatae servitutis periculo & aemulatione in furorem actus, ad arma ruit, Florentinoque praesidio deturbato libertatem fortissime tuendam susceperunt. Tunc Florentinis visum est per publicum ac patens bellum adipisci, quod ante sola vi auri atque occultis artibus quaesierant. Pisae obsessae, fame impellente, Anno tamdem 1406. in deditionem venere. Tantae autem rei summa potissimum fuit penes Ginum Capponium, uti etiam Matthaeus Palmerius in Commentario *de Captivitate Pisarum* testatur, qui ei primas defert, ejusque acta disertissime describit. Pisas exinde Ginus ipse rexit, atque inde Florentiam adduxit celebratissimum Codicem MStum Pandectarum, quem Pisani veluti insignem thesaurum adservabant. Anno deinde 1411. Ginus Johannem XXIII. Pontificem, contendentem ad Urbem, ex decreto Reipublicae suae, atque honoris causa comitatus est. Denique Anno 1420. ultimum diem clausit, & quod justae orationis panegyricae loco est, ad ejus funus boni omnes lacrymas dedere. Egregii hujus viri virtutes paucis perstrinxit Scipio Admiratus in Histor. Florent. Lib. XVIII. scribens: *Morì in questi tempi* (hoc est Anno 1421. verum, Bisciono infra mihi memorando teste, ad Annum 1420. Gini mors sine haesitatione est referenda) *in Firenze Gino Capponi, Cittadino per molti rispetti, ma sopra tutto per avere con gran virtù maneggiato la guerra di Pisa grandemente stimato nella Patria sua. Fu amantissimo della Repubblica in tanto, che, come per alcuni ricordi lasciati a Neri suo figliuolo si vede, trascorse a dire, che il servigio e beneficio di quella si dovea anteporre alla cura dell'anima. Fu uomo di gran cuore e ardito a pigliare i partiti: capacissimo, se ben' uomo senza lettere, del governo degli Stati; e nelle cose private assegnato; e nondimeno non fu possessore di molte ricchezze: il che può essere gran segno della sua lealtà. Lasciò tre figliuoli maschi, ma de' quali Neri fu in gran parte successore e della virtù e della fortuna del padre.* Haec Admiratus. Ejus autem mentionem fecere Poggius Florentinus in Historia suorum temporum, Michaël Poc-

ciantus in Catalogo Scriptor. Florentinor. & Julius Niger in Historia Scriptor. Florentinor. qui deceptus est, Pisanum bellum referens ad Annum 1401., & Gini famam potiorem tribuens Seculo XIV., quum tamen ejus acta praeclara potissimum cadant in Annum 1406. Sed deterius fallitur idem Niger in eodem Opere, duos alios Ginos nobis exhibens tamquam a priore diversos, quum tamen unum idemque sint ac Ginus Capponius mihi commemoratus. Ex iis unum Niger appellat *juniorem*, eique tribuit descriptam *Ciomporum seditionem*, Anno 1578. Florentiae commotam. Verum ea seditio contigit Anno 1378. eademque descripta fuit per Ginum ipsum, quem *Seniorem* Niger ipse vocat. Alter ex commentitiis istis *Ginis* Nigro dicitur vixisse circiter Annum 1520. *quo tempore*, is ait, *Historico stilo pinxit Pisanum Bellum, uti nos monet Michaël Pocciantus*. Verum unus ille Ginus, quem Anno 1421. a morte sublatum diximus, Pisani Belli brevem Commentarium reliquit, nunc evulgandum. Sane optandum est, ut aliquis tamdem sit, qui tot errorum plaustra in suam illam Scriptorum Florentinorum Historiam a Nigro invecta eliminet, quando Niger ipse morte praeoccupatus scripta sua emendatiora edere non potuit.

Quod est ad *Nerium*, is parentem habuit eumdem Ginum, quem etiam, si quod sapio, tum ingenii, ac animi dotibus, tum negotiorum difficillimis Reipublicae temporibus gestorum gloria superavit. Nihil est, quod ego heic recenseam singula illius acta. Legere volenti in promtu illa sunt in iis ipsis Commentariis, quos idem Nerius efformavit, atque heic primum evulgatos Lector accipiet. Ibi se tam vivis coloribus pingit, quantaque sibi foret in arduis rebus constantia, & provida consiliorum foecunditas, tam late ostendit, ut hominem intelligas Reipublicae suae utilitati natum, & omnium bonorum suffragio probatum. Atque adeo illum habes Anno 1436. Florentini Populi Vexilliferum; antea vero Anno scilicet 1422. in Priorum Magistratu cooptatum. Legatum quoque ad Venetos, aliosque Principes, apud quos exacti judicii, summaeque honestatis laudem tulit. De illo legendi Poggius, & Scipio Admiratus in Histor. Florentin. Sanctus Antoninus in Par. Histor. Michaël Pocciantus in Catalogo Scriptor. Florentinor. Jacobus Gaddius in Elog. Historic. Julius Niger in Histor. Scriptor. Florentin. Johannes Baptista de Soliers in Tuscia Gallica, Christophorus Landinus, Dempsterus, Monaldus, Michaël Brutus, & alii. Sed quoniam illius Vitam hactenus in tenebris versatam, atque ab antiquo & celebri viro, hoc est a Bartholomaeo Platina lucubratam, infra sum daturus, ibi potissimum Lector accipiet, quis fuerit, quaeve grandia praestiterit Nerius Capponius. Primus illius vitae Annus fuisse creditur MCCCLXXXVIII. certe postremus fuit MCCCCLVII. Ejus autem marmoreus tumulus adhuc Florentiae visitur In Templo Sancti Spiritus in Capponiae gentis sacello, ibique ejus effigies cum hujusmodi inscriptione.

D. S.
NERIO CAPPONIO GINI FILIO
CIVI PRÆCLARO AC DE R. P. FLO.
DOMI FORISQUE OPTIME MERITO
GINUS PATRI PIENT.
PONI PROCURAVIT.
VIX. ANN. LXVIIII. MEN. III. D. XXI.

Adhuc autem floret Gini & Nerii illustris propago, de qua haec habet Scipio Admiratus ad Annum 1401. de Gino scribens: *fu il primo a portare il Gonfalonerato in casa sua: Cittadino, il cui nome nella guerra Pisana fu poi molto chiaro; la virtù del quale propagata ancor nel figliuolo (per i Commentarj del quale ci sono molte cose note) e di mano in mano negli altri lor successori, ha fatto questo ramo fiorir maggiormente fra tutti gli altri Capponi*. Atque heic mihi praecipue numerandus praestantissimus vir Marchio Alexander Capponius ex eadem linea progenitus, & ex ipso Nerio descendens, qui generis celebritati singularem literarum amorem conjungit, & Romae vivere pergit eo splendore, quem poscit natalium suorum nobilitas. Ejus quippe Proavus Aymericus sub Clemente VIII. affine Romam profectus, ibi Propraefectus Moli Adriani per XXVIII. annos vixit, & Marchionis titulum conquisito sibi Castello Pisciae in Umbria ad posteros transmisit. Ejus vero pater quamquam a Cosmo III. magno Etruriae Duce Florentiam accitus, splendida ibi munera per aliquot annos sustinuerit, attamen Romanam quietem tamdem praeposuit omnibus fortunae in Patria illecebris. Cujus etiam exemplum sequutus Alexander Marchio ejus filius supralaudatus Romae degit, ex amplissimo illo eruditionis antiquae & novae theatro commodum voluptatemque ad sua studia percipiens.

Is

Is ergo fuit, qui pro sua humanitate mihi suppeditavit majorum suorum monumenta adhuc luce carentia. Neque satis hoc illi fuit. Egit etiam per literas Florentiam missas apud Antonium Mariam Biscionum J. U. Doctorem & Laurentianae Bibliothecae Custodem, ut quantum fieri posset emendatum exemplum efformaretur, melioresque eam in rem Codices adhiberentur. Non poterat accuratiori viro hujusmodi cura committi. Quid vero ille egerit, antequam edisseram, recensenda sunt utriusque Capponii Italica monumenta nunc edenda. Primo igitur loco per *Ginum* literis commendata est *Seditio Ciomporum*, quae Anno 1378. Florentinae Reipublicae regimen ad infimam plebem dejecit. *Ciompi* autem appellati sunt carminatores lanae; traditurque, hoc nomen invectum longe antea in vile vulgus a Gallis, qui sub regimine Ducis Atheniensis Florentiae agebant, quasi alter alterum *Compatrem* appellaret. Succedit Gini Commentarius *de Bello Pisano*, per quod ea Civitas Anno 1406. Florentino Populo deditionem fecit. Pocciantus in haec verba scribit: *Ginus Capponius Civis nobilissimus, atque suis temporibus Historicus non vulgaris, atrocissimum Pisarum Bellum posteris consecravit*. Erit Lectorum perpendere, quam recte Poccianto appelletur *atrocissimum* illud bellum. Denique *Documenta aliquot politica ac domestica* a Gino relicta sunt filiis suis, ac Nerio potissimum, quorum etiam mentionem supra fecit Admiratus, simulque in eis aliquid improbandum invenit. Et revera ibi laudantur, atque eligendi ad publica munera dicuntur, qui Rempublicam diligant, *più che il loro proprio bene, e che l'Anima*; quae verba impietatem sapiunt. Ego tamen haec mitius interpretanda reor. Qui enim infra ait: *La Chiesa divisa fa pel Comune nostro; ma è contro all'Anima, e però non vi si debbe dare opera*: certe sentit ac docet, anteferendam cuicumque publicae utilitati salutem Animae suae, hominemque prodit alte animo fixas servantem Christianae Religionis certissimas veritates, & monita sanctissima. Igitur in priori loco vocabulum *Animae* Ginus adhibuisse videtur ad significandam aut Hebraeorum more *vitam*, aut intensiorem ac delicatiorem illam Animae curam, quae quosdam minus expeditos ac timidos segnesque efficit ad Reipublicae curam. Sed haec obiter. De Gino etiam scribit Johannes Cinellus in Pluteis Literariis: *Gino Capponi, Storico non ingrato di suo tempo scrisse atrocissimum Bellum Pisarum*; *Commentarj dell' acquisto di Pisa del* 1406. quasi duo diversa Opera haec fuerint. Ceterum uti Admiratus quoque supra monuit, Ginus in literis excolendis nullam aut exiguam operam posuit: quod & ejus paucula monumenta persuadent; nihil enim ibi nitoris, sed omnia reptanti stilo conscripta sunt, qualem non ars, sed natura obtulit. Attamen vel in ejus simplicitate hominem agnoscas non mediocris ingenii, & intima rerum facile penetrantem, ac potissimum quod ipse iis plerumque fuit immixtus.

Contra in *Nerio* illius filio facundia ac bonarum artium sapor passim deprehenditur. Ex ejus autem calamo fluxit primo *Commentarius de rebus in Italia gestis ab Anno* 1419. *usque ad Annum* 1456. tum alter *Commentarius de expulsione Comitis Poppii, ejusque ditione Florentini Populi imperio adjecta*. Nunc iterum audi Pocciantum de Nerio scribentem: *Nerius Capponius, Gini filius, patris sui Historiam ad exitum perduxit. De Bello autem Casentino Comitis Poppii, ac Bentivolii Librum exaravit. Claruit Anno* 1465. Ita ille, sed parum accurate; nihil enim rei habent Nerii lucubrationes cum Gini parentis sui Commentariis, ut cuique nullo negotio patebit; & quae ad Xantem Bentivolum spectant, minime confundenda erant cum Bello Casentino. Mitto Cinellum Poccianti verba describentem, & nihilominus unum Nerii Librum in duos dividentem. Incautius etiam egit Niger in Historia Scriptor. Florentinor. quandoquidem Nerio tribuit *l'Istoria della Guerra del Casentino tra il di Poppi e'l Bentivoglio*; ac deinde alterum Librum, cui titulus, *la Cacciata del Conte di Poppi*. Nullum fuit bellum inter *il di Poppi* atque Bentivolum, uti Niger scribit, sed quid scribat ignorans; & rursus vides Librum unum in duos sectum. Addit Niger: *lavorò sopra i Ricordi di Gino suo padre MSti*: quae etiam verba quid significent, vix intelligas, & certe a veritate absunt.

Nunc ergo aperiendum, quid Biscionus supra memoratus praestiterit, ut haec, quantum fieri posset, emendata acciperem. Itaque non uno Codice MSto is usus est. Primus, & ceteros vetustate praecedens, utpote qui autographus censetur, Romae servatur apud amplissimum virum supra mihi laudatum, hoc est penes Marchionem Alexandrum Capponium. Secundus Florentiae adservatur in Bibliotheca, quam olim instruxit doctissimus vir Carolus Strozzius Senator Florentinus, sed nihil aliud Biscionо visus est, quam antigraphum vetustum Codicis Capponii; & quia inde exciderant aliquot folia, eadem suppleverat ex alio MSto idem Strozzius.

Tertium Codicem servat nobilis Marchionum Riccardorum Familia, exaratum post Annum 1553. Ibi haec antiqua manu scripta occurrunt: *Cronaca, o memoria di Gino di Neri di Recco di Mico del Cappone Capponi. Comincia da Giugno 1405. al 1406. mentre che Piero di Luna, chiamato Papa Benedetto si truovava in Genova; nel qual tempo era Signore di Pisa Gabrielle Maria figliuolo bastardo di Mess. Giovanni Galeazzo Duca di Milano: donde ne seguì la prima presa di Pisa, nella quale fu Commissario detto Gino. E detta Cronaca non è scritta da lui, ma da altri per le sue azioni*. Postrema haec adnotatio potissimum consideranda, quae nescio an a perito Judice proficiscatur, at dubium saltem facere potest Auctorem Commentarii de Bello Pisano. Sunt & alii Codices MSti; nempe alter in Bibliotheca Strozziana: unus in Medicea; unus apud nobilem virum Ferrantem Capponium Senatorem Florentinum; unus apud Bargiaccos; & denique unum servat Clarissimus ex editis Libris, ac magnum Florentiae ornamentum Philippus Bonarota, Senator & ipse Florentinus. Itaque ex hisce Codicibus potiores adhibuit Biscionus, ut haec Monumenta procuraret mihi, quantum sibi licebat, ad germanam Auctorum mentem conformia. Nunc iis fruatur Lector. Unum autem addere juvat, nempe Bernardum Oricellarium Florentinum magni nominis Scriptorem & ipsum reliquisse *Historiam Florentinam*, & Commentarium Latinum *de Bello Pisano*, cujus mentionem fecere, ut alios omittam, Pocciantus, Niger, & Auctores Diarii Literatorum Italici Tom. 33. art. 6. Quantum vero is profecerit e Nerii Capponii lucubrationibus MStis, ingenue ipse fatetur, ad Petrum Gini Capponii, nempe junioris filium, cui Historiam suam dicavit, in haec verba scribens. *Sed Commentarios tantum relictos ab Avo tuo Nerio præclarissimo viro Latinos feceram, ut fere iidem literis Latinis reperiantur, qui Florentino sermone scripti exstitissent*. Quae omnia luculentius testantur, quantum monumenta haec apud veteres in honore fuerint, & quanti sint denique a nobis facienda.

CASO



Ex Tabula picta Romæ in Museo Alexandri Gregorij Marchionis Capponij Hieron. Rossi Sculp. 1723.



CASO
O TUMULTO
DE' CIOMPI
Dell' anno 1378.
SCRITTO
DA GINO CAPPONI.(*)

NEll' anno 1378. (**) del mese di Giugno essendo nello Ufficio della Signoria il Priorato di due mesi occorrenti, cioè per Maggio e Giugno, i Cittadini infrascritti:

Francesco di Feduccio Falconi) per Santo
Niccola di Lippo Alberti) Spirito.

Piero di Fronte Lanajuolo) per Santa
Francesco di Spinello Vajajo) Croce.

Lorenzo di Matteo Boninsegna) per S. Ma-
Simone di Benedetto Gherardi) ria Novella.

Piero di Cenni Spadajo) per Santo
Simone di Bartolino Calzolajo) Giovanni.

Salvestro di Messere Alamanno de' Medici Gonfaloniere di Giustizia.
Ser Domenico Salvestri loro Notajo.

A Et essendo il sopraddetto dì 18. di Giugno sortito Proposto il detto Salvestro, fece ragunare il Consiglio del Popolo: e mentre che 'l Consiglio si ragunava, essendo i detti Priori nella loro udienza, e con loro tutti i Collegi, il detto Salvestro Gonfaloniere, e Proposto, cavò fuori una petizione, nella quale si conteneva gli ordini della giustizia di riporgli addosso a' Grandi. Il perchè letta la detta petizione, e mettendosi a partito infra i Collegi, e non vincendosi, vi si usava parole superchievoli e disoneste. Il perchè il detto Salvestro per venire alla sua intenzione si partì dell' udienza solo, che nessuno de' suoi compagni s'accorse, dove lui

B volesse andare. Andossene nella sala del Consiglio, nella quale era già ragunato tutto il Consiglio, e disse queste parole:

Savi del Consiglio, io oggi volevo sanare questa Città dalle malvagie tirannie de' Grandi e possenti Uomini: e non son lasciato fare: che i miei compagni e Collegi non lo consentono. Il che sarebbe bene e buono stato de' Cittadini, e di tutta la nostra Città; e non sono nè udito, nè creduto, nè voluto udire come Gonfaloniere di Giustizia. E da che io non sono udito al ben fare, giu-

(*) *Nel MS. Riccardi si legge*: Notizia della Novità de' Ciompi, scritta per Gino di Neri Capponi, che visse innanzi al 1400. e di poi.

(**) *Al.* adì 18. di Giugno.

giudico non essere più Priore nè Gonfaloniere di Giustizia : e pertanto io me ne voglio andare a casa mia, e voi farete un' altro Gonfaloniere in mio luogo, e fatevi con Dio. Et uscì della sala.

Per queste parole tutti quelli del Consiglio si levarono ritti, romoreggiando per la sala, veggiendo il Gonfaloniere, se n'andava fuora della sala, e giù per la scala: di che alcuni di loro lo ritennono, e non lo lasciarono andare. E rimessolo dentro nella sala si cominciò forte a romoreggiare. Et uno Calzolaio chiamato Benedetto di Carlone prese Carlo degli Strozzi pel petto; e disse: *Carlo Carlo, le cose andranno altrimenti che tu non pensi, e le vostre maggioranze al tutto conviene che si spengano*. Ma Carlo come savio non gli rispose. Benedetto di Nerozzo degli Alberti, che era nel presente Consiglio, si fece alla finestra della sala, e cominciò a gridare : *Viva il Popolo*; e a dire a quelli, che erano in Piazza: *Gridate*: *Viva il Popolo*. Di che di subito il romore si levò per la Città, e serraronsi tutte le botteghe, e stando poca d'ora il romore di Palagio racchetò; ma nondimeno la gente cominciò a pigliare l'arme.

Avevano in quello medesimo dì i Capitani di Parte Guelfa ragunati nel loro Palagio molti Cittadini di numero circa 300. o più, tanto Grandi, come Popolani, e Guelfi, suti richiesti, perchè sappiano quello, che in Palagio contro a' Grandi s'ordinava. E così tosto come eglino sentirono il romore, non feron altra motiva (*a*), se non che alcuni che sentirono il romore, uscirono fuora del Palagio della Parte, e domandavano, che romore fosse quello: e quando seppono quello, che era, e che pel Consiglio s'era vinto, che a' Grandi fussino riposti gli ordini della Giustizia per un' anno, e non per più, ciascheduno se ne tornò a casa, e stavano a udire e vedere quello, che seguitasse. E la notte ciascheduno Cittadino si stava onestamente guardandosi per la Terra. La seguente mattina non s'aprirono le botteghe, e così stettono tutto quel dì del Sabato, e la notte stettono guardie per tutta la Città.

La Domenica tutte l'Arte furono insieme alle loro Botteghe (*b*), e ciascheduno Artefice poi alle sue Botteghe, e feciono certi Sindachi, uno per Arte. Lunedì mattina i Collegi di buon' ora furono tutti in Palagio, e i detti Sindachi tutto quel dì stettono co' Priori e Collegi a praticare, e dare ordine alle dette cose: & in quello dì non si potè fare nulla, perchè non erano d'accordo. Il Martedì l'Arte si cominciarono ad armare, com' era dato l'ordine per alcuni Cittadini alle loro Botteghe dell' Arte, e spiegarono i loro Gonfaloni. Questo venne a notizia a' Priori e Collegi; e subito feciono sonare a Consiglio, e trarre i novanzei: di che ecco levare il romore, e le 'nsegne dell' Arte venire in sulla Piazza gridando: *Viva il Popolo*. Allora si diede balìa generale a' Priori, e loro Collegi per consigli, insieme con loro ancora i Capitani di Parte Guelfa, i Dieci della Libertà, gli Otto della Guardia, e i nominati Sindachi dell' Arte.

In quel tanto il Popolo, e i Gonfaloni dell' Arte grande, parte d'essi erano in sulla Piazza, gridando: *Viva il Popolo*. Il perchè certi di quelli (*c*) Gonfaloni (ciò furono (*d*) quello dell' Arte de' Pelliciai (*e*)) corsono alle case di Mess. Lapo da Castiglionchio, e de' suoi consorti, e quelle rubarono, e missono fuoco. E di poi corsono alle case de' Buondelmonti, e feciono il simile; & ancora alle case de' figliuoli di Mess. Lorenzo Buondelmonti, e la loggia, e ciò che era dirimpetto a quella. Di poi n'andarono in Mercato nuovo, e rubarono, e missono fuoco nella casa di Bartolo Siminetti. E poi n'andarono alle case di Carlo Strozzi, e quelle arsono, e rubarono tutte. E di poi rubarono, e arsono il palagio de' Pazzi, e le case di Migliore Guadagni, nelle quali missevi fuoco un suo genero de' Covoni; perchè si tenne, che Migliore fusse a consentire alla diminuzione de' Covoni, quando furono ammuniti. Di poi corsono, e rubarono le case degli Albizzi. Ancora passarono Arno, e arsono le case di Piero Canigiani: e dissesi, che furono i Mannelli loro vicini; perchè Messer Ristoro, figliuolo di Piero Canigiani, si trovò Capitano di Parte, quando i Mannelli furono ammuniti. Di poi andarono alle case di Niccolò e Tommaso Soderini, e quelle rubarono, e arsono; e rubarono le case di Bonajuto Serragli, e di Messer Coppo di Lapo di Cione del Cane, e de' fratelli. Fatte le dette ruberie e arsione, il Popolo minuto, e l'Arte andarono, e ruppono le prigioni del Comune, e trassono fuora tutti i prigioni per ordine di Bardo di Guglielmo Altoviti, perchè il detto Bardo v'aveva due sua nipoti carnali figliuoli d'una sua sirocchia, che l'uno era Alesso Baldovinetti, e l'altro era figliuolo d'Andrea delle Botti. Et in quello medesimo dì uno, che aveva nome Cecco di Jacopo di Poggibonzi, colla insegna dell'arme della Libertà, la quale gli fu data da alcuni Cittadini, i quali io non nomino, fece di grandissimi danni insieme co' gli altri soprannominati. Di poi tutti n'andarono al luogo de' Romiti de gli Agnoli, e per forza entrarono dentro, e feciono grandissimi danni, e di grandi ruberie di robe, e giojelli, e danari contanti di stima più che cento migliaja di fiorini; perchè molti Cittadini quivi aveano sgombrato gran parte di loro robe; e fuvi morto uno, ovvero due de' loro Frati di quello luogo.

